


HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 097 727 531


VE
RI
TAS





FRANCE

MANUALE

TOTIUS JURIS CANONICI



APUD EOSDEM BIBLIOPOLAS:

MANUALE

TOTIUS

JURIS CANONICI

AUCTORE

D. CRAISSON

QUONDAM VICARIO GENERALI DIŒCESIS VALENTINENSIS

OPUS ROMÆ EX AUCTORITATE SUPERIORE EXAMINATUM,
APPROBATUM ET COMMENDATUM AB EXAMINATORIBUS ROMANIS

EDITIO NONA

NOVIS CURIS AUCTA ET EMENDATA;
SYLLABO, CONCILIO VATICANO, CONSTITUTIONI *Apostolicæ Sedis*, ALIISQUE
CONSTIT. S. PONTIFICIS, AC DECRETIS ROMANARUM CONGREG.
USQUE IN HANC DIEM EDITIS ADAPTATA.

TOMUS SECUNDUS

PARISIIS

APUD A. ROGER ET F. CHERNOVIZ, BIBLIOPOLAS

7, RUE DES GRANDS-AUGUSTINS

1899

ForTy

C

MANUALE

TOTIUS JURIS CANONICI.

LIBER PRIMUS.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS

SECTIO PRIMA.

DE PERSONIS AD HIERARCHIAM JURISDICTIONIS PERTINENTIBUS

DISSERTATIO SECUNDA.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS IN SPECIE.

CAPUT IV.

DE PAROCHIS ET ALIIS SACERDOTIBUS QUI IPSIS AUXILIANTUR VEL IN PAROCHIA SACRUM MINISTERIUM EXERCENT.

1287. Vox *Parochus*, juxta Leurenium (*Forum benefic.*, t. 1, q. 142, apud Bouix, *De Parocho*, p. 7), derivatur « à » græco παρέχω quod *præbere* significat; alii derivant à » græco πάροικος quod accolam seu incolam, uti et parœcia » accolarum conventum seu habitationem significat. »

Vox *parochia* etiam ab antiquo fuit adhibita ad designandam certam partem diœceseos; frequentiori tamen usu ad totam Diœcesim significandam primis ævis fuit usurpata. Vide id pluribus probatum ap. D. Bouix (*ib.*, p. 8, etc.). Sufficiat hic referre canonem 13 Apostolorum : « Episcopo » non licere alienam parochiam, *propriâ relictâ*, pervadere. » Vide etiam Ferraris, v° *Parochia*, n° 2.

Duo erunt articuli : in 1° dicemus de Parochis; in 2° de

Vicariis parochialibus et iis qui in parochiâ sacrum ministerium exercent.

ART. I.

DE PAROCHIS.

§ I.

Expositio et confutatio errorum circa parochos.

1288. Sæculo XIII, Guillelmus à S. Amore, inter alia erronea, contendit parochos solos, exclusis etiam Papâ et Episcopo, intellectos fuisse à Concilio Lateranensi IV, quando jubet confiteri *proprio sacerdoti :* qui error fuit damnatus, anno 1255, ab Alexandro IV. Alius Doctor Sorbonicus, Joannes de Poliaco, docuit ita teneri fideles, etiam à regularibus jam absolutos, confiteri suo parocho tempore Paschatis, ut ne Deus quidem in tali obligatione possit cum iis dispensare; quæ deliramenta damnavit Joannis XXII, Extrav. *de Hæreticis*, cap. 11.

Gerson Universitatis Parisiensis Cancellarius, initio sæculi XV, divinam parochorum institutionem eorumque à 72 discipulis derivationem primus asseruit, eos Prælatos esse et Hierarchas tum dignitatis tum honoris contendit; tribuitque eis in Conciliis votum decisivum (Vide Nardi et de La Luzerne, ap. Bouix, *ib.*, p. 57 et 86).— Suum Cancellarium præfatis erroribus imbutum secuta est Sorbona; ac Joannem Gorel, anno 1408, coegit ut sequenti propositioni subscriberet : « Domini Curati sunt in Ecclesiâ Mi» nores Prælati et Hierarchæ ex primâ institutione Christi.» Anno verò 1429, ab eâdem Sorbonâ compulsus fuit J. Sarrazin ad profitendum quòd : « Dicere inferiorum Prælato» rum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi sive » sint curati, esse immediatè à Deo, Evangelicæ et Apos» tolicæ consonat veritati. » Apud d'Argentré, *Collect. Judic.*, tom. 2, p. 178 et 227 (Bouix, *De Parocho*, p. 65).

Doctrinam Gersonis et Sorbonæ circa divinam institutionem parochorum et eorum prærogativas amplexatus est

Jansenismi parens Joannes Du Verger de Hauranne, San-Cyrani Abbas, affirmando parochos esse in suis parochiis *minores Episcopos :* opinioni magistri tota adhæsit schola Jansenistarum, à quibus innumeri in lucem editi fuêre libri parochismi erroribus scaturientes.

1289. Audaciâ antecelluit Egmundus Richer, Sorbonæ Syndicus, cujus doctrina sic, juxta D. Bouix (*ib.*, p. 87), resumi potest : « Nihil posse Sedem Apostolicam in diœce-
» sibus absque consensu Episcoporum; nihil vicissim
» posse Episcopum in parœciis, nisi consentientibus pa-
» rochis. »—Quid senserit Bailly, vide dictum supra (680).

« Parochis votum deliberativum in Ecclesiæ regimine
» asseruit Simon Vigor, ardens Richerista, qui primas
» partes egit in congressu dicto : *Projet de Bourg-Fon-*
» *taine.* » (*Ibid.*)

Morinus vult curatos fuisse antiquitùs *Pastores* nuncupatos. Si autem Juvenino credatur, parochi sunt institutionis divinæ, iidem ac ii qui primitùs presbyteri vocabantur, Prælati, Principes, seniorum et 72 discipulorum successores; vetus presbyterium efformantes, in regendâ diœcesi partes habebant, de causis majoribus noscebant, pœnitentes publicos absolvebant, tonsuram conferebant, excommunicabant, etc. (Bouix, *ib.*, p. 88).

1290. His apertè favet Van Espen, qui inter multa hæterodoxa insuper docet : « Posse clericum quem suus superior
» ecclesiasticus censurâ perculit, ad Gubernium recur-
» rere : cujus si protectionem obtineat, licitè pergit sa-
» crum ministerium exercere, nihil curans de censurâ et
» Superiore suo ecclesiastico. Quâ regula parochis ap-
» plicatâ, nemo non videt eos evadere ab Episcopo pror-
» sus independentes, modò in id consentiat civilis po-
» testas. »

Non satis ab hâc Van Espen doctrinâ se alienos ostenderunt quidam clerici et parochi gallici qui, his recentioribus annis, ad Consilium Statûs appellârunt contra censuras eis per suos Prælatos inflictas.

1291. In Italiâ, Guadagninus zelantissimum se ostendit Parochismi promotorem in suo opere : *De antiquâ parœcia-*

rum origine, in quo carpit Thomassinum, eò quòd negaverit exstitisse parochos per tria priora sæcula, et toti Trinitati ipsorum institutionem adscribit. Inter parochismi defensores numerantur etiam Travers unus ex appellantibus à Bullâ *Unigenitus*; J. Bapt. Thiers, parochus et doctor Sorbonicus. Quinimò, sæculo XVIII, ad parochismum declinasse videtur Academia Lovaniensis, quæ, juxta Nardi, asseruit « quòd Episcopus non possit dici rector seu pa-» rochus totius Diœcesis, sed solius Ecclesiæ Cathedralis.» Bouix, *ib.*, p. 89; hoc tamen assertum Academiæ Lovaniensis D. André non respuit. V. *Cours du droit canonique*, v° *Paroisse*, p. 338, edit. Paris. 1853.

1292. Si vera essent præfata asserta quòd nempe Episcopus et Papa mediatam solùm in fideles habeant potestatem, concludendum esset nec Episcopum nec ipsum Papam valere, per se aut per alios, ullam extra casum necessitatis peragere sacram functionem, v. g., prædicare, confessiones excipere, nisi ex consensu parochorum; absque enim tali consensu eas functiones exercere non possent nisi ex jurisdictione immediatâ, quæ juxta præfatos errantes, ad Episcopum et ad Papam non pertinet. Vide dicta supra (680).

1293. Cùm juxta præfatos auctores, parochus sit sponsus verus et propriè dictus suæ parochiæ, et de naturâ spiritualis sponsalitii sit ut perpetuum exstet, exhinc juxta ipsos, inquit D. Bouix (*ib.*, p. 91), « dari nequit curatus,
» seu curam alicujus populi habens, revocabilis ad nu-
» tum; sed ejus officium tam est perpetuum quàm offi-
» cium Episcopi. Item parochus est pastor propriè dictus;
» pastoratus autem potestatem includit gregem regendi
» et gubernandi, ac proinde jurisdictionem etiam fori
» externi, ac proinde potestatem excommunicandi; cùm-
» que aliunde jurisdictio omnis parochi sit immediata
» privatim ad Episcopum, nec fori etiam externi ullum
» actum exercere poterit Episcopus circa parochiam et
» parochianos, nisi consentiente parocho. Item parochi
» jurisdictio est *ordinaria* eo sensu quòd delegare possit.
» Ergo pro arbitrio quemlibet presbyterum, absque ullo

» interventu Episcopi poterit approbare et deputare ad
» prædicandum et sacramentum Pœnitentiæ ministrandum
» in suâ parochiâ. Et tandem cùm parochus hæc omnia ex
» institutione divinâ, à Christo immediatè acceptatâ et
» ipsius officio divinâ auctoritate alligatâ, à nullo poterunt
» ejusmodi jura restringi... : cùm non possit Ecclesia jus
» divinum immutare...; cùm parochi tam pertineant ad
» hierarchiam Ecclesiæ integritati necessariam quàm ipsi
» Episcopi et Papa, nec magis stare possit Ecclesia sinè
» parochis quàm sine Episcopis. »

Ex his intelligi potest quid veneni contineatur in parochismi systemate supra exposito.

1294. Bossuetius verissimum putat assertum Facultatis Parisiensis nempe quòd : « ille ordo (parochorum) sit in
» Ecclesiâ necessarius, et secundo loco sub Episcopis, eccle-
» siasticam jurisdictionem exerceat; quam cùm exercet,
» non ab alio quàm à Christo, secundùm canones et Episco-
» porum justa præcepta exercendam accipiat; ita ut Epis-
» copis, à quibus... instituuntur, tanquam immediatis
» pastoribus vicariam operam præstent. » (*Def. Decl.*, edit. Lebel 1817, tom. 32, p. 604.)—Quamvis ex dictâ assertione Bossuetii non fluant supra enumerata infanda consectaria, ex eâ tamen sequitur æquè necessarios esse Ecclesiæ parochos ac sunt Episcopi, cùm utrique sint pariter à Christo instituti.

Contra illos errores statuendæ sunt propositiones sequentes :

1295. ***Propositio* 1.—Parochi non sunt institutionis divinæ, nec 72 discipulorum successores.**

Propositio constat ex dictis supra (330); vide insuper D. Bouix (*ib.*, 22-75).—Dicitur quidem in Epistolâ ad Timoth. (c. 5 v. 17) : « Qui benè præsunt presbyteri duplici honore
» digni habeantur; » et ad Titum (c. 1, v. 5) : « Et constituas
» per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. » Sed gratis asseritur in his textibus agi de parochis; eruditis enim compertum est in remotissimâ illâ antiquitate voce *presbyteri* designatos fuisse Episcopos; et quamvis Episcopi

in præfatis verbis non significarentur, remaneret probandum quòd in iisdem agatur de parochis. Parochi ergo non sunt institutionis divinæ. Ergo sunt tantùm de jure ecclesiastico (Bouix, *ibid.*, p. 80).

Frustrà objiceretur eos esse institutionis divinæ cùm illorum ministerium sit Ecclesiæ necessarium. Nam etsi spiritualis seu pastoralis animarum cura sit in Ecclesiâ necessaria, hæc tamen aliter quàm per parochos exerceri potest: possent enim illam exercere Episcopi, vel per seipsos, vel per meros delegatos, ut de facto contigit prioribus Ecclesiæ sæculis, quod nunc est demonstrandum[1]:

1296. *Propositio* 2. — Parochi non exstitère in parochiis ruralibus nisi circa IV sæculum, et in civitatibus (Româ fortè et Alexandriâ exceptis) ante annum 1000.

Hoc hodiè pro comperto habetur apud eruditos, et constat innumeris testimoniis à Thomassino et à Mario Lupo Bergamensi coacervatis, quorum tantùm quædam seligimus:

1° Legitur in Apologeticâ 2ª S. Justini: « Solis die (scilicet Dominicâ), omnium qui in urbibus vel agris degunt, » in eumden locum conventus fit... Præpositus præest, » et Eucharistiam facit... Distributio fit cuique præsenti: » absentibus per Diaconos mittitur. » Certè ibi duntaxat erat parochia, ubi solùm celebrabantur mysteria et administrabantur sacramenta; atqui tempore S. Justini, scilicet secundo sæculo, non in singulis locis, sed in uno tantùm celebrabantur mysteria sacra, ubi nempè erat Præpositus seu Episcopus, et in eo loco sacramenta administrabantur. Ergo ibi erat tantùm parochia seu potiùs Caput diœcesis. Ergo præter diœcesim nullæ tunc erant parochiæ.

« Parochiæ, inquit Ferraris (vº *Parochia*, nº 7), anti-

[1] Etsi parochi non sint institutionis divinæ, sunt tamen institutionis ecclesiasticæ, et sub hoc titulo annexas habent sibi prærogativas ab Ecclesiâ concessas. Episcopus ergo hodie non posset efficere ut parochus ritè institutus nullâque censurâ innodatus, non haberet jus munia pastoralia obeundi, aut ut ita jurisdictio ipsius imminueretur ut ferè inanis remaneret. Sic Bened. XIV (*de Syn.*, lib. 5, cap. 4, nº 3).

» quibùs non erant distinctæ, sed Episcopus curam ani» marum totius diœcesis, per sacerdotes pro suo libitu » missos et ad nutum amovibiles, administrabat. » Illud constat ex textu Tertulliani supra relato (330).

« Primis illis initiis, solus vulgò baptizabat Episcopus, » solus altaribus pœnitentes reconciliabat, solus offerebat, » nisi quem ex presbyteris suum substitueret in locum » et offerre juberet. Quare et in maximis quibusque urbi» bus una erat tantùm ecclesia, fons unus baptismalis. » Thomassinus à Cardin. Gerdil. citatus, ap. Bouix (*ibid.*, p. 114).

2° In Capitulari Theodulphi Aurelianensis Episcopi anno 797, hæc statuuntur, cap. 1 : « Sancitum est ut missæ » quæ per dies dominicas *peculiares à sacerdotibus fiunt*, » *non ita in publico fiant ut populus audire queat*... ut om» nes ad publicam sanctam matrem Ecclesiam, ad missa» rum solemnia et prædicationem audituri, conveniant. » Vide etiam cap. 9, apud D. Bouix (*De Parocho*, p. 21).

Thesis adhuc probatur ex eo quòd vox *parochia*, à quarto circiter sæculo, ubi cœpit adhiberi non tantùm pro designandis integris diœcesibus, sed etiam earum quibusdam partibus, constanter usurpetur in variis traditionis monumentis pro significandis non urbanis sed ruralibus parochiis. Ergo parochiæ tunc non in urbibus, sed rure tantùm erant. Ex multis hujusmodi testimoniis unum aut alterum proferamus; in canone 15 Concilii Arvernensis anni 535, sic legitur : « Si quis ex presbyteris aut diaconis » qui neque *in civitate neque in parochiis* canonicus esse » dignoscitur..., etc. » Ergo tunc *parochiæ* à civitatibus distinguebantur.

Item in Capitulari Theodulphi Aurelianensis modò citato : « Nulli liceat... tam in *civitatibus* quàm in *parochiis*, » edere vel bibere ante publicum peractum officium. » Ergo iterum parochiæ non erant in civitatibus, sed ruri tantùm :

1297. « Urbanarum parochiarum primum indicium ac » veluti lineamenta quædam... adhuc prorsus imperfecta » in urbe, ex Concilio Lemovicensi anni 1032 depre-

» hendere putavit Marius Lupus, » inquit Bouix, *ibid.*, p. 41.

1298. Diximus *Româ fortè et Alexandriâ exceptis;* nam « Epiphanius.... dum..... historiam Arii describit, quid» dam de urbe Alexandrinâ tanquam ei *peculiare*, aut » certè *propter raritatem* memoriâ dignum, fuisse plures » in eâ ecclesias, quibus regendis presbyteri præponeban» tur, qui ecclesiastica munera præstarent iis qui circa » unamquamque domicilium haberent. » Ita Petavius, ap. D. Bouix (*ib.*, p. 39). Porrò incertum est utrum præfatæ ecclesiæ Alexandrinæ, sicut pariter varii tituli Romæ existentes, essent veræ parochiæ; et insuper hoc erat *peculiare Alexandriæ*, juxta S. Epiphanium. Ergo nihil inde potest concludi in gratiam aliarum ecclesiarum.

Nihil contrà thesim argui potest ex eo quòd primitùs, non erat solitum ordinare presbyteros nisi alicui titulo seu ecclesiæ affigerentur. — Nam, ait D. Bouix (*ib.*, p. 110), « Cathedralis Ecclesiæ presbyteri et diaconi, id est Canonici, » nonnisi ad titulum Episcopalis Ecclesiæ... ordinabantur, » et tamen nequaquam erant parochi, » ut nunc est demonstrandum. Ergo, etc.

1299. *Propositio* 3. — Parochi non erant sacerdotes ex quibus coalescebat presbyterium in antiquis monumentis sæpè memoratum.

Illud probatur ex eo quòd antiquum *presbyterium* nihil eorum faciebat quæ ad veros parochos pertinent; parochi enim, prout infra dicemus (1307, 1308), sunt et esse debent sacerdotes quibus competit determinato populo dispensare proprio nomine verbum Dei et Ecclesiæ sacramenta; porrò talibus non constabat vetus presbyterium, sed tantùm presbyteris et diaconis quibus utebatur Episcopus in diœcesis regimine, qui vices ipsius supplebant, non pro curâ alicujus sibi commissæ populi portionis, sed pro totâ universim diœcesi; quos, modò hunc, modò illum, pro arbitrio suo et prudentiâ deputabat Antistes ad tale aut tale officium; qui nec etiam baptizare aut missam celebrare poterant absque Prælati consensu: id expressè

declarat S. Ignatius in suâ epistolâ ad Smyrnæos, n° 8 : « Sinè Episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad » Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habetur illa quæ » sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit... Non licet » sinè Episcopo baptizare, nec agapem celebrare. » Apud D. Bouix, *ib.*, p. 75.) Ergo, etc.

1300. *Propositio* 4. — Nullo modo dici potest parochos, jure divino, conflare tertium ordinem hierarchicum.

Vel enim agitur de hierarchiâ ordinis vel de hierarchiâ jurisdictionis. Si priùs : parochi quidem quatenus sacerdotes, sunt jure divino, non in tertio sed in secundo gradu hujusmodi hierarchiæ, quæ ex Concilio Tridentino (sess 23, can. 6), *constat Episcopis, presbyteris et ministris*; sed ad eam *quatenus parochi* non pertinent, ut patet.

Si posterius : nullo modo conflant, *jure divino*, talem imaginarium tertium gradum, cùm ex propositione 1ª (1295) non sint ex *jure divino*, sed tantùm Ecclesiastico. Ergo, etc.

1301. *Propositio* 5. — Parochi non sunt judices fidei, nec habent vocem definitivam in Conciliis.

Hoc privilegium parochis tribuebat Gerson, ut supra diximus (1288), cujus error à Gallicanis imò à prioribus Jansenistis primùm rejectus, posteà tamen, præsertim in Synodo Pistoriensi recruduit. Confutatur autem in variis tractatibus de Ecclesiâ, ad quos remittimus. Sufficiat hìc referre duntaxat nm 10 Bullæ *Auctorem fidei* :

« Item doctrina quâ parochi aliive sacerdotes in Synodo » congregati pronuntiantur unà cum Episcopo Judices » fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis » competere jure proprio, et quidem etiam per ordina- » tionem accepto : *falsa, temeraria, ordinis hierarchici* » *subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve* » *dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.* » Vide etiam n^is 9 et 11. Unde in Conciliis œcumenicis Ephesino I et Chalcedonensi dicebatur : « *Superfluos foras mittite* »

» Synodus Episcoporum est, *non clericorum.* » (Bouix, *De Parocho*, p. 115-123.)

Propositio 6. — Parochus nullam habet jurisdictionem in foro externo.

1302. Ita S. Liguor., lib. 7, n° 107. Si enim hanc haberet, esset vel ex *jure divino*, aut *naturali* aut *ecclesiastico*: porrò non ex *jure divino*, cùm parochi non sint institutionis divinæ (1295); nec ex *jure naturali*, cùm natura functionum parochi non exigat hujusmodi juridictionem, pro cujus exercitio sufficit auctoritas Episcopalis; nec ex *jure ecclesiastico*, cùm (hodie saltem) talem externam jurisdictionem Ecclesia in parochis non agnoscat, ut fatentur ipsimet adversarii.

Ex dictis plura sequuntur Corollaria:

1303. *Corollarium I.* Ergo parochi, saltem in statu præsenti Ecclesiæ, non habent potestatem excommunicandi vel alias censuras ferendi : si quidem ad hoc requiritur jurisdictio in foro externo quam parochi non habent.

Utrum verò parochi hanc aliquando habuerint jure proprio et ex officio potestatem, affirmant Parochistæ, et cum eis etiam Thomassinus (pars 1, lib. 2, cap. 26, n° 7, et alibi). Vide Bouix, *ibid.*, p. 129, etc. — Sed varii textus ab ipsis allegati non benè illud probant, cùm intelligi possint vel de non curatis, vel de casu specialis delegationis, vel aliquo alio modo vim probandi auferente. — Vide Bouix, *ibid.*, p. 127, 148.

1304. *Corollarium II.* Ergo parochi non sunt *propriè Prælati* etiam *minores*, nec *Dignitates*. Prælati enim propriè dicti, etiam minores, habere debent saltem jurisdictionem fori externi et contentiosi (Vide Ferraris et Fagnan., ap. Bouix, *ibid.*, p. 168, etc.). Idem est dicendum de Dignitatibus quibus etiam annecti debet jurisdictio externa, vel saltem tales haberi debent a lege vel legitimâ consuetudine, quod locum non habet pro parochis. Ergo, etc. (*ibid*, p. 173). — An verò parochus sit *Personatus*, vide ap. eumdem (p. 174).

1305. *Corollarium III.* Ergo parochi non sunt proprio

et rigoroso sensu *Pastores*, quia per hanc vocem propriè illi designantur qui habent jurisdictionem legislativam et propriè dictam, ut constat ex Christi verbis, apud Joannem (cap. 21, v. 15): « *Pasce oves meas, pasce agnos meos ;* » et verbis Act. Apostol. (cap. 20, v. 28) : « *Attendite vobis*, etc., » ubi vox *regere* idem est in Græco ac vox *pascere* adhibita in textu præfato S. Joannis (vide ap. Bouix, *ibid.*, p. 151-168). Porrò illa jurisdictio est fori externi ; proinde differt à jurisdictione parochi. Ergo, etc.

Attamen parochi, etsi hoc antiquitùs ferè inusitatum fuerit, sæpe hodie, saltem in sensu minus stricto, vocantur *Pastores*, nempè secundi ordinis; vide Concil. Trident. (sess. 25, cap. 12), ubi : « Hortatur omnes et singulos, pro » christianâ charitate, debitoque erga suos *Pastores* munere, » ut de bonis sibi à Deo collatis, *Episcopis* et *Parochis*... » largè subvenire ad Dei laudem atque *Pastorum suorum*... » dignitatem tuendam, etc. » Vide etiam *Pontificale* in ultimâ allocutione ad Synodum (*Prælect. S. Sulpitii*, n° 206).

§ II.

De verâ notione parochi.

1306. Cùm institutionis ecclesiasticæ sit tantùm parochus, non ex verbo Dei aut jure naturali, sed duntaxat ex legibus ecclesiasticis aut legitimis consuetudinibus, determinari potest quid præcisè ille sit. Porrò nullus in toto corpore juris occurit specialis titulus *de Officio parochi*, undè ad communem DD. existimationem, nec non ad Rotæ et Congregationum Romanarum decisiones recurrendum est et recurrere solent canonistæ.

1307. Sic recensentur requisita ad *parochiatum* in causâ *Egitaniensi*, 27 jun. 1789 (Thes., tom. 58, p. 137) : « Hæc » verò requiruntur ut verus quis dicatur parochus : quòd » potestatem nempè habeat fori pœnitentialis : quòd certam suo nomine administret parochiam : quòdque de » necessitate ministret, ab eoque parochiani necessariò » recipiant sacramenta. »

1308. Exhinc, juxta Bouix (*ibid.*, p. 184), definiri

potest parochus : « Legitimè deputatus ad ministrandum ex » obligatione et proprio nomine, verbum Dei et sacramenta » certo diœcesanorum numero, qui ab eodem vicissim » sacra recipere aliquatenus teneantur. » Unde eo ipso quòd quis instituitur parochus, habet jurisdictionem ordinariam in foro interno et potest absolvere si sit sacerdos. Ita omnes (*ibid.*, p. 228).

1309. Vox autem *parochiæ* duplici sensu accipitur : vel pro designandâ sacrâ æde, et sic est *ecclesia cui adscriptus est certus populus à rectore ejusdem ecclesiæ tanquam parocho curandus*; vel pro significandâ parochianorum collectione, et in hoc sensu, *est certa diœcesis incolarum pars, alicui tanquàm parocho subjecta* (Bouix, *ibid.*, p. 184). Dicit verò Ferraris (v° *Parochia*, n° 3) : « *Parochia* strictè et pro» priè sumpta est certus territorii districtus, per Papam » vel Episcopum determinatus, habens unum rectorem » stabilem cum potestate populum ibidem existentem » regendi et judicandi, eique sacramenta aliaque divina » administrandi. » Ut autem hæc definitio sit legitima, intelligi debet *potestas regendi et judicandi de foro interno.* Vide eumdem (v° *Parochus*, art. 1, n° 30), et in quantùm dicit : *habens rectorem stabilem*, hoc procedit ex eo quòd definiat : *Parochiam strictè sumptam.*

1310. « Juri canonico non repugnat ut constituatur ali» qua parochia per certarum duntaxat familiarum assigna» tionem... et tanquam canonicam à S. Congr. Concil. » haberi eam formam, patet ex variis causis in Thesauro » resolutionum relatis. » (Bouix, *ibid.*, p. 269.) Sed illas parœcias non fuisse admissas in Galliâ dicit Durand de Maillane, ap. Lequeux, 370, in notâ.

1311. Cura animarum : vel est superior et plena, qualis competit S. Pontifici et Episcopis, et sic etiam includit potestatem in foro externo; vel est inferior et partialis, et sic non extenditur ad ea quæ sunt fori externi, sed ad ea quæ fori interni sunt restringitur; ista duntaxat parochis competit. Verumtamen quando de curâ animarum fit sermo absque addito, communiter in hoc posteriori sensu potiùs accipitur quàm in priori.

1312. Cura animarum dividitur adhuc in *habitualem* et *actualem*: ille dicitur curam duntaxat *habitualem* habere, qui eam non exercens nec etiam valens exercere, debet tamen providere ut per alium exerceatur, prout evenit quando Capitulo *annexa* est cura animarum. *Actualem* verò habet qui de facto eam exercendi jus possidet. Cura *habitualis* non sufficit ut quis *verus* dicatur *parochus*: quippè nec etiam jus confert administrandi quæ sunt necessaria ad salutem. « Exploratum in jure est... dum erigitur vicaria perpetua, habitualem curam residere quidem penès Capitulum, at actualem sive illius exercitium transferri omnimodè in Vicarium perpetuum. Hinc nullo modo potest principalis, spreto Vicario, se ingerere curæ animarum. » (Thesaur. res. S. Cong. C., t. 80, p. 161 et 262.) Sufficit verò cura *actualis*, etsi hanc possidens *Vicarii nomine* nuncupetur, cùm jus habeat ex officio *suo* ea præstandi quæ ad parochum pertinent, et sit potiùs nomine quàm re vicarius parochi habitualis : « nam exercere curam nomine alicujus qui jus non habet in exercitio curæ se immiscendi (prout Capitulum) est reverà illam exercere independenter ab eo; » proinde « non eam exercere tanquam ipsius Vicarius. » (Bouix, *De Parocho*, p. 200.)

1313. Quærit. 1° Utrum unius parochiæ plures simul valeant esse veri parochi?

Resp. Pluralitatem parochorum non videre absolutè repugnare essentiæ parochiatûs. Si verò quæratur an de facto, aliquâ generali lege, præfata pluralitas, in unâ eâdemque parochiâ sit interdicta, quæstio controvertitur. — Certum tamen videtur quòd sint exceptiones admittendæ, ut constat ex pluribus Declarat. S. Congr. Concilii quæ legi possunt ap. D. Bouix (*ib.*, p. 198). In causâ autem *Sutrinâ* 16 jun. 1791, sic dicitur : « Licet unicam *parochi duo* regere valeant ecclesiam, distincti tamen censentur ubi separatum habent gregem. » Vide etiam Concil. Trident. (sess. 24 c. 18) ubi dicitur : « In ecclesiis *patrimonialibus*... consuevit Episcopus uni *vel pluribus* curam animarum dare. » Vide textus in contrarium relatos à Ferrario, v° *Parochia*, n° 14.

1314. Quærit. 2° Utrum perpetuitas sit de essentiâ parochiatûs?

Observandum est officium dici *perpetuum,* quando auferri nequit nisi judicialiter et ex causis in jure determinatis; *manuale* verò seu *revocabile* nuncupari, quando absque formâ judicii potest retrahi. His prænotatis :

Resp. Negativè : si enim perpetuitas requireretur ut quis verus censeretur parochus, esset, vel ratione officii, vel ratione beneficii : atqui neutrum dici potest; non prius : nam presbyter, etsi deputetur ad *nutum* Episcopi, nihilominus deputari potest ad ministrandum ex *obligatione et proprio nomine verbum Dei*, etc., prout facere debet verus parochus (1307, 1308); proindè in eo inveniri possunt omnes conditiones quæ in vero parocho possunt desiderari : hinc quoties à S. Congr. quæritur nùm curati ad nutum amovibiles astringantur iisdem obligationibus ac parochi propriè dicti, S. Congr. respondet *affirmativè,* modò proprio nomine curam actualem exerceant, et cura actualis non resideat apud alterum cujus sunt duntaxat vicarii.

1315. Nec etiam posterius dici potest : ad hoc sufficit quòd parochus possit creari vel sinè beneficio, vel cum beneficio non perpetuo ; atqui res ità se habet : 1° regulariter quidem erigi non debet ecclesia parochialis quin provideatur aliquo modo sustentationi parochi, sed illi diversimodè potest provideri; nempe, vel per portionem congruam ex bonis ecclesiæ matricis solvendam, vel per subventionem annuam à parochianis præstandam, vel aliâ aliquâ ratione quæ decentem et certam procuret parocho sustentationem ; imò, juxta Fagnan. : « Si neque id fieri » possit, et egestate omnes laborent, novus parochus, » propriis manibus ex artificio victum sibi quærat (Cap. » *Clericus*, 1 et 2, distinct. 91) et sic dabitur casus in quo » parochialis ecclesia construi poterit sinè dote. » (In cap. *Ad audientiam*, *de ecclesiis ædific.*, n° 6, etc.) — Ergo parochus absolutè potest creari sinè beneficio; — 2° potest creari sinè beneficio perpetuo : nulla enim lex, quæ hoc prohibeat, citari potest; certum est insuper beneficia cu-

rata regularia esse ordinariè manualia; imò juxta plurium canonistarum sententiam, etiam manualia sunt beneficia sæcularia curata, si ita cautum fuit in fundatione, aut à S. Sede dispositum, aut per legitimam præscriptionem obtentum. Vide dicenda infra (5377).

Et quòd de facto exstiterint et hodiedum exstent ejusmodi manualia beneficia etiam curam animarum sibi annexam habentia, perspectum habebit qui vel obiter pervolverit Thesaurum resolutionum S. Congr. Conc. Ita Bouix (*De Parocho*, p. 201-209). Ergo sinè beneficio perpetuo creari potest parochus. Ergo, etc.

1316. Quærit. 3° An parochorum amovibilitas contraria sit sacris canonibus?

Resp. Revocabiles esse possunt parochi vel ad nutum Ordinariorum, vel ad nutum parochorum principalium, nempe Capitulorum, monasteriorum aliorumve similium: hàc distinctione factâ, variis documentis ostendit D. Bouix, aliquatenus quidem canones repugnare revocabilitati ex parte parochorum principalium: nullatenùs verò revocabilitati ex parte Ordinariorum, imò à Synodo Tridentinâ supponi ab Episcopo constitui posse parochos ad ejus nutum revocabiles. Sic enim habet S. Synodus (sess. 7, c. 7): « Sollicitè providere procurent (Episcopi) ut per idoneos » Vicarios, *etiam perpetuos, nisi ipsis pro bono ecclesiarum* » *regimine aliter expedire videbitur.* » Capit. verò 11, sess. 25, *de Regul.*, *loquendo de domibus religiosis quibus imminet animarum cura personarum sæcularium dicit*: « necibi aliqui etiam *ad nutum revocabiles* deputentur, « nisi de ejusdem (Episcopi) consensu. »

Et de facto, in diœcesi Hispalensi in Hispaniâ, Archiepiscopus erat olim in possessione removendi ad nutum omnes curatos, ut videre est ap. D. Bouix (*ib.*, p. 410), et hoc pariter in pluribus aliis locis etiam in Italiâ, ut asseritur in *Analectis jur. pontif.*, sept. 1855, col. 1609, 1627, etc.

Re quidem verâ (sess. 24, cap. 13, *de ref.*): « Mandat » S. Synodus (Trid.) Episcopis pro tutiori animarum sa- » lute, ut, distincto populo in certas propriasque parochias,

» unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum » assignent. »—Sed statim addit : « *Aut alio utiliori modo*, » *prout loci qualitas exegerit, provideant.* » Quibus verbis totius negotii decisio relinquitur judicio Episcoporum. Ergo , etc.

Textus juris in contrarium allegati (Vide supra 552) unicè probant beneficia esse regulariter perpetua quando aliunde manualia esse non constat (Vide Bouix, *ibid*, p. 209-227.)

1317. Nota hic quòd : « Papa beneficiatum, etiam » sinè causâ, privare potest beneficio (Garcias, pars 5, c. 1, » § 2, addens hinc omnia beneficia respectu Papæ esse ma- » nualia). » Ap. Bouix, *ib.*, p. 341.—Pro Episcopis verò relege, si lubet, quæ diximus supra (549-550).

1318. Quærit. 4° An parochi quales sunt hodiè in Galliâ sint verè et propriè dicti parochi ?

Pro solutione hujus dubii quædam sunt præmittenda : veteres diœceses et parœciæ in Galliâ suppressæ fuêre per Concordatum, seu potiùs per Bullam *Qui Christi Domini* Pii VII, anno 1801 : ex Concordato autem novæ parœciæ non erant erigendæ nisi concurrente simul utrâque potestate, ecclesiasticâ scilicet et civili ; nam hæc statuuntur in præfato Concordato : « Art. 9. Episcopi in suâ quisque » diœcesi novas parœcias circumscribent : quæ circums- » criptio suum non sortietur effectum nisi postquam Gu- » bernii consensus accesserit. »

Porrò cùm Episcoporum consensu executioni mandata fuerit Legis Organicæ dispositio statuens : « Art. 60. Il » y aura au moins une paroisse par justice de paix ; il » sera en outre établi autant de succursales que le besoin » pourra l'exiger. — Art. 61. Chaque Évêque, de concert » avec le Préfet, règlera le nombre et l'étendue des suc- » cursales ; » indè evenit quòd duplex genus parochorum exstiterint apud nos ; videlicet : qui parœciis præfecti fuerunt et inamovibiles recogniti sunt ab utrâque potestate ; et parochi qui succursalibus vel capellaniis fuerunt præpositi, *deservitores* nempè, seu *succursalistæ* aut capellani, qui ad *nutum* revocabiles instituti fuêre ab Episcopis, etsi cum

ordinariâ, et a parochis propriè dictis independente potestate; deputati enim fuêre cum clausulâ *ad beneplacitum*, vel expressâ, vel saltem subintellectâ, et amovibiles semper habiti fuerunt à potestate sæculari (32 art. organ.).

Re quidem verâ, ex art. 31 legis organicæ : « Ces vicaires et desservants exerceront leur ministère sous » la surveillance et la direction des curés ; » sed hæc legis dispositio, vi cujus succursalistæ et capellani non essent nisi vicarii parochorum, non admissa fuit ab Episcopis, et ipsummet Gubernium suum articulum intellectum voluit eò sensu qui modo agendi Episcoporum consonaret, ut videre est in Epistolâ D. Portalis (25 therm. an X). Vide Lequeux (n° 373).

1319. Succursales ergo, imò et capellaniæ rurales non habendæ sunt apud nos hodie veluti pars parœciæ principalis, prout olim erant, et prout adhuc sunt extra Galliam; quædam tamen diœceses, etiam hodie in Galliâ, sunt fortè excipiendæ (V. Lequeux, n° 371).

Sunt ergo apud nos parochi duplicis speciei, inamovibiles et amovibiles, et quæritur utrum sint omnes veri et propriè dicti parochi?

Resp. 1° Parochos inamovibiles esse veros et, in sensu juris, propriè dictos parochos; nullamque de hoc moveri difficultatem.

2° Deservitores, licet amovibiles, veros etiam parochos esse, et veluti tales haberi debere : nam ipsis cura animarum proprio nomine exercenda committitur; tenenturque ipsi ex officio sacramenta ministrare suis parochianis, qui vicissim ad ipsos recurrere debent in omnibus casibus quibus parochiani adire suum parochum tenentur. Ergo, etc.

Revera non sunt perpetui, sed, ut supra vidimus, non necessariò parochus est perpetuus (1314-1314).

1320. Quærit. 5° An Episcopus possit, absque indulto pontificio, deservitores reddere inamovibiles?

Vide solutionem hujus dubii supra (340).

Omnes autem DD. concordant in admittendo quòd Episcopi, ex Concilio Tridentino, valeant, absque interventu Papæ, mutare in perpetuos vicarios parœciarum capitulis,

collegiis et monasteriis unitarum (Sess. 7, cap. 7, *de reformatione*).

§ III.

De canonicâ formatione et suppressione parochiarum.

1321. De formatione parochiarum satis diximus supra (336-369), ubi tractavimus de creatione, dismembratione et unione beneficiorum. Liceat hìc addere tantùm quædam circa formationem parochiarum cum jure patronatûs constitutarum, et circa earum generaliter sumptarum alterationem et suppressionem.

PUNCTUM I.

DE FORMATIONE PAROCHIARUM CUM JURE PATRONATUS.

1322. Jus Patronatûs in eo consistit quòd, vacante beneficio, novum quem maluerit rectorem possit patronus præsentare Episcopo, qui illi debet institutionem conferre nisi obstet ratio canonica.

Triplici modo solet acquiri jus patronatûs, nempe : 1° per *fundationem* seu concessionem fundi pro ecclesiâ ædificandâ ; 2° per illius constructionem ; 3° per illius dotationem. Acquiri etiam potest extraordinariè, nempe per consuetudinem et præscriptionem.

Ejusdem ecclesiæ vel beneficii plures esse possunt patroni, ut, v. g. quando unus fundum dedit, alter exstruxit, tertius dotavit; et tunc sunt patroni *in solidum* et cum æquali jure, quamvis unus plus cæteris erogaverit Ita Leuren. (apud D. Bouix, *De Parocho*, p. 297).

Ad obtinendum jus patronatûs, omninò necessarius est consensus Ordinarii, prout colligitur ex cap. *Nobis*, *de jure patronatûs*. Sufficit consensus tacitus, et hoc jus concedi potest, sede vacante. Vide infra (5401).

Si noluerit Ordinarius consensum præstare, recurri potest ad ipsius superiorem. Ita Leuren., apud D. Bouix (*ib.*, p. 298 et 299). Vide infra dicenda (5521).

PUNCTUM II.

DE PAROCHIARUM ALTERATIONE ET SUPPRESSIONE.

1323. — 1° Alterari dicitur beneficium quando ita mutatur ejus status ut desinat esse ejusdem speciei.

Solus Papa potest mutare aliquam ecclesiam parochialem in Cathedralem, vel in Collegiatam, vel regularem in sæcularem, et sæcularem in regularem. Ita Leuren., apud Bouix, *ib.*, p. 299.

Episcopus potestate suâ ordinariâ mutare potest ecclesiam simplicem in curatam, non tamen vice versâ, quia id ei inhibetur à Trident. (Sess. 25, cap. 16). Idem Leuren. (*ib.*) asserit de mutatione ecclesiæ succursalis in parochiam strictè dictam. Vide supra (340, 1320).

1324. — 2° Suppressio est extinctio tituli beneficialis, cujus fructus si exstent aliis beneficiis aut locis piis applicantur; potest autem Episcopus tum ecclesiam parochialem tum cætera beneficia supprimere iis in casibus quibus ea potest unire *accessoriè*, quippe illa unio non fit sinè suppressione. Ita Leuren., ap. Bouix (*ib.*, p. 299 et 300). Vide dicta supra (360-367).

§ IV.

De canonicâ normâ parochos instituendi et removendi.

1325. Quærit. 1° Quis valeat parochos instituere?

Resp. Huic quæstioni satisfecimus supra (451, 455). Sufficiat ergo hìc quædam adjicere pro parœciis quæ sunt sub patronatu.

In hujusmodi parœciis certum est nullum posse institui rectorem nisi per patronum sit præsentatus ei ad quem spectat institutio. Ut autem valeat præsentatio debet à præsentato acceptari, et si plures præsententur, habent tantùm jus ut unus ex ipsis acceptetur. Is ad quem pertinet institutio, debet præsentationem factam acceptare non absolutè, sed cum formulâ conditionali *si* et *quantùm*, id est si

et quantum de jure admitti debeat, ac præsentanti jus competat et præsentato nihil de jure objici possit. Si verò rejiciatur præsentatio legitimè facta, appellari potest ad superiorem rejicientis. Si patronus intra debitum tempus non præsentet, vel si indignum præsentet, collatio ad superiorem devolvitur. Ita Leuren., ap. Bouix (*ib.*, p. 303 et 314).

Omninò necessaria est institutio ut quis efficiatur legitimus rector parochiæ juris patronatûs.

Ad Episcopum seu Ordinarium, de jure communi pertinet instituere omnes à patronis præsentatos ad beneficia suæ diœcesis. Idem potest Capitulum et deinde Vicarius Capitularis, Sede vacante. Item potest instituere Vicarius Generalis, etiam ex generali commissione sui Officii.

1326. Præviè ad institutionem, examen super instituendi idoneitate fieri debet à locorum Ordinariis, etsi institutio fieret à Nuntiis S. Sedis (Concil. Trident., sess. 7, c. 13, et sess. 25, c. 9). Item Ordinarii approbatio prævia est necessaria.

Non debet ultra semestre protrahi institutio, et antequam ipsa fiat, publicari debet edictum quo citantur omnes interesse habentes; secus omninò irrita est institutio. — Leuren., apud Bouix (*De Parocho*, p. 305-307).

1327. Quærit. 2° Quænam dotes requirantur in promovendis ad officium parochiale?

Resp. Etsi quæ supra diximus (466-489) sufficere possint, nobis tamen utile videtur hîc transcribere ex Leurenio sequentia circa requisitam scientiam: requiritur, inquit, « ut tales (promovendi) sciant inter peccata distinguere, » Evangelium declarare, sacramenta ritè administrare » (Trident., sess. 24, c. 18, *de reform.*), adeoque major in » iis requiritur scientia quàm in simplici sacerdote. » *Forum benefic.*, p. 1, q. 246. — Necesse verò non est quòd sint doctores vel licentiati (Bouix, *ibid.*, p. 334).

1328. Quærit. 3° A quo momento parochus jus habeat ad emolumenta suo officio assignata?

Vide solutionem hujus dubii infra (5416).

Quousque verò parochus translatus fructus ecclesiæ à

quâ discedit, possit percipere, vide supra dicta (533). Quomodo insuper fructus beneficii sint dividendi inter parochum parochiam relinquentem (aut ipsius hæredes), et parochum eamdem ingredientem, vide discussum in numeris (535-538).

1329. Quærit. 4° Quâ formâ constituendi sint parochi?

Resp. Juxta Concilium Tridentinum (sess. 24, c. 18, *de reform.*), instituendus est concursus in quo examinandi sunt candidati, et digniori reperto parochia est conferenda. Pro tempore et formâ hujus concursûs et examinis, pro adhibendis in eo examinatoribus, vide Concil. Trident. (loco citato) et insuper Constit. *In conferendis* S. Pii V, 16 maii 1567; Decretum S. C. Conc. 10 jan. 1721, à Clemente XI approbatum; et Constit. *Cùm illud* Benedicti XIV: — quæ omnia, saltem quoad substantiam, reperies apud D. Bouix (*De Parocho*, p. 335-348; et *De Episcopo*, tom. 2, p. 373. etc.).

In citatâ verò Constitutione *In conferendis*, § 3, S. Pius V nullas irritasque decernit « omnes et singulas collationes, » provisiones, institutiones et quasvis dispositiones paro- » chialium ecclesiarum, præter et contra formam ab eo- » dem Concilio Tridentino, præsertim in examine per » concursum faciendo, præscriptam, factas aut in futurum » faciendas. »

1330. Sunt tamen plures casus in quibus non est adhibendus prædictus concursus : videlicet : 1° quando instituendi sunt vicarii curati parochiarum unitarum, quales, v. g. Vicarii Curati Cathedralium. Ita decisum per Constitutionem S. Pii V *Ad exsequendum*, in quâ dicitur, § 4 : « Volumus insuper... quòd dicti vicarii perpetui non ad » liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem » illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, *cum ipso- » rum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum prævio exa- » mine et approbatione deputentur.* » (V° *Vicarius parochialis*, n[is] 31 et 32 apud Ferrar.)

Romæ tamen Vicarii Curati ecclesiarum etiam patriarchalium, legi concursûs à Leone XII subjecti fuêre per Constitutionem *Super immensam*, 17 maii 1826. Vide

Analecta, mars 1856, col. 2058. Eadem *Analecta*, sept. 1855, col. 1647, asserunt omnes vicarios perpetuos huic legi concursûs esse subjectos; sed quo fundamento nitantur, nullatenus indicant.

1331. — 2° Non est adhibendus quoad parochos ad nutum amovibiles, quia Concilium Tridentinum loquitur duntaxat de beneficiis curatis : porrò vox *beneficium*, sinè addito, intelligi debet de *perpetuis beneficiis*. Ita Sacra Congregatio Concilii, 12 julii 1619. Vid *Analecta*, sept. 1855, col. 1646.

1332. — 3° Item quando parochia est juris patronatûs laicalis, aut mixti, id est, quando inter patronos ecclesiasticos sunt etiam laici (Decis. à S. C. Conc., apud Benedictum XIV, *De Synodo*, lib. 1, c. 8, n° 9). Attamen præsentatus in hoc casu examinandus est à *Synodalibus Examinatoribus*, juxta Concilium Tridentinum (sess. 24, c. 18). Vide Card. Soglia, *Institut. jur. priv.*, § 28.

Adhibendus est autem concursus quando parochia est juris patronatûs ecclesiastici, et tunc patronus tenetur præsentare quem digniorem judicat ex illis qui ab examinatoribus synodalibus approbati sunt. — Vide Ferraris (v° *Parochia*, n^is 65-73).

1333.— 4° Non adhibendus est concursus « si adeo exi-
» gui redditûs dictæ parochiales fuerint, ut totius hujus
» examinationis operam non ferant, aut nemo sit qui se
» examini quærat subjicere; aut ob apertas factiones seu
» dissidia quæ in aliquibus locis reperiuntur, facilè gra-
» vioris rixæ ac tumultus possent excitari. » — (Concilium Tridentinum, sess. 24, c. 18.)

Tunc Ordinarius poterit : « si pro suâ conscientiâ, cum
» deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, privatum
» aliud examen, cæteris tamen ut supra servatis, adhibere. »
— (Trident., *ibid.*)

Vide alia apud D. Bouix.

1334. Quærit. 5° Utrum lex Tridentina circa *concursum* vigeat hodie in Galliâ ?

Resp. De facto hæc lex, à tempore Concordati 1801 usque ad præsentem diem, nunquam apud nos fuit obser-

vata; quæritur autem an reverà de jure in Galliâ non obliget? — D. Bouix, in suo tractatu *De Parocho* (p. 355-361), expendit varias rationes quæ pro et contra adduci possunt; et, sat clarè probato quòd neque à Concordato neque à consuetudine sublata fuerit prædicta lex in regionibus nostris, tandem sic concludit : « Expositis hinc inde » rationibus... fateor me non audere in re tam gravi quid» quam concludere. Unum duntaxat annotabo : nimirum » difficultates illas et pertimescenda incommoda, quæ in » causâ esse potuerunt cur, primis post Concordatum » temporibus, prætermissa fuerit concursûs forma, adhuc » etiam fortè ex parte perseverare : ut adeo mirum videri » non debeat, etiamnum retineri praxim illam, etsi fortè, » neque vi Concordati, neque vi consuetudinis satis tuta » existimetur. Certùm enim est non obligare legem eccle» siasticam, quæ vel nullo modo, vel nonnisi cum magno » incommodo et animarum detrimento, ob peculiares cir» cumstantias observari potest. » (*Ibid.*, p. 361.) — Vide etiam *Prælect. S. Sulpitii*, n[is] 213-214.

1335. Quærit. 6° Quomodo removendi sint parochi sive amovibiles, sive perpetui?

Resp. Pro solutione hujus dubii relegenda sunt supra dicta (553, 554, 563, etc.). De hoc iterùm sermonem faciemus, tractando de *degradatione*, *depositione* et *suspensione*. Vide infra (6337, 6353, 6570, etc.).

1336. Quærit. 7° Utrum et quandonam dandi sint coadjutores ei qui Officium parochi debitè non potest adimplere?

Resp. I. Per coadjutorem parochi, intelligitur sacerdos qui, Ordinarii auctoritate, ex causis à jure determinatis, deputatur ad auxiliandum parocho in exercitio curæ pastoralis. Ita D. Bouix (*ibid.*, p. 427). — Distinguitur a simplici vicario, quia iste, jure communi, assumitur à parocho ob nimiam populi multitudinem, aut ob alias causas; Coadjutor verò auctoritate Ordinarii deputandus est, quod fieri nequit nisi in casibus à jure determinatis.

1337. — II. Dandi sunt Coadjutores parochis etiam invitis, in pluribus casibus : videlicet : 1° quando ob peren-

nem corporis aut animi infirmitatem, parochiam suam regere nequeunt. Ita omnes. — Cùm enim infirmitas non sit motivum sufficiens amovendi parochum, et tamen parochiæ spirituali indigentiæ sit providendum, Episcopus non debet carere potestate necessariâ ut parochia detrimentum non patiatur. Ergo tunc Coadjutorem dare potest, cùm, in factâ hypothesi, sinè eo parochia detrimentum pateretur. Vide cap. *Ex parte*, et cap. *Pastoralis*, *de Clerico ægrotante*, apud Ferraris, v° *Coadjutor*, n° 11.

2° Ob defectum scientiæ requisitæ : « Quia, inquit Trident. (sess. 21, cap. 6), illiterati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minùs apti sunt officiis... » Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati » (proinde etiam erga parochos exemptos), eisdem illiteratis et imperitis, si aliàs honestæ vitæ sint, coadjutores » aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum » eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quâcumque appellatione et *exemptione* » remotâ. »

In casu autem parochi turpiter viventis, pœnis plecti debet ex eodem Concilio (*ibid.*); et, si interdicatur, cogendus est ut idoneum sibi constituat vicarium; quòd si nolit talem deligere, deputari debet ab Episcopo. — Vide infra dicenda (1518).

1338. — 3° Magna populi multitudo non est causa cur parocho dandus sit coadjutor, sed solùm cur parochus cogatur ad sibi adjungendum tot sacerdotes quot *sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum* (Concilium Tridentinum, sess. 21, c. 4). — Vide Leurenium, apud Bouix (*ibid.*, p. 428).

1339. Quærit. 8° Qualis coadjutor parocho sit dandus?

Resp. « Coadjutor, inquit Ferraris (v° *Coadjutor*, n° 18), » debet habere omnes qualitates de jure requisitas ad illud » officium pro quo datur. Sic expressè statuit Concilium » Tridentinum (sess. 25, c. 7). »

Nota quòd Episcopus, ex eodem Concilio (*ibid.*), nequeat dare parocho coadjutorem cum futurâ successione : tales coadjutores, juxta S. Synodum, dari possunt solum-

modò Episcopis et Abbatibus, *ob urgentem necessitatem aut evidentem utilitatem*. Recurrendum ergo esset ad S. Sedem, si parocho dari deberet coadjutor cum futurâ successione.

1340. Quærit. 9° Quænam congrua sit solvenda coadjutoribus, et à quo sit determinanda?

Resp. Vide solutionem hujus dubii supra (1059-1062).

1341. Quærit. 10° An à decreto Episcopi, coadjutorem parocho imponenti, liceat appellare?

Resp. Cum distinctione: 1° A decreto coadjutorem parocho imponenti ob causam infirmitatis animi aut corporis, licet appellare etiam ad effectum suspensivum, quia nulla lex, in tali casu, privat beneficio hujusmodi appellationis. — 2° A decreto imponenti parocho coadjutorem ob *imperitiæ* causam, licet quidem etiam appellare, sed ad devolutivum effectum duntaxat, quia per clausulam quâ utitur Synodus Tridentina loco supra citato, *quâcumque appellatione remotâ*, aufertur appellatio in suspensivo tantùm, non verò in devolutivo, ut omnes concedunt. Vide dicta supra (657).

1342. Quærit. 11° **Quid possit et ad quid teneatur parochi coadjutor?**

Resp. Cum D. Bouix (*De Parocho*, p. 438, etc.): « Si » parochus omninò inhabilis evaserit... ad coadjutorem » pertinet parochiam regere, perinde ac si ipse parochus » esset.

» Nequit coadjutor ea munia obire quæ coadjutus potest » et vult per seipsum explere.

» Impedito parocho, tenetur coadjutor supplere prout » requirit debita animarum cura. » — Vide Leurenium.

« Coadjutor requisitus à coadjuto ut aliquod munus pa- » rochiale obeat, tenetur id præstare, quamvis coadjutus » nequaquam impeditus illud ipsum posset ipse peragere. » — Vide Leurenium.

« Tam coadjutor quàm coadjutus... ad residentiam te- » nentur. Id traditur unanimiter à Canonistis et fuit à » S. Congr. Concilii decisum. »

§ V.

De parochorum juribus et prærogativis.

1343. Quæ in hoc paragrapho dicenda sunt, exceptis forsan quæ in primo puncto, intelligi debent non solùm de perpetuis, sed etiam de amovibilibus parochis. Ita Giraldus ex S. Cong. Concilii, 25 febr. 1706, apud *Analecta*, sept. 1855, col. 1638, n[is] 54 et 71.

PUNCTUM I.

DE JURE PAROCHORUM NOMINANDI ET AMOVENDI VICARIOS SEU COADJUTORES SUOS.

1344. Coadjutores parochorum duplicis generis sunt: alii nempe propriè dicti, de quibus sermo fuit in præcedenti § (1336-1342), quique ab Ordinario dandi sunt parocho propter perennem corporis aut animi infirmitatem, aut propter ipsius imperitiam; de his non est agendum in puncto præsenti. Sunt autem alii coadjutores minus strictè dicti, qui deputantur ad auxiliandum parocho, non ex eo quòd is sit infirmus aut imperitus, sed quòd ita numerosus sit populus ut parochus istius indigentiæ spirituali non valeat solus providere. Hæc classis coadjutorum, *vicariorum* nomine, in Galliâ præsertim nuncupari solet; de iis expendendum ad quem pertineat eorum nominatio vel remotio.

Quidam auctores, quorum præcipuè Corgne, in suo opere *Défense des droits des Evêques*, hujusmodi vicariorum nominationem Episcopis vindicant. Communiter verò Canonistæ illam parochis tribuunt, validissimis fulti momentis. *Analecta* tamen excipiunt curatos amovibiles (sept. 1855, col. 1645) et dictum jus reservant *parocho in habitu*. — Sic autem probatur communis DD. sententia :

1° In cap. 4, sess. 21 Conc. Trid. sic legitur : « Episcopi, » etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, in omnibus » ecclesiis parochialibus, vel baptismalibus, in quibus po- » pulus ita numerosus sit, ut unus rector non possit suf-

» ficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui » divino peragendo, *cogant rectores* vel alios ad quos » pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere » quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum di- » vinum celebrandum. » — Si autem vicarii nominarentur solâ auctoritate Episcopi, *cogi* non deberent parochi ad adjungendos sibi vicarios necessarios. Ergo non à solo Episcopo, sed à parocho nominandi sunt vicarii.

2° In suâ Constitutione *Apostolici muneris*, Innocentius XIII extirpare volens in Hispaniâ « nonnulla... salu- » berrimis.... Concilii Tridentini decretis *haudquaquam* » *consentanea*, » ait : « Quoties itaque oportuerit ex aliquâ » justâ causâ providere... per vicarios temporarios, curæ » erit Episcopis, pro datâ sibi à Tridentinâ Synodo potes- » tate, partem fructuum prædictis.... vicariis assignandam » determinare... Quod si parochi ab Episcopis moniti, » congruo iisdem termino præfixo, *coadjutores*, *sive vi-* » *carios temporales*, *quoties opus fuerit*, *assumere negle-* » *xerint*, poterunt ipsi Episcopi eos, quos huic muneri » idoneos censuerint, *auctoritate propriâ deputare.* » Hæc fuerunt confirmata à Bened. XIII per Constit. *In supremo.* Ergo, etc.

3° In gratiam ejusdem sententiæ producuntur variæ S. Concil. Congregat. declarationes, ut in causâ *Mediolanensi*, 26 apr. 1732 ; *Triventinâ*, 11 jan. 1706, quæ irritam habuit Vicarii deputationem ab Episcopo peractam, et mandavit ut Episcopus, juxta formam Concil. Trident. provideret. Vide Bouix (*De Parocho*, p. 450) ; Ferraris (v° *Vicarius parochialis*, n° 43) ; et innumera alia monumenta ap. *Analecta*, 45° livr., col. 855-899.

Constat ergo vicariorum nominationem jure communi ad parochos pertinere, quamvis isti possint ab Episcopo cogi ad illos sibi adjungendos, casu quo pastorali curæ non sufficiunt. Licet autem à parochis Vicarii nominentur, necessaria est adhuc Episcopi approbatio, non solùm pro audiendis confessionibus, sed etiam pro munere vicarii adimplendo.

1345. Quæritur nunc 1° An parochi habeant potestatem

removendi vicarios suos sinè causâ ab Episcopo approbatâ?

Resp. De hoc non omninò constare : pro affirmatione dici potest quòd, juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 12, n° 2), certum sit Capitulum, licet non sit parochus *nisi in habitu*, posse *Vicarium curatum* amovibilem, ad curæ exercitium deputatum, removere sinè causâ; ergo à pari, imò à fortiori, vicarium suum sinè causâ removere potest parochus qui non tantùm habitualem sed et actualem curam habet.

Pro sententiâ negante citantur à D. Bouix plures decisiones S. Congr. Conc. et imprimis ea quæ data fuit in causâ *Lunensi-Sarzanensi*, 2 sept. 1747, in quâ dicitur : « Duo sunt oppida in diœcesi Sarzanensi uni subjecta parocho : alterum Folli, alterum Bastremoli... Veteri consuetudine... receptum est ut parochus oppidum Folli incolat, in altero Bastremoli capellanum curatum retineat. Venit in mentem parocho capellanum hunc removendi; sed obstitit capellanus... ; obstitêre homines Bastremoli negantes parocho hoc jus, nullâ redditâ causâ et sinè cognitione Episcopi, etiam contendentes non posse eum parochiales functiones exercere in eodem oppido... Dubia duo proponuntur : 1° An liceat parocho Folli ad arbitrium removere capellanum curatum à terrâ Bastremoli ab ipso nominatum, etiam absque causâ ab Ordinario cognoscendâ; 2° an liceat eidem parocho Folli ad sui libitum explere omnes functiones parochiales in ecclesiâ, et... loco Bastremoli, ibique ad libitum residere... (Responsum fuit):—Ad 1^m *negativè; ad 2^m dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem.* »

Potuerunt verò esse peculiares rationes propter quas *negativè* ad primam quæstionem fuit responsum; proindè non constat præfatam declarationem habendam fore tanquam *regulam generalem.*

Relatis autem pro et contra variis argumentis, D. Bouix (*ib.*, p. 658) indecisam relinquit dubii solutionem; et nos pariter relinquimus.

1346. Quærit. 2° An Episcopus possit sinè causâ supradictos vicarios removere?

Resp. Certum est Episcopum posse eos removere ob culpam gravem, etiam extrajudicialiter. An autem id possit sinè causâ, videtur quòd non; chimerica enim esset potestas quam habent parochi nominandi tales vicarios si Episcopus statim valeret illos sinè causâ removere. Revera potest Episcopus revocare approbationem à se datam hujusmodi Vicariis, sed illud non valet sinè causâ rationabili. Vide Bouix (*ibid.*).

1347. Quærit. 3° Quid sit dicendum pro Galliâ?

Resp. A tempore Concordati 1801, Episcopi nostri vicarios quoscumque soli nominant et revocant; et hoc exigere videtur bonum religionis apud nos: etenim, cum sat raræ sint vocationes ad statum ecclesiasticum in Galliâ, coguntur nostri Præsules clericos absque patrimonii titulo ordinare; et cùm aliunde, nulla ferè existant beneficia præter parochias quibus præfici non decet sacerdotes recenter ordinatos, necesse est ut isti, tanquam vicarii, alicubi deputentur: sed ad hoc requiritur, ut patet, quòd Episcopi valeant vicarios nominare et destituere: alioquin plures sacerdotes à parochis rejicerentur, nec posset provideri eorum omnium sustentationi. Cæterùm praxis hæc Romæ, quæ tamen silet, non ignoratur, nec ipsi etiam reclamant parochi, optimè intelligentes rerum ecclesiasticarum apud nos angustias et indigentias. Vide Bouix, *De Parocho* (p. 659). Circa hanc quæstionem hærere videtur Auctor *Analectorum*, 45° liv., n° 125, col. 899.

PUNCTUM II.

DE JURE PAROCHI QUOAD SACRAMENTA.

1348. Jus habent parochi plura sacramenta parochianis suis conferendi: Baptismum videlicet, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, et Matrimonium benedicendi: hoc extra controversiam est; sed pro praxi plura hic sunt sigillatim explicanda, quæ ut benè intelligantur quædam notiones sunt præmittendæ circa *domicilium* et *habitationem*.

1349. Ex fidelibus qui sunt intra parochiam: 1° alii ha-

bent *domicilium strictè dictum;* id est hûc venerunt cum intentione manifestatâ ibi perpetuò commorandi si nihil avocaret, vel ibi decem annis manserunt, non manifestatâ intentione aliò remeandi. Vide Bouix, *De Judic.,* tom. 1, p. 272.

2° Alii habent *quasi-domicilium :* seu ibi manent cum intentione commorandi per notabile tempus, quale est major pars anni, et dicuntur *incolæ.*

3° Alii habitant temporaneè et dicuntur *advenæ* seu *peregrini*; vocantur autem *vagi* quando nullibi habent *domicilium* vel *quasi-domicilium.* Vide Lequeux (653).—Aliquis simul potest habere alicubi *domicilium* et alibi *quasi-domicilium*, aut *simplicem habitationem* : hoc patet ex præfatis definitionibus.

His præmissis, jura parochorum circa sacramentorum administrationem, sigillatim exponamus :

1350. — 1° *Quoad Baptismum* : tenentur parochiani pueros suos ad parochiam suam baptizandos deferre, et probabiliùs etiam ubi habent quasi-domicilium in quo actu habitant; graviterque peccant qui, absque licentiâ proprii parochi, in alienâ parochiâ baptismum fieri procurant. Qui verò nec *domicilium* nec *quasi-domicilium* habent, baptizari possunt ubi volunt. S. Liguor., lib. 6, n° 114.

Noviter ad fidem conversi, in parochiâ in quâ degunt, sunt etiam baptizandi.

Sacerdos qui extra casum necessitatis, infantem sinè proprii parochi licentiâ baptizat, mortaliter peccat, et incurrit censuras contra usurpantes jura aliarum ecclesiarum latas. Giraldi, ap. D. Bouix (*ib.*, p. 454). Sufficere potest licentia præsumpta. S. Liguor. (lib. 6, 115, not. II).

« Si mulier casu pariat in pago non suo, proles ab » illius pagi parocho est baptizanda : verumtamen si ille pa- » gus parùm distaret à pago proprio, v. g., duabus vel tribus » horis, potest baptizari proles etiam in ecclesiâ suâ. » Ita S. Liguor. (lib. 6, n° 114.)

1351. — 2° *Quoad Pœnitentiæ sacramentum*: vi officii sui parochus jurisdictionem *fori interni* habet *in suâ parochiâ*, ut colligitur ex Concil. Trident. (sess. 23, cap. 15, *de ref.*);

eam tamen habet dependentem ab Ordinario quoad culparum reservationem; sed *sinè legitimâ causâ non potest prorsus auferri aut adeo minui ut ferè inanis remaneat.* Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 5, cap. 4, n° 3.

Diximus *in parochiâ suâ* tantùm, proinde illam jurisdictionem non habet parochus in totâ diœcesi, ut decisum refert Giraldi in *Leodiensi*, mense aug. 1600. Sed potest in suâ ecclesiâ parochianos alterius parochiæ absolvere absque licentiâ speciali (S. C. Conc., 25 jun. 1639).

1352. Quæsitum fuit « An curati unius diœcesis, vocati » à parochis alienæ diœcesis, possint in illâ audire confes» siones, tam suorum subditorum quàm alienorum, abs» que licentiâ Episcopi loci. S. Congr. Conc. rescripsit : » *affirmativè* quoad *subditos*, *negativè* quoad *reliquos*. » (In *Posnaniensi*, 3 decemb. 1707.) Confessiones ergo suorum parochianorum parochus potest ubique audire. Ita omnes.

1353. Jus autem non habet parochus ut sibi, tempore Paschatis aut instante mortis periculo, parochiani faciant sacramentalem confessionem; sed cui voluerint ex approbatis presbyteris sive regularibus sive sæcularibus confiteri possunt [1]. Regulares autem, qui infirmorum confessiones audierunt, debent de eo parochum certiorem facere : sufficit tunc certioratio per scripturam apud ipsum infirmum relictam. Constit. *Suprema* Clementis X, 11 junii 1670.

1354. Quærit. Utrum parochus à suis parochianis Eucharistiam in Paschate poscentibus, jus habeat exigendi quòd sibi ostendant attestationem de factâ confessione alicui approbato?

Resp. Hoc generali decreto præscripsisse S. Carolum Borromeum, sed dicendum parochum id exigere haud posse si nihil de hâc re statuerit Ordinarius, nisi ex gravibus rationibus suspicaretur non esse credendum parochiano asserenti ad sacramentum expiationis accessisse. Ita Bened. XIV (*Instit.* 45, n° 15).

1355. « Testimonium (autem) de peractâ confessione,

[1] Vide Concilium Avenionense anni 1849, p. 58. 3° ; — et *Ordonn. du diocèse de Valence*, p. 310.

» tribuendum sinè ullâ absolutionis mentione.. ; nam si » alius de confessione solùm peractâ, alius verò de acceptâ » pariter absolutione, testimonium accipiat, suspicandi » locus præbetur, et sigillum confessionis aliquo pacto » violatur. » (Bened. XIV, *Instit.* 45, n° 10.)

1356. Nequit parochus admittere sacerdotem ad audiendas confessiones, vel ad prædicandum divinum verbum in suâ parochiâ, nisi ab Episcopo loci, quoad hæc, hic sacerdos fuerit approbatus. Constat ex Concil. Trid. (sess. 23, cap. 15, et sess. 5, cap. 2).

Parocho non competit potestas dispensandi in votis; ad hoc enim opus est jurisdictione fori externi, quâ ipse caret (Vide Bouix, *De Parocho*, p. 436).

1357. — 3° *Quoad sacramentum Eucharistiæ :*

Tenentur fideles communionem Paschalem facere in suâ ecclesiâ parochiali; estque rejicienda opinio nonnullorum olim sentientium huic præcepto posse satisfieri in Ecclesiâ Cathedrali à parochianis aliarum diœcesis parœciarum. Hoc fuit pluries decisum, et constat Encycl. *Magno* 2 jun. 1751, § 21, Benedicti XIV. Vide etiam *Instit.* 18, ejusdem Pontificis; et Bouix, *De Parocho,* p. 459. Excipiendus est casus quo Episcopus expressè vel tacitè consentiret (S. Liguor., lib. 6, n° 300, 4°). Nomine enim *pastoris* veniunt non solùm parochi sed etiam S. Pontifex, Episcopus et Vicarius Generalis. Unde Cathedralis est parochia communis, quando in eâ Episcopus administrat sacramenta[1], cùm ipse sit parochus totius diœcesis, non autem quando parochus ejusdem cathedralis illa administrat. Vide Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 8, n° 2.

1358. Eximuntur ab hâc obligatione communicandi in ecclesiâ parochiali peregrini et vagi, qui parochiam non habent, qui vel ab eâ absunt, ita ut commodè ad illam accedere nequeant. Nec tunc tenentur communicare in ecclesiâ matrice oppidi illius, neque in parochiâ in quâ transeunter commorantur. Ita S. Liguor., lib. 6, n° 300, 2; et n° 240, 9, contra Tournely et alios.

[1] Secus sentit Guillois cum Sættler et Barran : *Explicat. du catéchisme*, t. 2, p. 475, etc.

1359. « An laicis qui intra claustra regularium habitant » et illis actu serviunt, possint Regulares Sacramentum » Eucharistiæ tempore Paschæ, ac Extremæ-Unctionis » ministrare, nec non in earum ecclesiis eisdem laicis » sepulturam dare? — S. Congr., sub mense jun. 1587, » rescripsit : *posse.* » Apud D. Bouix, *De Parocho*, p. 459. In decisione autem 22 nov. 1721, « dictum fuit teneri » recipere communionem (paschalem) in parochiâ, famulos » monialium degentes in domibus sitis in atriis monaste- » riorum muro circumvallatis, quæ sunt contigua monas- » teriis cum januâ quæ clauditur. » Unde, casu privilegii specialis excepto, non eximuntur ab obligatione communicandi in parochiâ, tempore Paschatis, famuli monasteriorum, nisi vivant intra ipsam clausuram et sub obedientiâ Prælatorum regularium. S. Liguor. (lib. 6, n° 240, 10°).

Qui morantur apud regulares tanquam hospites, paschalem communionem in parochiâ recipere debent.

1360. Regulares possunt communionem distribuere sæcularibus, quolibet die anni, solo excepto die Paschatis; imò pro communione in die Paschatis, Roncaglia et Wigandt, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 240, 5°), dicunt in hoc constantem adesse consuetudinem in contrarium, quæ jurisdictionem præbet, non tamen hujusmodi communione impleretur præceptum; imò, juxta D. Bouix (*De Regular.*, t. 2, p. 198), non omnino constat hanc consuetudinum esse generalem.

Non licet regularibus, absque licentiâ Episcopi aut Parochi, publicè Eucharistiam deferre ad infirmos, etiam extra casum Viatici : sed consuetudine tantùm hoc vetitum est. Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 199.

De primâ communione, vide dicta supra (613).

1361. In oratoriis privatis communio dari nequit sinè licentiâ Episcopi, etsi in eis missam celebrandi obtenta fuerit a S. Sede licentia. Ita declaravit Bened. XIV, in Encyclicâ *Magno*, jam citatâ (1357).

1362. Idem Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 11, cap. 14, n° 10) cum pluribus aliis asserit : « integrum hodie omni- » bus esse, in quâlibet ecclesiâ, modò non sit... oratorium

» privatum, sacris interesse mysteriis, quia contrariâ con-
» suetudine, in toto christiano orbe receptâ, derogatum
» est præcepto audiendi missam parochialem... Non posse
» hodie Episcopum præcipere suis subditis ut se sistant
» missæ parochiali, quia non potest delere consuetudinem
» quæ, cùm vigeat toto orbe, jam inducit naturam juris
» communis. »

In ipsis privatis regularium *oratoriis* seu domesticis, missæ audiendæ præcepto satisfieri potest, juxta communiorem et tutam in praxi sententiam. Vide Bouix (*De Regular.*, tom. 2, p. 196); Ferraris (v° *Missæ Sacrificium*, art. 16, n° 12, et v° *Oratorium*, n° 76). — Vide supradicta quoad missas ante parochialem missam (596, 119 ad 19°).

1363. « An possit parochus exigere ut fideles parochialem
» ecclesiam adeant ad audiendum verbum Dei? — Respon-
» dendum, *negativè*. » Quæ sententia jam recepta generaliter, inquit Bouix (*ib.*, p. 460), quo fundamento nitatur et quomodo respondeatur Tridentinæ Synodo, in quâ dicitur teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei, vide ap. Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 11, c. 14, n^is^ 12 et 13.

1364. Quærit. 1° An possit parochus binas missas eâdem die celebrare?

Resp. Quamvis olim missa pluries eâdem die celebrari potuerit, a multis tamen sæculis id prohibitum est, præterquàm in festo Natalis Domini et casu necessitatis: « Ex-
» cepto die Nativitatis Domini, inquit Innocent. III (cap.
» *Consuluisti* 3, *de celebr. miss.*), nisi causa necessitatis
» suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam
» solummodo celebrare. » Porrò quamvis Pontifex utatur voce *sufficit*, certum est apud omnes in hoc verbo contineri præceptum propriè dictum. Id supponunt omnes S. Congregationum declarationes.

1365. Per *necessitatis casum*, non intelligitur si superveniant hospites aut peregrini, princeps aut Episcopus: quia ad sacrum audiendum non tenentur, quando nullus est sacerdos qui possit jure celebrare. Ita probabiliùs, juxta S. Liguor., contra quosdam (lib. 6, n° 352, 5°). Nec si nun-

tiæ non possent in crastinum diem differri: quia celebrari possunt absque missâ : in quo casu, benedictio crastinâ die in missâ impendi poterit.

Si verò moneretur sacerdos de communicando moribundo, et suam jam hostiam sumpsisset, nec esset alius sacerdos, posset adhuc jejunus iterum celebrare ; sed casus est metaphysicus aut vix practicus, inquit S. Lig. (l. 6, 352, 4°). Non jejunus autem non debet celebrare, etiam ut Viaticum moribundo ministret. Ita Bened. XIV. —V. Bouix, *De Parocho*, p. 463.

1366. Utrum veluti casus necessitatis haberi debuerit, si in die festivo, celebranda esset secunda missa pro defuncto, cadavere præsente? — Affirmat Glossa, in dicto cap. *Consuluisti, de celebr. miss.*, ubi, v° *Necessitatis*, dicit : « Si » celebravit de die, potest et aliam missam dicere pro de» functo; » et hanc opinionem admisit Bened. XIII, in sermone de Purgatorio (Vide S. Lig., lib. 6, 351): « modò » sacerdos sit jejunus, et non sit alius qui pro defuncto » celebret. » — Sed juxta Bened. XIV, in Indulto *Quod expensis*, 26 aug. 1748, hoc non ampliùs est licitum « cùm » juxta hodiernam disciplinam, liceat presbytero, relictâ » missâ de die, missam pro defuncto, si præsens sit cor» pus, cum cantu celebrare; » missa verò pro populo tunc transferri debet in diem aliam hebdomadis.

1367. Ut legitimus casus *necessitatis*, in quo licet binas missas die festivo celebrare, communiter habetur quando parochus duas habet parochias ita dissitas ut populus in alterutram parochiam non possit commodè convenire, nec præstò est alius sacerdos qui possit alteram celebrare missam. Ita statutum refertur à S. Turribio Limano Archiepiscopo. Vide Bouix (*ib.*, p. 464).

Item in *eâdem ecclesiâ* licet bis celebrare, si magna pars populi missâ die festi carere deberet; hunc etiam casum memorat Bened. XIV, in Bullâ *Declarasti*, 16 mart. 1746, et dicit eodem jure esse censendum ac præcedentem. Decisum fuit in hoc sensu à S. Cong. Concil., in causâ *Auxitanâ* die 28 maii 1834; et reverà tres missæ die Nativitatis, in eâdem ecclesiâ dici possunt, et pluries antiquitùs in eâdem ecclesiâ celebrabatur.

« Sæpius in die celebrare licet.., inquit S. Liguor. (lib. 6, » n^is 351 et 352)... 3° si concursus sit tantus ut ecclesia » non capiat... etsi tunc potiùs expediat celebrare extra. »

1368. *Necessitas* bis celebrandi adesse nequit nisi die festivo de præcepto, quo fideles tenentur sacris mysteriis interesse. Quidam tamen, ap. S. Liguorium (lib. 6, 323), dicunt licere, in die feriali binas celebrare missas, ne populus (sufficiens in numero) privetur missâ; et Salmantic. cum Ledesma dicunt standum esse consuetudini. Sed omninò illud reprobat Bened. XIV, *De Sacrificio missæ*, lib. 3, cap. 5, cum declarat. S. C. In hoc pariter sensu decisum fuit, 23 jan. 1847, in *Lingonensi*.

Non licet ergo bis celebrare, feriâ V in *Cœnâ Domini*, quippe, hoc die, fideles non astringuntur ad sacrum audiendum; idem est dicendum de feriâ VI Hebdomadæ Sanctæ. Quibusdam tamen locis introducta fuit praxis quòd parochi duas administrantes parochias, sumerent solummodo hostiam sinè vino in unâ parochiâ, ut iterum in alterâ parochiâ possint jejuni communicare cultu hoc die præscripto; at hæc consuetudo communiter reprôbatur, utpote contraria ritui quem adhibet universalis Ecclesia. Vide Bened. XIV, *De Sacrif. missæ*, lib. 3, cap. 5, n° 5. Nihilominus hoc permisit Synodus Suessionensis, anno 1727, juxta Lequeux, n° 735 in fine; sed, die 11 septemb. 1841, responsum fuit ad Episcopum Namurcensem, *non expedire* ut concederetur licentia bis celebrandi diebus festis suppressis (Ap. *Analecta*, janv. 1859, col. 1348). Hæc tamen licentia concessa fuit à S. C. Conc., 19 sept. 1859, Argentinensi Episcopo pro festo Circumcisionis, sed hoc solùm ad quinquennium (Vide *Revue des sciences ecclés.*, n° 6, p. 580).

1369. *Nota* quòd parochus, qui ex necessitate duas missas celebrat, unam tantùm teneatur applicare pro populo. Ita S. Cong. Rit., apud Gardellini, n° 4869.

Ab uno autem Episcoporum Galliæ consulta fuit S. Congr. Concilii circa sequentia dubia (ap. *Analecta*, janv. 1859, col. 1353):

« I. An parochus qui duas parochias regit, et ideo bis in

» die celebrat, utrique parochiæ suam missam applicare
» teneatur, non obstante reddituum exiguitate.
» II. An parochus qui in unâ eâdemque parochiâ bis
» eodem die celebrat, utramque missam populo sibi com-
» misso gratis applicare omnino teneatur in casu, etc.
» III. An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum
» non habentes, si quando bis in die celebrant, ut fit
» quandoque, seu ut numero sufficienti missæ in eccle-
» siâ Cathedrali celebrentur, seu ut hospitalia, carceres,
» sanctimonialium conventus missâ non careant, secun-
» dam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur, etc.
» Et quatenus affirmativè ad I, II, III.
» IV. An et quomodo concedendum sit parochis, qui
» diebus Dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius
» missæ liberam habeant applicationem, et stipendium pro
» eâ recipere valeant, etc.
» V. An et quomodo idem concedendum sit sacerdoti-
» bus curam animarum non habentibus, quoad utramque
» missam, etc.
» VI. An et quomodo concedenda sit absolutio quoad
» præteritum in casu.
» Die 25 sept. 1858 S. Congregatio ad supradicta dubia
» rescripsit :
» Ad 1m *affirmativè*[1].
» Ad 2m *negativè*, firmâ prohibitione recipiendi eleemo-
» synam pro secundâ missâ.
» Ad 3m *negativè*, quatenus curam animarum non ha-
» beant, firmâ semper prohibitione recipiendi eleemosy-
» nam pro secundâ missâ.
» Ad 4m *negativè*, et Episcopus provideat ad formam
» Constit. *Cùm semper oblatos*, § 8.
» Ad 5m Provisum in 3°.
» Ad 6m Celebratâ unicâ missâ ab unoquoque,—*affirma-*
» *tivè*, facto verbo cum Sanctissimo. »

Circa præfatam decisionem, observat auctor Collectionis

[1] Pro secundâ missâ tamen potest ab Episcopo permitti ut solvatur aliquod subsidium intuitu laboris aut incommodi suscepti. Ita decisum à S. Congr. Concilii refertur apud *Rev. des sciences ecclés.*, n° 17, p. 463.

Revue des sciences ecclésiast. (mai 1861, p. 468), quòd in eâ non videatur esse comprehendendus dies Natalis Domini. Idem observat Ordo Valentin., anno 1862, p. 7.

1370. Quærit. 2° An in præfatis casibus requiratur licentia Episcopi?

Resp. Regulariter loquendo, die Natalis Domini excepto, ad iterationem missæ requiritur licentia Episcopi; et si missa in duabus ecclesiis celebretur, sufficit certè hæc licentia. Quæstio quidem olim erat controversa an licentia Episcopi necessaria foret; sed hodie sententiæ affirmanti esse standum ut communiori, sentit Benedictus XIV, *De Sacrificio Missæ*, ubi ait: « Sacerdotibus opus esse ut hâc » de re *facultatem ab Episcopo* consequantur, etiamsi » causa necessitatis intercedere videatur, cujus sane judi- » cium ad ipsos sacerdotes nequaquam pertinet. » Testatur insuper Verricelli sic à Sacrâ Congregatione fuisse resolutum. Certè huic sententiæ standum est in diœcesibus ubi prohibetur celebrare bis in eodem die sinè licentiâ Episcopi, prout in diœcesi nostrâ Valentinensi (*Ordonnances*, p. 253); imò in totâ provinciâ, ut constat ex Concilio Avenionensi 1849 (p. 56).

« Dictum fuit *regulariter loquendo*, inquit D. Bouix (*ib.*, » p. 467), quia in uno aut altero casu, præsertim repen- » tino, et in quo non facilis pateat ad Episcopum recur- » sus, si aliunde certò adesse videatur sufficiens necessitas » à jure requisita, non puto crimini vertendum parocho » quòd dictam licentiam non exquirat. »

1371. Si verò duæ præfatæ missæ in eâdem ecclesiâ recitentur, *Analecta juris pontificii* (octob. 1853, col. 545, etc.) dicunt tunc ad S. Sedem esse recurrendum, et in gratiam illius sententiæ nonnullas afferunt S. Congreg. Concilii declarationes, quæ tamen hanc reservationem satis probare non videntur. Unde iste casus *eodem jure est censendus ac præcedens,* ut ait ipse Benedictus XIV, in Brevi *Declarasti* anni 1746. Proinde, etiam in hoc casu, sufficit licentia Episcopi. Vide Bouix (*De Parocho*, p. 468).

1372. Quærit. 3° An casu binæ missæ necesse sit eumdem calicem adhibere? Et quænam cautiones sint tunc adhibendæ?

Resp. Sacra Congregatio Rituum, Decreto 16 septembris 1815, ejusdem calicis usum præscripserat pro casu quo bis missa ab eodem sacerdote celebratur; sed, suo Decreto 11 martii 1858, usum duplicis calicis permisit ubi talis viget consuetudo, vel quando duæ missæ celebrandæ sunt in duabus ecclesiis longè dissitis; et vult, in hoc casu, quòd post ultimum Evangelium, detecto calice, inspiciatur an aliquid pretiosi Sanguinis ad imum se receperit; et si res contingat, diligenter sorbeatur ex eâdem parte cuppæ quâ primùm sumptus fuerat pretiosus Sanguis. Postmodum in calicem tantùm saltem aquæ fundat sacerdos quantùm priùs vini posuerat, eamque circumactam ex eâdem parte in paratum vas demittat, et calicem Purificatorio abstergat. Aqua è calice demissa vel ad diem crastinum servetur, vel gossipio vel stupâ absorpta comburatur, vel exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam. — Vide *Analecta* (mai et juin 1858, col. 755 et 756);—*Revue des sciences ecclésiastiques* (n° 10, p. 275, etc.).

1373. — 4° *Quoad matrimonium :* Ut validum sit debet contrahi coram proprio contrahentium parocho. Ita statuit Concilium Tridentinum (sess. 24, cap. 1, *de reformatione*). Et matrimonium coram parocho contractum est validum, etiamsi prohibuisset Episcopus : anno enim 1581 Sacra Congregatio Concilii declaravit Episcopo Giennensi : « valere matrimonium contractum coram pa» rocho, cui interdictum est ab Episcopo ne interveniat. » Interrogata rursum : « Utrum matrimonium in quo inter» venit vicarius parochi, non invitus sed volens, contra » prohibitionem tantùm Ordinarii, sit validum, vel potius » invalidum, quia non intervenit sacerdos habens jurisdic» tionem cùm sit sublata ab Ordinario..., secundò respondit » esse validum. Idem declaravit si invitus et compulsus » per vim adsit sacerdos. » Ita Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 13, c. 23, n° 1.

Ubi verò Tridentina Synodus non fuit promulgata, validum est matrimonium extra præsentiam parochi et testium, modò contrahatur ab eo qui in tali loco domicilium vel quasi-domicilium, aut saltem sufficientem habitationem

habet; sufficit autem habitatio 30 dierum, ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii à Fagnano relatâ. — Vide *Analecta*, janv. 1856, col. 1889.

1374. Quærit. 1° Quisnam sit quoad matrimonium proprius parochus?

Resp. 1° Esse parochum non originis, sed domicilii (Bened. XIV, *Institut.* 33, n° 6); non tamen per hunc excludi vel S. Pontificem, vel Episcopum, vel ipsius Vicarium Generalem, vel Vicarium Capitularem.

Dicitur in Rituali Bellicensi (tom. 1, p. 390, edit. 1839) et Valentinensi (p. 415) benedictionem posse dari à parocho loci ubi contrahentes antea habitabant, si sex menses non effluxerint à die quo à dicto loco recesserunt; sed hoc dictum non videtur veritati sat congruere, cùm hujusmodi parochi non sint ampliùs parochi contrahentium, et *consuetudo habilitare non valeat illum qui non est parochus contrahentium, ad confirmandum sacramentum matrimonii, nec sit toleranda*, ut decidit Sacra Congregatio Concilii 31 maii 1704, prout referemus infra (1360). Unde in casu examinandum est an licentiam dederit parochus domicilii vel habitationis actualis, vel ipsius Episcopus aut Ordinarius.—Juxta consuetudinem in Galliâ vigentem, parochus censetur consentire ut alibi matrimonium contrahatur, quando bannorum attestationem tradit sponsis. — Vide Lequeux, n^is 659 et 660.

2° Qui domicilium habet in duabus parochiis, matrimonium potest contrahere coram eo parocho, in cujus territorio degit, quando contrahit (Bened. XIV, *Instit.* 33).

1375. — 3° Sufficit præsentia parochi unius è contrahentibus, etiam in alterius parochiâ (decisum à Sacrâ Congregatione Concilii 15 decemb. 1574). Decentiùs tamen fit in præsentiâ parochi sponsæ. — Vide Lequeux, 661. — S. Liguorius (lib. 6, n° 1087) addit: Rectè dicunt Sanchez et Bossius, ex Decreto S. Cong. Concilii peccare graviter parochum si in alterius parochiâ sponsos à se conjunctos solemniter benediceret sinè illius licentiâ : secus si sinè solemnitate eos conjungeret. — Vide Cardin. Soglia (*Inst. juris privati*, § 191).

4° Qui ruri degit, recreationis vel rusticani negotii causâ tantùm, coram parocho illius loci non potest validè contrahere. Id pluries decisum vide apud Benedictum XIV (*Instit.* 33, n° 7); et infra (4367).

1376. — 5° Vagorum, seu eorum qui, relicto proprio domicilio, sedem in exteris quærunt, proprius parochus quoad matrimonium est ille in cujus parochiâ vagi actu reperiuntur, etsi unus tantùm sponsorum sit vagus. Ita Lequeux, 609, ex Benedicto XIV. Idem dicendum est de militibus; attamen in actuali expeditione contrahere possunt coram capellanis militiæ. Ita S. Congr., nov. 1676 —Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 1090);—*Analecta,* janv. 1856, col. 1883; — et infra dicenda (1544, etc.).

1377. —6° Detenti in carcere, pœnæ luendæ causâ, parochus est ille in cujus parochiâ exstat carcer; illius verò qui in carcere detinetur solùm custodiæ causâ, donec, v. g., de eo sententia proferatur, est parochus domicilii quod habebat detentus antequam in carcerem detruderetur. — Bened. XIV (*ibid.*, n° 12); — et Carrière, *De Matrimonio*, n° 1279.

1378. — 7° Disputatur quoad domicilium illius qui in xenodochio degit, et consulendus est Episcopus. Vide tamen S. Liguor., lib. 6, n° 1091.

8° Puellæ quæ in hospitio spuriarum detinentur, contrahere debent, non coram illius hospitii capellano, sed coram parocho loci in quo situm est hospitium. — Benedict. XIV, *ibid.*, n° 14; — et *Analecta juris pontificii*, janv. 1856, col. 1882.—Vide dicta supra (612, 620).

1379. — 9° Quæ verò in monasterio degunt, vel habent aliud domicilium, v. g., paternum, maternum, fraternum in civitate, vel non habent: si priùs, coram parocho domicilii contrahere debent, in utroque tamen loco factis denuntiationibus; si verò posteriùs, contrahere debent coram parocho loci in quo exstat monasterium. — Benedict. XIV, *ibid.*, n° 16. — Vide Carrière, *De Matrimonio*, n° 1281.

Idem dic quoad famulos et famulas (Bouix, *De Parocho*, p. 471, etc.), qui si habeant domicilium familiæ extra

urbem et in urbe famulatum, tunc coram parocho urbano contrahere debent; possunt tamen, si velint, contrahere coram parocho domicilii familiæ, cùm videantur inibi retinuisse domicilium. —Vide etiam Ferraris, v° *Matrimonium*, art. 1, n° 56; — Lequeux, n° 657; — Carrière, *ibid.*, n° 1282, citantem decisionem Sacræ Congregationis anni 1788, quæ legi potest infra (4368).

1380. Ad proprium parochum pertinet publicatio matrimoniorum (Trident., sess. 24, cap. 1, *de reform.*); et si contrahentes sint è parochiis diversis, ad unumquemque earum parochiarum rectorem pertinet hæc matrimonii denuntiatio. Sic consuetudo Concilium Tridentinum explicat.—Vide Rituale Romanum, et infra dicenda (4057, etc.). — Item ad proprium parochum spectat benedictionem nuptialem impertiri (Trident., *ibid.*).

1381. Si aliquid spontè offeratur pro benedictione nuptiali, hoc ad parochum pertinet, etiamsi alius sacerdos ab ipso deputatus fuerit pro illâ impertiendâ.— Bouix, *ibid.*, p. 476.

1382. Quærit. Quænam cautiones à jure parochis præscribantur quando agitur de matrimoniis vagorum et alienigenarum?

Resp. Circa vagos sic habetur in Instruct. S. Inquisitionis a Clemente X confirmatâ 21 aug. 1670 : « Si contrahentes » sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi » doceant eos esse liberos per fides Ordinariorum suorum, » servatâ formâ Concil. Trident. in cap. *Matr.* 7, sess. 24. » Fides aliaque documenta non admittantur nisi munita » sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem » per testes qui habeant notam manum et sigillum; et » attentè consideretur quòd fides et testimonia benè iden- » tificent personas de quibus agitur. » His tamen non observatis, validum esset matrimonium, juxta Bened. XIV, *Quæstion. canon.*, nisi alia obstarent (Vide Lequeux, n° 670).

Circa alienigenas, habetur in eàdem Instructione quòd parochus non debet publicationes pro eis facere « nisi, » certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Vicario, priùs reca-

» perit fidem authenticam statûs liberi.» Excipiendi sunt tamen contrahentes qui discesserunt eâ ætate in quâ erant incapaces contrahendi. S. Liguor., lib. 6, 1089. Præfatam instructionem reperies integram ap. *Analecta jur. pontif.*, avril 1854, col. 832 et 849. Sufficiat hîc referre solutionem sequentium dubiorum ex illâ extractorum (*ibid.*, col. 849) :

1383. « Ordines ultimo loco ab Urbe emanati circa » matrimonia cum exteris contrahenda, inter alia dispo» nunt quòd Ordinarii præcipiant omnibus et singulis » parochis, in eorum diœcesibus existentibus, ut pro ma» trimoniis cum exteris contrahendis, non faciant publi» cationes in eorum ecclesiis, nisi certiorato Ordinario » à quo, vel ejus Generali Vicario priùs teneantur fidem » authenticam reportare [1], quòd pro tali matrimonio fue» rint examinati testes, in eorum tribunali, qui probant » statum liberum contrahere volentium.

» 1° Quæritur an illi ex diœcesibus circumvicinis, et » ipsi teneantur tales probationes facere; an verò sufficiat » fides denuntiationum in eorum diœcesibus factarum cum » legalitate Ordinarii, et probatio eorum statûs (liberi) » post discessum ab ipsâ diœcesi ?

» Resp. Hujusmodi habentur pro exteris et consequenter » tenentur probationes facere.

» 2° Item an contrahere volentes in confinibus eorum » diœcesis habitantes, et ob vicinitatem ab eorum rectoribus » cogniti, teneantur easdem facere probationes; an verò » sufficiant publicationes ab ipsis rectoribus faciendæ?

» Resp. Etiam isti tenentur facere probationes.

» 3° An easdem teneantur facere probationes ii, qui » ante ætatem nubilem à propriâ diœcesi discedentes ad » aliam se contulerunt, et in eâ postmodum habitaverunt?

» Resp. Non tenentur, quia non fuerunt extra diœcesim, » tempore habili ad contrahendum.

» 4° An in civitate in quâ milites Hispani... et aliarum » longinquarum regionum residere solent, idem cum

[1] Vide formulam hujus attestationis, apud D. Bouix, *De Judic.*, t. 2, p 166.

» ipsis sit servandum, vel sufficiat probationes in ipsâ ci-
» vitate recipere de eorum statu à testibus ipsarum regio-
» num de negotio edoctis?

» Resp. Tenentur facere probationes juxta formam
» Instructionis, quia isti faciliùs committunt polygamiam.

» 5° An factâ per parochum monitione Ordinario con-
» trahere volentis, fides statûs ejusdem sit ab eodem pa-
» rocho, vel à contrahere volente reportanda?

» Resp. Tenetur fidem reportare et parocho consignare
» is qui vult matrimonium contrahere, sed est in libertate
» parochi hujusmodi onus in se assumere.

» 6° An eædem probationes sint servandæ in casu ne-
» cessitatis, et ab existentibus in articulo mortis sic con-
» trahere volentibus, intra quem scilicet probabiliter non
» adsit tempus sufficiens faciendi diligentias : cum hoc
» etiam, quòd si infirmus fortè convaluerit, debeat fieri
» diligentia, juxta Instructionem, antequam simul conve-
» niant?

» Resp. Non sunt servandæ in articulo mortis.

» 7° An requiratur attestatio proprii Ordinarii pro exte-
» ris qui per decem annos et ultrà, domicilium acquisie-
» runt in loco ubi sunt matrimonium contracturi, si
» eorum status liber probetur per testes fide dignos, tam
» originis quàm domicilii?

» Resp. Requiritur.

» 8° An requiratur dicta attestatio pro illis exteris qui
» unicam vel plures duxerunt, et econtra si mortuæ fue-
» rint in loco, ubi iterum matrimonium contrahere desi-
» derant, ac ampliùs post mortem à dicto loco non disces-
» serunt?

» Resp. Requiritur pariter. »

Supra relatæ dispositiones observari debent à parochis in quantum possunt, circa quod vide dicenda infra (6097).

1384. 5° *Quoad Extremam-Unctionem et Viaticum :* Jus habet parochus Extremam-Unctionem et Viaticum parochianis suis etiam sacerdotibus imò et canonicis [1] minis-

[1] Ita S. C. Conc. 12 maii 1685... ap. Ferraris, vo *Canonicatus*, art. 8, no 1. Vide etiam Bouix alias decisiones huic conformes referentem

trandi ; aliique sacerdotes nequeunt dicta sacramenta ministrare absque parochi vel Ordinarii licentiâ. Imò parochus alii sacerdoti dare potest licentiam sibi ægroto eadem administrandi. Vide De Lugo, apud *Cursum complet. theolog.* D. Migne, tom. 23, col. 1695.

Extranei administrari possunt à sacerdotibus loci ubi infirmantur.

1385. **Regulares verò**, qui, extra casum necessitatis, hæc sacramenta administrarent, invito parocho, excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam incurrerent (Clement. 1, *de Privileg.*). Sixtus autem IV concessit Regularibus dare Viaticum et Extremam-Unctionem suis pœnitentibus, si parochus injustè ea denegaverit vel malitiose distulerit illa conferre. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 722, et infra (1640-XIV).

Possunt autem regulares eadem sacramenta ministrare tam professis quàm novitiis fratribusque oblatis et donatis, necnon famulis actu inservientibus et intra septa monasterii degentibus. Item peregrinis et vagis, sed hoc aliquatenus controvertitur. Vide Bouix, *De Regularibus*, tom. 2, p. 199.

1386. Episcopo infirmo Viaticum ministrare ad parochum non pertinet, sed « illi deferat Prima Dignitas, » comitante Capitulo et toto clero Cathedrali. » Ita *Cæremon. Episcop.*, lib. 2, cap. 38, § 4 ; et hoc, non obstante contrariâ consuetudine, uti declaravit S. Rit. Congr., 11 febr. 1702.

Quoad Extremam-Unctionem dicitur, in *Cæremoniali* (ibid.) : « Moneatque Episcopus *Sacristam seu Curatum*,

(*De Parocho*, p. 477). Contrariæ tamen allegantur apud Ferraris, loco citato *addit.*, n^{is} 18 et 19. — In Galliâ autem « Capitula præsertim Ca- » thedralia olim censebantur penitus exempta a jurisdictione parochi: » et istud etiam nunc credimus esse generatim observatum : Præposi- » tus vel Decanus iis qui censentur *de gremio Capituli*, et etiam » Canonicis Honorariis, solet conferre sacramenta in extremis et se- » pulturam. Vide *Mém. du clergé*, tom. 14, p. 375. » Ita Lequeux (n° 396).

In hâc diœcesi Valentin.: « C'est le premier Archidiacre qui administre » les sacrements et fait l'enterrement des membres du Chapitre. » (*Ordonn.*, p. 48.) Eadem decreta fuerunt à Concilio Tolosano 1850, tit. 1, cap. 5, n° 27. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 385.

» ut cùm tempus erit, Extremæ-Unctionis sacramentum » sibi administret et animæ commendationem faciat. » Vide Bouix, *De Parocho*, p. 477.

1387. Notandum circa sacramentorum administrationem, parochum posse suppleri, sive per vicarium sive per alios a parocho vel ab Episcopo deputatos. Qualis autem tunc requiratur deputatio, et an sufficiat consensus præsumptus vel ratihabitio, inquiri potest. Circa quod respondetur nec consensum præsumptum nec spem ratihabitionis sufficere, si agatur de sacramentis pro quorum valore requiritur jurisdictio, vel si delegatio specialis esset exigenda, v. g., si agatur de sacramentis pœnitentiæ vel matrimonii vel ordinis. Tunc requiritur consensus positivus *de præsenti*, ut licitè, imò et validè (si sacramentum ordinis excipias), hæc administrentur. Idem dicit Lequeux de communione paschali, quia etsi valeat communio prout sacramentum sinè actuali deputatione, non valet tamen ut paschalis, sed quoad hoc teneri potest quod dicit S. Liguor. (lib. 6, nº 300); nempe sufficere tunc consensum *interpretativum aut præsumptum, modò adsit certitudo moralis de voluntate parochi.*

In aliis autem sacramentis consensus præsumptus vel etiam spes ratihabitionis sufficere potest. Vide supra (322).

PUNCTUM III.

DE JURE PAROCHI QUOAD OBLATIONES.

1388. Oblationum vocabulo intelligimus « illas res » mobiles quæ à fidelibus offeruntur ad Ecclesiæ vel » ministrorum usum, tùm ad altare intra missam, tum » occasione aliarum sacrarum functionum, puta pro bene- » dictione nuptiarum... et aliis similibus » (Bouix, *De Parocho*, p. 478); gallicè vocantur *Casuel.*

1389. Jure communi, oblationes sive jure debitæ, sive spontè oblatæ (nisi tunc specialem destinationem ex offerente habeant), ad parochum pertinent, etsi non ipse parochus, sed alter functiones sacras in parochiali ecclesiâ peragat, salvâ tamen earum tertiâ vel quartâ parte, quæ ex

can., 7, causa 10, q. 1, ad Episcopos olim pertinebat. Vide Devoti, lib. 2, tit. 17, § 2, in notâ. Vi autem consuetudinis res aliter esse possunt, et quando nullo titulo debetur oblatio, si offerens expressè dicat se velle dare sacerdoti functionem sacram peragenti, ad hunc non ad parochum oblatio tunc pertinebit (Bouix, *ib*,, p. 479).

Regulariter, oblationes quæ fiunt alicui capellæ vel imagini ecclesiæ parochialis, vel alicui oratorio extra ejus ambitum, ab offerentibus destinantur ad ornamentum capellæ, imaginis, aut oratorii; ad parochum tamen pertinet administrare hujusmodi oblationes.

1390. Quærit. 1° An oblationes ex justitiâ debeantur?

Resp. Neque jure divino neque humano teneri fideles ad illas faciendas, communiter docetur. Ita Leuren., Lessius, Barbosa, etc., contra quosdam alios.

1° Ordinarius non potest illas reddere obligatorias, si aliunde non desit congrua Cleri sustentatio, quia ei non licet de bonis temporalibus diœcesanorum pro libitu disponere, sed tantùm ex causis et in casibus à jure determinatis.

2° « Parochi non possunt accipere aliquid à sponte dan» tibus pro administratione sacramentorum; possunt tamen » accipere quod sponte pro eleemosynâ offertur. S. Congr. » Conc., 5 febr. 1593. » Ferraris, v° *Parochus*, art. 3, n° 17, apud quem vide alia n^is 16-20.

3° Consuetudine induci potest obligatio certas et determinatas oblationes faciendi.

Insuper in triplici casu oblationes debentur : « 1° Dum » debentur per modum censûs, pensionis aut conventionis » antea factæ cum Ecclesiâ; 2° cùm debentur ex testa» mento, legato, donatione; 3° dum minister ecclesiæ » non habet congruam sustentationem, et ipsi possunt sub» venire parochiani. » (Leuren., ap. Bouix, *ib.*, p. 480.) Circa oblationes, vide insuper dicenda infra (5353 5360).

1391. Quærit. 2° Quomodo in Galliâ jus parochorum ad oblationes determinetur?

Resp. Gubernium in Galliâ sibi reservat jus approbandi vel rejiciendi Episcoporum de oblationibus dispositiones :

« Les Evêques rédigeront les projets de règlement relatifs » aux oblations que les ministres du culte seront autorisés » à recevoir pour l'administration des sacrements. Les » projets de règlement rédigés par les Evêques ne pour- » ront être publiés, ni autrement mis à exécution qu'après » avoir été approuvés par le gouvernement. » (Art. 60 Legis organicæ.)

Unde oblationes quæ non sunt à Gubernio approbatæ, in foro sæculari apud nos exigi nequeunt. Sed cùm hæc sint certò de competentiâ ecclesiasticæ potestatis, certum est statuta Episcopi, etiam antequam à Gubernio approbentur, imò etiamsi ab eodem rejicerentur, plenam vim habere pro conscientiâ. Vide Bouix, *De Parocho*, p. 482.

Quomodo autem obtineatur Gubernii approbatio pro *tariffâ* oblationum, vide explicatum à DD. Affre, *Abrégé de l'administration tempor. des paroisses* (p. 97-99).

Nota quòd ex lege 25 maii 1838, art. 1: « Les juges de » paix connaissent de toutes actions personnelles et mobi- » lières en *dernier ressort* jusqu'à la valeur de 100 fr., et à » charge d'appel jusqu'à la valeur de 200 fr. »

PUNCTUM IV.

DE JURE PAROCHI QUOAD FUNERALIA.

1392. Jus illud tria complectitur : 1° jus sepeliendi ; 2° jus funeribus interveniendi ; 3° jus emolumenta ex funeribus provenientia percipiendi.

I. *Jus sepeliendi* : *Exceptis casibus quibusdam à jure determinatis* jus sepeliendi parochianos, pertinet ad parochum. Id constat ex cap. *Ex parte, de sepulturâ*, et cap. *Is qui, de sepulturis*, in 6°. — Ita se habet caput *Is qui* : « Is qui » habens domicilium in civitate vel castro, quandoque ad » villam ruralem se transfert, recreationis causâ, vel ut » ruralia exerceat in eâdem; si non electâ sepulturâ de- » cedat ibidem, non in ecclesiâ dictæ villæ, sed in suâ » parœciali, vel in eâ potiùs in quâ majorum ipsius ab » antiquo sepultura existit, sepeliri debebit; dummodo » absque periculo ad ipsam valeat deportari. » Hæc disci-

plina admissa erat in Galliâ, prout constat ex Comitiis cleri gallicani, anni 1625, art. 10. — Vide Lequeux, n° 977.

1393. Jure ergo communi parochus jus habet sepeliendi suos parochianos, licet extra parochiam decedant, *si absque periculo ad ipsam parochiam valeant deportari*, ut ait cap. *Is qui*, modò relatum. Vide Reiffenst., lib. 3, tit. 28, n° 26. Generali tamen usu, in Galliâ, loci decessûs parochus facit sepulturam. Vide Lequeux (977, regula 2ª). Attamen familiarum arbitrio hoc relinquitur. Vide Auctor. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 534.

« Quando quis habitat in confinio duarum ecclesiarum » parochialium, censetur parochianus illius in quâ domus » aditum magis frequentatum habet. » Ferraris (v° *Parochia* ubi multos citat secum sentientes). Vide etiam Reiffenstuel, pars 2, lib. 3, tit. 29, n° 10.

Occisus seu casu moriens in confinio duarum parochiarum, si priùs non elegerit sibi sepulturam, nec habeat sepulchrum majorum, sepeliendus est in parochiâ sub cujus finibus reperitur caput cadaveris, quia est pars corporis nobilior (Ferraris, v° *Sepultura*, n° 208).

Parocho jus competit sepeliendi etiam scholares et peregrinos intra parochiam decedentes, ubi hi ad propriam parochiam deferri non possunt, si nempe ab eâ distent per iter unius diei. Ferraris, v° *Sepultura*, n° 41; sed alii (*ibid.*) dicunt distantiam relinquendam arbitrio prudentûm. Vide Leuren., ap. Bouix, *De Parocho*, p. 484.

Quoad pueros qui nutricibus traduntur, retinent domicil. parentum aut tutoris (Dec. Clem. XI, ap. Fer., *ib.* nis 217, 267).

1394. Dictum fuit *exceptis quibusdam casibus à jure determinatis* : nam qui habet majorum suorum sepulchrum alibi quàm in parochiâ, vel qui jam ad ætatem pubertatis perventus alibi sepulturam elegit, potest et debet extra ecclesiam vel cœmeterium parochiæ sepeliri, modò sepulturæ electio non fuerit revocata, quod semper fieri potest (Ferraris, *ibid.*, n° 113). Constat ex pluribus juris capitulis, nempe cap. *Nos instituta, de sepulturis*, ubi dicitur : « Statuimus unumquemque in *majorum suorum sepulchris*

» jacere, ut Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen » negamus propriam eligere sepulturam. » Vide etiam cap. *Licet*, *de sepultur.*, in 6°; Clement. *Dudum*, *de sepultur*[1]. Hoc jus tamen à Gubernio nostro non agnoscitur, nisi dependenter ab auctoritate municipali, quando agitur de sepulturâ extra cœmeterium communitatis propriæ electâ. Vide *Journal des Fabriques*, tom. 4, p. 333.

1395. Pro impubere, sepulturam eligere potest pater et, ipso deficiente, mater; hisque deficientibus, consanguinei, affines, etiam tutor, modò ea sit regionis consuetudo, ex cap. *Licet* modò citato; sic communiùs sentiunt DD. (Bouix, *De Parocho*, p. 486; Ferraris, v° *Sepultura*, n[is] 104 et 105).

Electio autem sepulturæ probari debet. Vide quomodo, apud *Ferraris*, v° *Sepultura*, n° 110.

Pro uxoribus, vide canonem *Ebron*, causa XIII, q. 2, et can. *Unaquæque*, ib., et insuper Ferraris, *ibid.* n[is] 72, 74, 82.

Circa locum sepulturæ, vide alia plura ap. Ferraris, *ibid.*, n° 9, etc.; item apud R. de M., tom. 2, p. 219, etc.; et infra dicenda (4733-4748).

1396. Eligi nequit à laicis utriusque sexûs sepultura in ecclesiis monialium, absque speciali licentiâ S. C. Episc. et Regul. Sic pluries decisum à S. C. Congr. Episcop. et Regul., ap. Ferraris, *ib.*, n° 137.

De juribus confraternitatum quoad sepulturam, vide Ferraris (v° *Confraternitas*, art. 5).

1397. Sepultura non est eligenda, nisi in ecclesiâ vel cœmeterio ecclesiæ quæ, vel jure ordinario, prout ecclesiæ parochiales, vel ex privilegio, sepulturas habere possit. Istud privilegium ecclesiæ non parochiali potest concedi ab Episcopo de consensu tamen Capituli Cathedralis. Leuren. (*Flor. benefic.*, q. 452, n° 2).—In Galliâ sepultura non potest eligi in ecclesiis sinè consensu Gubernii, juxta de-

[1] Religiosi tamen qui non fuerunt ejecti a monasterio, jus non habent eligendi sepulturam, cùm *velle et nolle* non habeant, nisi a propriis monasteriis tam sint remoti, quòd ad ea portari nequeant. Cap. *Religiosi*, *de sepult.* in 6°.

cretum 23 prairial an XII, in quo dicitur : « Art. 1. Au-
» cune inhumation n'aura lieu dans les églises, temples,
» synagogues, hôpitaux, chapelles publiques, et généra-
» lement dans aucun des édifices clos et fermés, où les
» citoyens se réunissent pour la célébration de leurs cultes,
» ni dans l'enceinte des villes et des bourgs. »

1398. Canonici Cathedralis decedentes, non electâ sibi sepulturâ, sepeliri debent in ecclesiâ Cathedrali, si in eâ adsit sepulchrum proprium Canonicorum ; si verò non adsit, sepeliri debent in sepulchro majorum. Vide Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 8, n^is 11-13. An in defectum eorum debeat venire *ecclesia parochialis*, nihil fuit decisum à S. C., *ibid.*.

1399. Clerici beneficiati et parochi qui specialem non elegerunt sepulturam, sepeliendi sunt in ecclesiâ ubi beneficium obtinent, servitiumque personale exhibent, etiamsi in alienâ parochiâ habitent et defuncti fuerint : quod facilè eveniri potest in amplis urbibus. Ita communiter; et eruitur ex capit. *Dilectus*, *de rescriptis*, ex quo deducitur locum beneficii censeri residentiæ locum. Vide *Instit.* R. de M., tom. 2, p. 217.

1400. In monasterio suo respectivo, etiam parocho invito, sepeliri possunt novitii etiam extra monasterium decedentes, non electo loco sepulturæ, si ad illud transferri queant; item in monasterio possunt sepeliri postulantes, domestici religiosis inservientes et apud ipsos degentes, quando intra septa monasterii decedunt; tertiarii qui collegialiter vivunt; tertiariæ quæ cum habitu tertiariarum et voto castitatis collegialiter vivunt. Vide Ferraris, v° *Sepultura*, n^is 31, 32, etc., 42, 50.

1401. « Ubi autem esset sepelienda educanda, si more-
» retur in monasterio exempto, nullâ electâ sepulturâ,
» variant Doctores. » (Vide Ferraris, v° *Moniales*, art. 1,
n^is 61-62.) « Quod dicitur de educandis, idipsum dicen-
» dum est, servatâ proportione de tumulatione mulierum
» sæcularium in monasteriis monialium legitimâ facultate
» commorantium, et inibi decedentium. » (Ferraris, *ibid.*
63.)

1402. « Advenæ seu hospites, aliique casu decedentes » in regularium conventibus, nisi elegerint ibidem sepul» turam, sepeliendi sunt de jure communi in parochiali : » cap. *In nostrâ* 10, *de Sepulturis*. Ita censuit S. C. Conc. » in *Ripanâ*, 3 febr. 1652. » Ita Ferraris qui insuper addit plures alias decisiones, v° *Sepultura*, n° 26. Eadem sunt dicenda de regularibus advenis et hospitibus, tam viris quàm feminis, qui in conventibus alterius ordinis decedunt (*ib*., n^{is} 44, 46).

1403. Infirmi in hospitali absque electione sepulturæ decedentes, sepeliri possunt ab hospitalis rectore et in ecclesiâ hospitali annexâ, si privilegio sepulturas habendi donata sit.

Circa hospitalia Episcopus Andegavensis contendit quòd emolumenta funeralia ad fabricam parochiæ pertineant, et in probationem affert multas decisiones Gubernii. Vide *Journ. des Fabriques*, 17e année, 1851, p. 303.

1404. Officium super cadaveribus in ecclesiis regularium « fieri debere per ipsos regulares, non autem per alios » curatos, etiam cathedralium, non obstante quâcumque » contrariâ consuetudine, » declaravit S. Congr. Rit., 10 febr. 1629, ap. Bouix, *De Parocho*, p. 487.

1405. Quando defunctus sæcularis tumulatur in ecclesiâ regularium, tam parochus quàm regulares in quorum ecclesiâ fit sepultura, possunt respectivas earum ecclesiarum pulsare campanas. Ita S. Congr. Rit. (ap. Gardellini, n° 1217).

1406. — II. *Jus funeribus interveniendi*. — Jus habet parochus interveniendi, imò vocatus tenetur intervenire parochianorum suorum sepulturæ, etiam in iis casibus, in quibus non habet jus eos sepeliendi. Quod ita est verum, ait Leurenius, « ut licet à defuncto jussi sint advocari soli » regulares ad sepeliendum cadaver, nullatenus parochus » sit excludendus.., juxta declarationem Congreg... Epis» coporum... Item ut regulares... sinè parocho funus » peragere nequeant extra suas ecclesias ut ad illas ca» daver ducatur, quia esset exercere jurisdictionem in » territorio parochi, in quo illi jus nullum habent, ut-

» pote constrictum ad territorium ipsorum proprium quod » consistit *intra septa et ambitum monasterii.* » Leuren. (*Forum benef.*, pars 1ª, q. 453).

1407. Nullo modo permittendum est quòd funus comitaturi parochum expectent per vias, vel ad domum defuncti, non obstante contrariâ consuetudine. S. R. C., 12 febr. 1633, in *Thelesinâ*, ap. Ferraris (vº *Sepultura*, nº 227).

Debent regulares vocati ad funus associandum accedere ad ecclesiam parochialem, et exinde cum parocho ad domum ex quâ exportandum est cadaver se conferre, nisi alia esset consuetudo in ecclesiâ. Vide Leurenium, ap. Bouix (*De Parocho*, p. 493). — Ad hoc autem non tenentur canonici Cathedralis capitulariter incedentes; pro quibus vide decisionem S. C. Rituum ap. Ferraris, vº *Parochus*, art. 3, nº 52.

1408. Etiam in casu quo parochianus decedit in monasterio, vel casualiter vel tanquam hospes, parochus ad funus vocari debet (Leuren., ut supra).

1409. Non autem necessariò vocandus est parochus quando religiosus decedit extra monasterium. Iste enim defunctus potest deferri ad monasterium et sepeliri, inconsulto parocho. S. Congr. Conc., 2 julii 1620. Ferraris (vº *Parochus*, art. 3, nº 53). Vide etiam Bouix, *De Regular.* (tom. 2, p. 345).

1410 « Quando regularis defunctus sepeliri nequit in » conventûs ecclesiâ (obstante, v. g. lege civili, ut hodie in » Galliâ), possunt regulares cadaver ad commune cœme- » terium deferre, cum stolâ et cruce conventûs, absque » interventu ullius parochi, dummodo tamen cadaver » deferatur absque solemni pompâ et recto tramite ad » cœmeterium. Res decisa fuit in causâ ordinis prædica- » torum, 24 januar. 1846. » Bouix, *De Regular.*, ib.; vide etiam, p. 347, pro monialibus exemptis. Quædam tamen oriri possent difficultates apud nos circa præfatum casum, juxta Episcopum Andegav. (Vide *Journ. des Fabriques*, 17ᵉ année, 1851, p. 302).

1411. Clerus sæcularis nihil potest prætendere propter

exequias aut sepulturam monachorum morientium extra claustra... S. C. Episcop. et Reg., 24 nov. 1634, et 24 sept. 1636, ap. Ferraris (v° *Sepultura*, n° 245).

1412. Ad parochum pertinet, quando ejus parochianus ab aliis sepelitur, et in alienâ ecclesiâ, stolam deferre, corpus è domo levare, aquâ benedictâ respergere et præcinere antiphonam *Exultabunt Domino*, orationem solitam ante januam ecclesiæ cantare. — Ita pluries S. Congreg. Rituum, apud Gardellini : vide n° 4524.

Hæc regularibus non licent, etsi in earum ecclesiâ sepultura fiat, nisi casu quo vocatus parochus, et per tempus unam horam non excedens expectatus, renuerit intervenire ; tunc possunt ad suam ecclesiam deferre.—S. Cong. Concilii, 24 julii 1734 et 19 decembris 1857, apud *Analecta* (mai et juillet 1858, col. 797 et 798). — Vide etiam D. Bouix (*De Parocho*, p. 490).

1413. Parochus autem tenetur associare cadaver usque ad ecclesiæ regularium januam (*ibid.*). « Occasione funerationis cadaverum alterius diœcesis aut parochiæ in ecclesiis regularium, potest proprius parochus defuncti ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad dictas ecclesias, liberè transire per quascumque diœceses et parochias cum stolâ et cruce elevatâ, etiam irrequisitis earumdem parochis (S. Congreg. Episcopor., 24 novembris 1713). » —Vide Ferraris, v° *Parochus*, art. 3, n° 36.

1414. Defunctorum corpora in ecclesiis regularium tumulanda, deferenda sunt recto tramite et per viam à parocho designandam, ad ecclesias ipsorum regularium, etiam contradicentibus hæredibus. S. R. Congr., 19 decembris 1671 in *Savon.*, ap. Ferraris (v° *Sepultura*, n° 221).—Nulla est ergo obligatio præsentandi corpus ad parochiam, quando sepultura fit in aliâ ecclesiâ. — Reiffenst., lib. 3, tit. 28, n° 35.

1415. Quæsitum fuit à Sacrâ Rituum Congregatione « An et cui competat elevatio crucis ?—Responsum est: Crucis elationem competere ad ecclesiam parochialem tumulantem : nempe si cadavera deferantur ad ecclesiam

» Collegialem S. Mariæ Magdalenæ, hujus ecclesiæ crux
» est elevanda, etiamsi defunctus ad S. Hilarii parœciam
» pertineret : et vicissim crucis elevatio competit ad parœ-
» ciam S. Hilarii, si defunctus in hâc ecclesiâ sit tumu-
» landus, quamvis de parœciâ Collegiatæ esset; cum sub
» unâ tantùm cruce ecclesiæ tumulantis in funeribus esse
» procedendum pluries decreverit S. R. Congregatio. »

Attamen si interveniret Capitulum Cathedralis aut etiam Collegiatæ, non alia crux esset deferenda quàm Capituli vel Collegiatæ. — Apud Gardellini, n[is] 2424, 4730 et 1956 (Vide Bouix, *ibid.*, p. 495).

« An plebanus Oppidi Ploraci, associando cadavera
» sepelienda in ecclesiâ S. Francisci Patrum Minorum
» Conventualium, teneatur incedere sub illorum cruce,
» seu potiùs valeat propriam crucem elevare : Sacra Con-
» gregatio respondit : *Affirmativè* ad primam partem, et
» *Negativè* ad secundam. » — In *Camerinâ*, 17 septembris 1750. — « Nisi tamen, inquit Ferraris (v° *Parochus*,
» art. 3, n° 58), alicubi tam parochi quàm regulares
» erigerent propriam crucem ex legitimâ consuetudine,
» quæ est servanda. »

1416. « Associato funere ad ecclesiæ portam, debere
» parochum, vel illum ex Capitulo et Clero penès quem
» animarum curæ exercitium existit, ad populum con-
» vertere, eique absolutione impertitâ, recedere, relicto
» cadavere in ecclesiâ dictorum regularium ad quos dun-
» taxat peragendi officii cura spectabit, » declaravit Sacra Rituum Congregatio 23 martii 1619, apud Gardellini, n° 422. — Vide alia apud Bouix, *ibid.*, p. 491. — An autem possit parochus ecclesias regularium ingredi cum stolâ et altâ cruce, hoc videtur pendere à consuetudine, prout deduci potest ex decisione Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium 1 septembris 1854, relatâ ab *Analectis*, 35° livr. col. 2024, n° 94. « Stante
» consuetudine immemorabili, potest parochus, invitis re-
» gularibus, in ipsorum ecclesiis cum superpelliceo et
» stolâ, simpliciter assistere officio quod ab eisdem regu-
» laribus decantatur, cadaveribus defunctorum præsenti-

» bus. » S. C. Rituum, apud Gardellini, n[is] 2201 et 2206. — Sed tunc nequit ullas functiones exsequi parochus, sed solùm interesse (*ibid.*, n° 2239). — Ab his autem parochum posse impediri, respondit Sacra Congregatio, nisi adsit contraria consuetudo firmiter et legitimè probanda (Gardellini, n° 2684).

1417. In ingressu portæ vel atrii ecclesiæ regularis, aut alterius in quâ sepeliendus est defunctus, Prælatus istius domûs, vel alius de ejus mandato, officium funeralium reassumit. Vide Leuren., ap. Bouix, *De Parocho*, p. 493.

« An liceat parocho Cathedralis Camerinensis, occa-
» sione associationis defunctorum ad ecclesiam regularium,
» deposito feretro ante limina ecclesiæ, preces consuetas
» recitare? — S. Congregatio censuit: *Non licere ampliùs* »
(Gardellini, n° 3644).

1418. Potest parochus prohibere regularibus ne propriam crucem erigant in funeralibus, quando cadavera non deferuntur ad eorum ecclesias (S. C. Rit., ap. Gardellini, n° 570).

1419. Prohiberi nequeunt à parocho regulares ne ad funus vocati corpus associent, psalmos de more cantando (S. Cong. Rit., ap. Gardellini, n° 684).

Parochus impedire nequit quin confraternitates funus associent (S. R. Congr., ap. Gardell., n° 685).

1420. Parochus per cujus parochiæ fines transit funus, nullum jus acquirit, nec transitum impedire potest aut quidquam stipendii petere (S. C. Rit., 14 febr. 1626). Vide Bouix (*ib.*, p. 494); Ferraris (v° *Parochus*, art. 3, n° 37). Auctor tamen *Prælect. S. Sulpitii* (n° 534) contrarium asserit, sed nullam auctoritatem in probationem affert.

1421. Ad parochum spectat declarare per quam viam exportandus sit defunctus. Decisum à S. Congr. Episc., ap. Leurenium.

1422. Non ad parochum, sed ad hæredes pertinet quos voluerint clericos convocare; si ab hæredibus id non fiat, parochus vocare potest quos voluerit, ita ut clerici ecclesiæ externis præferantur. S. C. Episc. et Regular., 23 apr. 1649 (Ferraris, v° *Sepultura*, n[is] 224 et 225). — « Sacerdotes

» inservientes alicui ecclesiæ sunt præferendi in funeri-
» bus. Rota, 14 jun. 1617. » Ferraris, v° *Sacerdos*, n° 31.

A quodam parocho civitatis Mantini *(Bastia)* in insulâ Corsicâ consulta fuit S. Congr. Concilii circa sequentem casum : « An hæredes teneantur vocare prælativè ad fu-
» nera sacerdotes addictos servitio ecclesiæ parochialis
» defuncti, seu potiùs sit in illorum libero arbitrio vocandi
» sacerdotes alterius parœciæ, etiam ad exclusionem præ-
» dictorum sacerdotum ad parœciam defuncti pertinentium
» in casu? — Resp. Attentis peculiaribus circumstantiis
» in casu de quo agitur,—*affirmativè* ad primam partem,
» juxta votum Episcopi,—*negativè* ad secundam: 29 julii
» 1861. » Consultus juxta morem Episcopus motiva æquitatis naturalis, conditionis specialis ecclesiarum in Galliâ, quarum redditus non sunt stabiles, consuetudinis diœcesi propriæ, et periculi tandem dissentionum ex contrariâ decisione exoriturarum exposuerat. Vide *Revue des sciences ecclés.*, septemb. 1861, p. 248.

Ad hæredes pariter spectat determinare numerum cereorum atque alia ad majorem minoremve pompam adhibenda. Pluries decisum refert Leurenius.

« Parochi non possunt cogere hæredes... ut pro defunc-
» tis qui tumulantur in ecclesiis regularium, in ecclesiis
» etiam parochialibus celebrari faciant officia novennalia,
» anniversaria, prout celebrantur in ecclesiis regularium
» in quibus cadavera sepeliuntur.... S. Congr. Conc. 14
» martii 1705. » Ferraris, v° *Parochus*, art. 3, n° 47.

1423. Confraternitates possunt, in funeribus confratrum aut consororum adhibere pannum ipsis proprium. Cogi ergo non debent ad utendum panno parochiali, sed, etiam utentes proprio, solvere debent jus funerarium ab Ordinario præscriptum. S. Congr. Conc., 7 jul. 1855, ap. *Analecta* (mai 1856, col. 2182). Idem videtur esse dicendum de simplicibus fidelibus (*ibid.*).

1424. Quoad præcedentiam, si neque Cathedralis neque Collegiatæ Capitulum interveniat, præcedentia debetur parocho stolâ induto et funus ducenti; unde parochus immediatè ante cadaver, post alios omnes incedere debet. Si

verò interveniat Cathedralis Capitulum, ipsi præcedentia debetur; parochus tunc stolâ indutus, immediatè ante Capitulum incedit; si tamen adsint Cathedralis parochus et Sacrista, quamvis amovibiles, præferuntur parocho, utpote incedentes sub cruce Capituli. Vide Bouix, *De Parocho*, p. 497; Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 58, etc., ubi alia inveniuntur.

1425. Circa tempus inhumationis et cæremonias adhibendas consule *Rituale Romanum* et Statuta diœcesi propria; vide etiam infra dicenda (1685).

In *Rituali autem Romano* dicitur: « Nullum corpus sepe-» liatur, præsertim si mors repentina fuerit, nisi post de-» bitum temporis intervallum, ut nullus omninò de morte » relinquatur dubitandi locus. »

Non sunt pariter omittendæ præscriptiones legis civilis circa inhumationis tempus: sic autem habet Codex noster civilis: « Art. 77. — Aucune inhumation ne sera faite sans » une autorisation sur papier libre et sans frais, de l'offi-» cier de l'état civil... et que 24 heures après le décès, » hors les cas prévus par les règlements de police. »

Decreto verò 23 julii 1805, sic statuitur: « Il est défendu » à tous curés, desservants... d'aller lever aucun corps, » de l'accompagner hors de l'église, qu'il ne leur appa-» raisse de l'autorisation donnée par l'officier civil pour » l'inhumation, à peine d'être poursuivi comme contreve-» nant aux lois. » Defuncti proximi licentiam eum inhumandi petere tenentur. Vide Lequeux, n° 978.

Nihil generaliter statuitur à jure canonico circa intervallum quod intercedere debet inter mortem et inhumationem. Vide tamen Ferraris, v° *Sepultura*, n° 216.

1426. — III. *Jus emolumenta ex funeribus provenientia percipiendi.*

Quæritur 1° An possit parochus legitimè aliquid exigere pro officio sepulturæ?

Resp. 1° Certum est nihil posse à pauperibus exigi. Vide *Rituale Romanum.*

2° Quoad alios: vel agitur de modo sepeliendi ordinario, sinè extraordinariâ pompâ, et tunc *seclusâ consuetudine in*

contrarium, non debet parochus quidquam exigere, quia vi sui muneris, parochus debet talem functionem prout alia pastoralia suis parochianis præstare. Si verò agatur de modo extraordinario sepeliendi, si exigantur v. g. missa cantata aut alia indebita, pro hujusmodi funeribus stipendium exigi potest.

Diximus *seclusâ consuetudine in contrarium;* nam juxta Abbatem contra quosdam alios, talis consuetudo, post traditum sepulturæ corpus, est observanda; vide Barbosa apud D. Bouix (*De Parocho*, p. 499). — Sed, inquit Ferraris, sepultura non est retardanda prætextu compositionis *quartæ funeralis*, et sic decisum refert à S. Congr. Episcop. et Regular., 5 maii 1617 (v° *Sepultura*, n° 169).

« Parochi, inquit *Rituale Romanum*..., iis eleemosynis » contenti sint quæ aut ex probatâ consuetudine dari solent, » aut quas Ordinarius constituerit. » — Ergo parochi possunt aliquid legitimè exigere pro officio sepulturæ, nempe quæ dari solent ex legitimâ consuetudine, aut quæ Ordinarius constituit.

1427. Quærit. 2° Quænam emolumenta ad parochum pertineant quando funeralia extra ecclesiam parochialem peraguntur?

Resp. Tunc parochus jus habet ad *quartam funeralem* seu portionem canonicam. Constat ex cap. *Cùm semper, de sepulturis*, in quo dicitur : « Statuimus ut si aliquem parœcianorum vestrorum alibi contigerit eligere sepulturam, de testamento ipsius *quarta vobis portio relinquatur.* » — Ex cap. *Certificari*, *de sepulturis*, ubi dicitur: « Unaquæque provincia in suo sensu abundet, secundùm » rationabilem consuetudinem regionis, *illa justitia* (id » est portio obveniens ecclesiæ à quâ corpora mortuorum » assumuntur), circa medietatem, vel tertiam aut quartam » partem, pro locorum diversitatibus attendatur. » — Vide etiam S. Liguor. (*De Privilegiis*, n° 93).

1428. Porrò per *quartam funeralem* intelligitur « certa » quantitas à jure canonico inducta, et solvi debita parocho » vel Episcopo ab ecclesiâ illâ in quâ quis, relictâ propriâ, » sepelitur, ex relictis eidem à parochiano defuncto, vel

» obvenientibus ratione funeris. » Ita Leuren., ap. D. Bouix (*De Parocho*, p. 499). — Vocatur *quarta funeralis*, quia de jure ordinario, et nisi aliter ex consuetudine inductum fuerit, debet esse quarta pars emolumentorum quæ, occasione funeris, alienæ ecclesiæ obvenerunt.

Illa quarta pars intelligenda est eorum omnium, sive mobilium sive immobilium, quæ ecclesiæ, in quâ fit sepultura, legantur à defuncto vel afferuntur tempore quo exsequiæ celebrantur, sive ei obveniant antequam corpus in terrâ condatur, sive post, usque ad trigesimam diem quamdiu fit memoria funeris. Vide Leurenium, ap. Bouix (*ib.*, p. 501).

In particulari « 1° Debetur quarta funeralis de candelis » et cereis oblatis; item ex eis qui accensi offeruntur et » ponuntur circa crucem et cadaver. Nulla tamen debetur » portio ex candelis quas fratres confraternitatum aliique » presbyteri in manibus portant, cùm hæ remaneant de» ferentibus juxta declarationem Benedicti XIV..; uti nec » de intortitiis, seu cereis confraternitatum sæcularium » associantium funera... Item nec de intortitiis quæ por» tantur à laicis piis ad associandum funera pauperum.

» 2° Ex iis quæ leguntur sive dantur pro legendis mis» sis. (Sed huic obstat c. *Romanus Pontifex* Ben. XIII.)

» 3° De armis, culcitrâ, pallio, pannis sericis, etc., quæ » in feretro deferuntur », etc. — Ita Leuren., apud Bouix, *ib.*, p. 501, etc. (Contra est S. C. C. ap. Fer. v° *Quarta*, n° 22.)

Non autem omnia monasteria tenebantur ad solvendam illam quartam, sed illa duntaxat tam virorum quàm feminarum quæ ultra 40 annos ante Concil. Trident. (sess. 25) solebant solvere. Constat ex pluribus decretis S. C., et præsertim Sixti IV qui imposuit pœnam excommunicationis et privationis beneficiorum parochis qui vellent prædictam quartam exigere. Excipiuntur tamen monasteria quæ solverent quartam ex contractu aut consuetudine immemorabili. S. Liguor., *De Privilegiis*, n° 94. Vide insuper dicta supra, n° 1411.

Nota hìc quòd quarta debita pro sepulturâ Canonicorum Cathedralium, solvenda erat parocho domicilii, non verò

parocho Cathedralis, neque parocho ubi adesset sepulchrum majorum. S. C. Concilii. Ita Ferraris, v° *Parochus*, art. 3.

Nota adhuc quòd « parochus violenter rapiens vel spo» lians funus antequam veniat ad manus eorum quibus » debetur, perdit jus quod habet ad quartam canonicam, » teneturque restituere cum corpore quidquid accepit... » Sic pluries S. Congr. » Ferraris, v° *Parochus*, art. 3, n° 35.

1429. Præfata legislatio in Galliâ olim observabatur; sic enim legitur apud *Mémoires du Clergé*, tom. 3, col. 496 : « C'est une discipline reçue presque généralement dans les » églises, que les curés qui ont conduit dans l'église d'un » monastère les corps des habitants qui y ont élu leur sé» pulture, partagent par moitié avec les religieux les flam» beaux et autres luminaires. Il y a néanmoins des églises » où l'on n'en donne que la quatrième partie aux curés. » Vide André, v° *Quarte*.

Dicit tamen Fleury, apud Lequeux (n° 977, regula 4ª), à multis sæculis obsolevisse supradictam quartam.

1430. Quærit. 3° Quid sentiendum de modo hodierno procedendi in Galliâ, quando corpora sepeliuntur extra propriam parochiam?—Hodie enim in Galliâ, saltem in pluribus diœcesibus, si cadavera sint extra parochiam propriam tumulanda, parochus loci ea è domo eorum levat stolâ indutus cum cæremoniis consuetis, ipseque statim cum cantu ad propriam ecclesiam ducit, ex quâ, ab eodem factâ absolutione super ipsis, aut etiam celebratâ missâ exsequiali, deinde deferuntur usque ad limites parochiæ in quâ sunt sepelienda, ibique traduntur rectori ejusdem aut ipsius delegato, à quo deferuntur in ecclesiam ubi funeralia sunt peragenda. Funus autem ducitur à domo defuncti usque ad limites propriæ parochiæ sub cruce parochiæ istius; à finibus verò parochiæ usque ad locum sepulturæ ducitur sub cruce ecclesiæ tumulantis. Consueta emolumenta tam proprio parocho quàm rectori ecclesiæ tumulantis persolvuntur.—Quæritur ergo an hæc ritè agantur, et an legitimè possit exigi duplex stipendium præfatum, unum nempe pro parocho domicilii et alterum pro rectore ecclesiæ tumulantis?

mensis et anni (Gardell., n° 4374), dicitur : « Stolam non » esse adhibendam præterquàm in collatione et confec- » tione sacramentorum, ideoque consuetudinem in con- » trarium esse abusum, per locorum Ordinarios omninò » eliminandum. » Adhibenda tamen est etiam in sacramentalibus, uti sunt benedictiones, etc., pro quibus *Rituale* stolam præscribit. Gardellini, n° 4400, apud Herdt, pars 1, n° 59, annot. 1ª.

1435. Parochis sicut cæteris presbyteris vetita est solemnis ea benedictio quæ fit per verba : *Sit nomen Domini benedictum*, etc.

Absente tamen Episcopo, in fine missæ benedictionem simplicem impertiuntur; cujus consuetudinis initium ad XI sæculum refert Nardi, apud D. Bouix, *De Parocho*, p. 516.

PUNCTUM VI.

DE JURE PAROCHI QUOAD CONFRATERNITATES AUT ALIA PIA LOCA, VEL REGULARES.

1436. Vide quæ diximus supra (611-620) circa exemptiones et quoad jura parochialia, et quæ dicturi sumus infra de confraternitatibus (4657-4680).

PUNCTUM VII.

DE POTESTATE PAROCHI IN NONNULLIS DISPENSANDI.

1437. — 1° « Parochi, licet dubitetur inter Doctores » an ex vi juris communis, possint dispensare in jejuniis, » jure tamen consuetudinis certè id possunt, ex justâ causâ, » cum suis subditis particularibus, non verò pro totâ pa- » rochiâ. Ita ex communi sententiâ... Imò valdè probabi- » liter potest parochus in iis dispensare, etiam præsente » Episcopo... Id etiam possunt vicarii parochorum qui » exercent actus parochiales jurisdictionem exigentes, nisi » parochi expressè repugnent. » Ita S. Liguor., lib. 3, n° 1032; DD. Bouvier, tom. 5, p. 515; Collet, *De Temper.*, t. 11, n° 98, qui idem dicit de simplici confessario; sed contradicit S. Liguor. (*ibid.*, 1031).

2° Quoad licentiam operibus servilibus vacandi diebus festis, sic habet S. Liguor. (lib. 3, n° 288) : « Parochus » dispensare potest, quando subditus nequit adire Episco» pum, sed tantùm ad tempus, et pro aliquo particulari » casu. Est doctrina communis[1]. » Imò, inquit idem (lib. 1, n° 190), ex consuetudine, etiamsi sit facilis recursus ad Episcopum.

Etsi causa laborandi die festo sit indubitata, « semper » tamen petenda est licentia... quando publicè laborandum » est; cùm (ad Superiorem) non ad quemcumque privatum » hominem spectet judicium ferre de veritate causæ, nisi » fortè periculum esset in morâ, et grave inde damnum » sequeretur juxta decretum Congr. Concil., 12 ap. 1797. » Ita Barbosa, ap. D. Bouix, *De Parocho*, p. 319.

3° « Ex consuetudine (parochi) possunt dispensare in » minutis et frequentibus, in iis tamen rebus tantùm in » quibus ex consuetudine introductum est ipsos dispen» sare. » S. Liguor., lib. 3, p. 288.

1438.—4° In impedimentis matrimonii parochus non potest quidem dispensare; sed in casu urgentis necessitatis quando, paratis omnibus ad matrimonium contrahendum, detegitur impedimentum occultum, si neque ad Episcopum absque scandalo recurri possit, probabile putat S. Liguor. (lib. 6, n° 613) quòd possit parochus declarare quòd lex tunc non obliget, et celebrare matrimonium : prudenter tamen pro majori cautelâ recurrendum erit postea ad dispensationem episcopalem. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 141.

PUNCTUM VIII.

DE JURE PAROCHORUM CIRCA ALIA SUPERIUS NON RECENSITA.

1439. « Parochus impedire nequit ne regulares pro» priam crucem erigant in processionibus, licet id im» pedire possit in funeralibus. » (S. Congr. Rit., ap. Gardellini, n° 370.)

[1] Ex statutis diœcesis hujus Valent., parochi, petentibus magistratibus vel notabilioribus loci et concurrentibus archipresbyteris ruralibus, etiam generalem licentiam concedere valent (*Ordonn.*, p. 67).

« Impedire nequit quominus in aliis ecclesiis missæ » ante parochialem celebrentur (*ibid.*, n° 997). » Vide dicta supra (596 et 619 ad 15^{m}).

« Parochi cogi possunt... præsertim in solemnibus... » ad interessendum choro Cathedralis (S. R. Cong., » 16 junii 1668, apud Gardellini, n° 2075); » et tunc nequeunt deferre stolam extra proprium parochiale officium (S. R. Congr., *ibid.*, n° 2454).

Ad parochos privativè pertinet jus benedicendi campis, et maledicendi animalibus. S. Congr. Rit., ap. Gardell., n° 2139.

1440. Parochum cogere nequit Episcopus, sed duntaxat eum hortari ut sacerdotibus in ecclesiâ parochiali celebrare cupientibus necessaria ad sacrificium subministret. S. Congr. Rit., ap. Gardell., n° 3494.

Parochis non competit jus benedicendi concionatoribus (S. R. Congr., ap. Gardell., n° 3054).—Vide D. Bouix, *De Parocho*, p. 524, etc.

1441. Quoad præcedentiam, vide dicta supra (632). « Parochus tanquam caput ecclesiæ parochialis thurificandus est ante dominum loci. » S. R. Congr., 14 febr. 1672. Vide Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 69.

De exemptione à parochiali jurisdictione, diximus supra (611-622).

§ VI.

De obligationibus parochorum.

PUNCTUM I.

DE EMITTENDA PROFESSIONE FIDEI ET SPONDENDA OBEDIENTIA ROMANO PONTIFICI.

1442. Sic à Concilio Tridentino (sess. 24, cap. 12, *de ref.*) fuit sancitum : « Provisi de beneficiis quibuscumque » curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ » possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus » ipsius Episcopi, vel, eo impedito, coram Generali ejus » Vicario seu Officiali, orthodoxæ fidei publicam facere

» professionem, et in Romanæ Ecclesiæ obedientiâ se » permansuros spondeant ac jurent. »

1443. Formulam autem tunc adhibendam præscripsit Pius IV in suâ Constitutione *Injunctum* 1564. — Hoc præceptum sub gravi obligare ut certum tenent multi ap. Giraldum, vide Bouix, *De Parocho*, p. 528; S. Liguor., lib. 2, n° 11, resp. 3.

1444. Ad hanc fidei professionem emittendam ultrò parochus tenetur se offerre, juxta eumdem Giraldum, et hoc intelligendum de quâlibet parochiæ adeptione, cui consonat Concilium Avenion. 1849 (p. 5); nec per procuratorem, sed per seipsum emittere tenetur. S. Cong. Conc., 9 febr. 1726. Vide etiam Bened. XIV, *Instit.* 60, n^{is} 1 et 3.

1445. Juxta Concil. Trident. modò relatum, omittens professionem fidei amittit fructus omnes sui beneficii, sed à die tantùm elapsorum duorum mensium; si postea obligationi huic satisfaciat, tunc quidem fructus suos faciet, sed non recuperabit amissos. Nequit autem Episcopus fructus amissos condonare, sed ad Sedem Apostolicam est recurrendum. Controvertitur utrum ante sententiam declaratoriam teneatur parochus illos fructus restituere : affirmat Giraldus, ap. D. Bouix, *ib.*, p. 530. Videtur negare S. Liguor., lib. 2, n° 11, resp. 3, 2.

1446. Ad illam professionem astringuntur etiam parochi amovibiles (Cf. C. Avenion. 1849, p. 5), ex responso S. C. C. quod vide in app. I.; dantur vero indulta ut in manibus delegati emitti possit hæc professio.

Utrum autem consuetudine tolli potuerit illa obligatio, vide dicta (144), et Bouix, *De Parocho*, p. 531.

De cæteris beneficiariis et canonicis dicemus infra (2365-2369); vide etiam D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 376.

PUNCTUM II.

DE OBLIGATIONE RESIDENDI IN PAROCHIA.

1447. De hâc obligatione sic decernit Synodus Trident. (sess. 23, cap. 1, *de ref.*) : « Eadem omnino, etiam quoad » culpam, amissionem fructuum et pœnas, de curatis » inferioribus et aliis quibuscumque qui beneficium

» aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obti-
» nent, Sacrosancta Synodus declarat et decernit : ita ta-
» men ut quandocumque eos, causâ priùs per Episcopum
» cognitâ et probatâ, abesse contigerit, Vicarium idoneum
» ab ipso Ordinario approbandum cum debitâ mercedis
» assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam,
» in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tem-
» pus, nisi ex gravi causâ, non obtineant. Quòd si per
» edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fue-
» rint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras eccle-
» siasticas et sequestrationem et substractionem fructuum
» aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem com-
» pellere; nec executionem hanc, quolibet privilegio,
» licentiâ..., exemptione,.. pactione, statuto juramento
» aut quâcumque auctoritate confirmato, consuetudine
» etiam immemorabili (quæ potiùs corruptela censenda
» est), sive appellatione aut inhibitione etiam in Romanâ
» Curiâ.., suspendi posse. »

1448. Certum est parochos ad residentiam teneri sub gravi peccato : in præfatis enim verbis, Synodus Tridentina eadem de curatis inferioribus decernit ac de Prælatis; porrò de istis loquens paulò superiùs in eodem capite, S. Synodus affirmat eos *mortalis peccati reatum* incurrere, si non residentiam à Concilio statutam observent. Ergo, etc.

1449. Quærit. 1° An parochi ad residentiam teneantur jure divino?

Resp. Id à multis affirmari : et ita esse tenendum asserit S. Liguor., lib. 4, n° 121. Vide etiam Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n^is 1-4.

« Nec obstat, inquit Ferraris (v° *Episcopus*, art. 3, n° 2),
» quòd Papa super tali residentiâ (loquitur de Episcopis)
» aliquando dispenset: quia dispensatio potest capi dupli-
» citer : 1° pro juris relaxatione : et 2°..., pro juris decla
» ratione : et hoc secundo modo Papa dispensare potest
» super jure divino..., declarando et interpretando...
» jus divinum. » Vide insuper dicta supra (693).

Probatur hæc sententia ipsismet verbis Concilii Tridentini (*ibid.*) : « Cùm præcepto divino mandatum sit (inquit),

» omnibus quibus animarum cura commissa est, oves » suas cognoscere...; quæ omnia nequaquam ab iis præs» tari... possunt, qui gregi suo non invigilant neque as» sistunt, sed mercenariorum more deserunt, etc. » Ergo, etc.

« Sed, inquit Bened. XIV (*De Synodo*, lib. 7, cap. 1, » nº 4)... non dixit Trident. non posse oves pascere, qui » non resident, sed *qui gregi suo non invigilant neque* » *assistunt, sed mercenariorum more deserunt*... eumque » non deserere qui, etsi absens sit corpore, illius tamen » regimini et tutelæ sedulò excubat animo. »

In suâ autem allocutione ad Cardinales et Episcopos, kalendis martii 1564, sic aiebat Pius IV, circa præsentem quæstionem : « Licet verò... neque in isto Concilio clarè » definitum sit, an residentia de jure divino esse censea» tur, quod neque etiam nos nunc ex improviso definire » audemus... » (*De Synodo*, ibid.) Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 2, 3, etc.

1450. Quærit. 2° Quinam parochi lege residentiæ astringantur?

Resp. 1° Ad residentiam non tenentur parochi impropriè dicti seu parochi *in habitu*, quia ad eos non spectat curæ exercitium, nec curam animarum verè habent.—Item propter eamdem rationem ad residentiam non tenentur vicarii qui adjuvant parochos per seipsos exercentes; abesse tamen à parochiâ non debent sinè licentiâ parochi aut Episcopi.

1451.—2° Lege autem residentiæ tenentur omnes parochi propriè dicti, qui beneficium parochiale perpetuum habent; de his enim præsertim loquitur Concilium Trident. Imò hâc eâdem lege tenentur parochi amovibiles et vicarii curati, tam temporales quàm perpetui, quia revera habent curam animarum et sunt *curati inferiores* de quibus loquitur Synodus Tridentina. Idem dicendum est de vicario temporali qui, vacante parochiâ, ad curam ibi exercendam, donec de rectore provisa fuerit, deputatur. Vide Bouix, *De Parocho* (p. 538).

1452.—Quando parochus coadjutorem habet, tam coad-

jutor quàm coadjutus residere tenentur. Ita decisum à S. Congr. Concil., in *Ravenn.*, 1577 ; in *Brixiensi*, 5 nov. 1620, ap. Bouix (*ibid.*, p. 539, etc.).

1453. Quærit. 3° An sint causæ ex quibus legitimè parochi abesse possint à suâ parochiâ ?

Resp. Affirmativè, etiam in sententiâ eorum qui volunt parochos ad residentiam obligari jure divino; quia non alia residentia, juxtà eos, exigitur jure divino, quàm ea quæ ad convenientem gregis custodiam sufficiat; porrò nonnullæ ad tempus et justis de causis absentiæ non impediunt hanc sufficientem gregis custodiam : « Quoniam, inquit » Concil. Trident. (sess. 23, cap. 1, de *reform.*), qui ali» quantisper tantùm absunt, ex veterum canonum sen» tentiâ non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, » Sacrosancta Synodus vult illud absentiæ spatium, sin» gulis annis, sive continuum sive interruptum, *extra* » *prædictas causas*, nullo pacto debere duos aut ad sum» mum tres menses excedere; et haberi rationem ut id » æquâ ex causâ fiat, et absque ullo gregis detrimento. » Ita loquitur S. Synodus de Episcopis; sed ex eodem Concilio, prout supra vidimus (1447 et 1448), hæc eadem curatis sunt applicanda.

1454. Illas autem *prædictas causas* propter quas ultra duos aut tres menses abesse possunt Episcopi, sic, eodem capite recenset S. Synodus : « *Cùm christiana charitas*, » *urgens necessitas*, *debita obedientia ac evidens Ecclesiæ* » *vel Reipublicæ utilitas*, aliquos nonnunquam abesse » postulent et exigant. » — (Sess. 23, cap. 1, *de reform.*)

1455. Quærit. 4° Quænam causæ legitiment parochorum absentias ?

Resp. 1° Si agatur de absentiâ ultra bimestre, requiritur causa gravis, videlicet : *christiana charitas*, *urgens necessitas*, etc., prout modò retulimus in quæstione præcedenti ex Concilio Tridentino.

Servitium ipsi Episcopo præstandum non est causa sufficiens pro hujusmodi absentiâ, uti declaravit S. Cong. Concilii, juxta Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 44.

1456. 2° Si agatur de absentiâ tantùm per bimestre,

sive continuum sive interruptum, non requiritur causa gravis: cùm talem Concilium solummodo requirat pro absentiâ ultra bimestre, sed sufficit *æqua seu rationabilis*, imò sufficit recreationis causa vel similis. Ita communiter ap. Ferraris, v° *Parochus*, art. 5, n° 37.

1457. Quærit. 5° An præter legitimam causam, etiam licentia Superioris requiratur pro absentiâ parochi? et cujusnam Superioris? et an in scriptis?

Resp. Ad Episcopum pertinet judicare de legitimitate causæ, sive ad bimestre, etiam ad unam hebdomadam, sive ad longioris temporis absentiam; et patet ex verbis supra relatis (1447). Ab Episcopo tamen datur recursus ad Superiorem, uti declaravit S. C. Conc. (Vide Bouix, *De Parocho*, p. 564 et 565; Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 1). Sunt autem auctores qui ad absentiam bimestrem non requirunt licentiam Episcopalem, ut videre est ap. S. Liguor., lib. 4, n° 123, dub. II [1].

1458. Pro absentiâ perpetuâ, quantumvis gravis adsit ratio, non sufficit Episcopi licentia sed requiritur Apostolicæ Sedis Indultum. Id constat ex Concilio Trident. (sess. 6, c. 2), ubi dicitur: « Nullique privilegia, seu indulta » *perpetua de non residendo*, suffragentur; » non tamen solent Romanæ Congregationes perpetua illa indulta concedere, ait D. Bouix, sed facultates duntaxat ad sex menses (*ib.*, p. 545). Imò S. Liguor., lib. 4, n° 121, dicit in hoc Summum Pontificem non posse dispensare, sed tantùm declarare jus divinum tunc non obligare, justis intervenientibus causis.

Unde ob inimicitias ipsi parocho personales, licentiam perpetuam non residendi Episcopus concedere nequit, imò in hoc casu, nec etiam licentiam ad tempus. Ita S. C. Conc., anno 1589, in *Faventinâ*. « Prætextu inimicitiarum mi-

[1] De his prodiit edictum Gubernii in Galliâ 13 martii 1832, juxta quod Episcopi non possunt concedere licentiam abessendi suis parochis ultra octo dies. Pro absentiâ unum mensem non excedente præmoneri debet Præfectus, Minister verò cultuum pro absentiâ ultra mensem: sed hæc legis dispositio non potest, uti evidens est, conscientiam ligare.

» nimè eximendos esse (parochos à residentiâ), nisi obti-
» nuerint litteras à Congreg. Concilii. » (Ap. Bouix, *ibid.*, p. 531.) « Ubi autem inimicitiæ sunt verisimiliter duraturæ, » ait Fagnanus, ut consulatur curæ animarum, inducen-
» dus est parochus ad resignandum, vel permutandum. » Vide etiam S. Liguor. (lib. 4, n° 125) qui dicit hoc fieri debere *transacto anno*, et tunc parochus cogi debet ad renuntiandum. V. Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 87, in notâ.

1459. Ad legitimandam absentiam etiam bimestris non sufficit causa justa, sed requiritur licentia etiam scriptis data. Ita S. C. Concilii quæ, anno 1573, declaravit parochos per duos menses abesse non posse, *nisi causâ cognitâ et probatâ ab Ordinario*, *et ab eodem in scriptis obtentâ licentiâ.* Vide adhuc Declar. 7 octobr. 1604, ap. D. Bouix, *De Parocho*, p. 535. His consonabat Edictum Blesence, art. 14.

Controvertitur utrum invalida esset licentia oretenus et non scriptis data : sententiam negantem non improbabilem dicit S. Liguor., lib. 4, n° 123. « Imò, inquit, Coninchius » et Reg... asserunt sufficere licentiam tacitam, saltem si » talia concurrant signa ut constet Episcopum actu con-
» sentire. » Sed S. C. Concilii, 7 octobr. 1604, declaravit non sufficere hujusmodi licentiam tacitam. Vide ap. D. Bouix, *ib.*, p. 535.

1460. Item disputatur utrum *de jure communi* necessaria sit Episcopi licentia, pro absentiâ intra hebdomadam quæ ultra biduum duret : supponitur quòd interim idoneus relinquitur vicarius in diœcesi approbatus ; licentiam tunc non esse necessariam putat Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 33 ; et huic sententiæ praxis consonare videtur apud nos. Vide Bouix, *ibid.*, 554.

Diximus *jure communi*, quia standum esset statutis diœcesanis quæ hanc licentiam obtinendam præscriberent, etiam pro absentiâ qualicumque. Ita S. Liguor., lib. 4, n° 123 in fine. Sed D. Bouix nimis rigidum videtur hanc licentiam præscribere pro uno die. Vide in hoc sensu decisionem S. Cong. C. apud *Analecta*, juillet et août 1857, col. 22.

1461. Si abessendi necessitas ita urgeat, ut non patiatur moram expetendæ licentiæ, parochus abscedere poterit, *relicto idoneo vicario*, dummodo quamprimùm de suâ absentiâ certiorem faciat Episcopum. Constat ex declar. S. C. Conc., 7 oct. 1604 (Vide Bouix, *ib.*, p. 534).

1462. Approbari debet hic vicarius ab Ordinario. Posse autem substitui *parochum omninò vicinum*, qui ferè eâdem facilitate arcesseretur ac si habitaret in ipsâ parochiâ, affirmat Lequeux (n° 382) qui vult *ut iste diligenter præmoneatur*, ne absit pariter et ut *in parochiâ absentis nemo ignoret* ad quem, necessitate urgente, sit recurrendum. Vide etiam *Prælect. S. Sulpitii*, n° 226.

1463. Multi tenent, inquit idem Lequeux, quòd abesse absque substitutione vicarii *per duas vel tres dies*, etiam nullo infirmante, si nulla causa extraordinaria talem absentiam legitimaret, esset *probabiliter mortale*, maximè in villis ubi non facilè alius sacerdos adiri posset. Citantur Possevin.; Barbosa; Reiffenst., lib. 3, tit. 4, n° 83; Collet, etc. Vide Lequeux, *ibid.*

1464. « Si tempore quo urget repentina discessio ob » periculum instans... adsit infirmus, et non habeat paro- » chus quem substituat ad conferenda sacramenta, nec » infirmus commodè possit expectare sacerdotem aliunde » arcessendum, tenetur curatus subire quodvis periculum » potiùs quàm relinquere infirmum.» Ita Barbosa, ap. Lequeux, *ibid.*

1465. Motivum absentiæ Episcopo est exponendum, nec sufficit ipsi dicere causam esse gravem et hoc juramento firmare. Ita Declarat. S. Congr. Conc., 17 oct. 1604, ex Concil. Trident., ubi dicitur : *Causâ priùs per Episcopum cognitâ et probatâ.*

In dubio de justitiâ causæ, Episcopi judicio standum est.

1466. Quærit. 6° An consuetudo possit excusare a residentiâ ?

Resp. Negativè, cùm, juxta Concil. Trident., *potiùs corruptela censenda sit* (Sess. 23, c. 1). Vide supra (1447).

1467. Quærit. 7° An parochi studentes vel docentes à residentiâ eximantur?

Resp. 1° Ante Concil. Trident., poterant parochi à parochiâ abesse studiorum causâ usque ad septennium; sed à tempore ejusdem Concilii ampliùs hoc eis non licet, saltem juxta probabiliorem sententiam : etenim, eis non licet abesse ultra bimestre, absque *gravi causâ;* porrò causa studiorum non potest esse gravis erga parochos qui jam edocti supponuntur, dum eligi nequeant nisi per *concursum*. Ita decisum à S. C. Conc. refert D. Bouix, *De Parocho*. Vide etiam S. Liguor., lib. 4, n° 132; et Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 43.

1468. Resp. 2° Juxta D. Bouix et alios (*ib.*, p. 547), à residentiâ non excusantur parochi theologiam docentes. Ferraris (*ibid.*, n° 26) dicit S. C. Conc. declarasse non excusari parochos docentes grammaticam. Sanctus autem Liguor. (lib. 4, n° 132) citat plures auctores *probabiliter* admittentes posse à residentiâ excusari parochos docentes *Sacram Scripturam*, *Theologiam aut Jus canonicum* in scholis publicis (non autem privatis), quia id redundat in bonum totius diœcesis, imò universalis Ecclesiæ. Vide supra (369).

1469. Quærit. 8° Utrum aeris intemperies sit legitima non residendi causa?

Resp. Morbum cum aeris inclementiâ esse causam sufficientem ut Episcopus ultra duos menses abessendi licentiam concedat, modò tamen infirmitas non sit perpetua et absentia non sit ovibus graviter nocitura; tunc enim pastor deberet vel residere, vel curam resignare. Item modò periculum sit particulare ipsi pastori : nam quando est commune toti populo, prout accidit tempore pestis, tunc residere debet parochus ut, per se vel per alios, administret sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ; sic declaratum fuit à S. C. Conc., anno 1576, 11 oct., instante S. Carolo Borromæo [1]. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 233; Ferraris, v° *Pa-*

[1] Mandavit Gregor. XIII : « Scribendas simpliciter litteras ad Card. » S Praxedis, quibus significetur Sanctitatem Suam decrevisse paro- » chos tempore pestis omnino teneri residere in suis ecclesiis, posse » tamen per alium idoneum ministrare sacramenta Baptismi et Pœni- » tentiæ : et si non residerint, contra eos procedendum, servatâ formâ » Trident., sess. 23, cap. 1. » Ap. S. Liguor., lib. 6, n° 233.

rochus, art. 2, n° 29 ; Bouix, *De Parocho*, p. 574. Idem est dicendum, ait Sporer, de tempore incursionis hostium (S. Liguor., lib. 4, n° 125) ; et tunc parochus, etiam cum periculo mortis, tenetur ministrare duo præfata sacramenta. De Viatico controvertitur, ap. S. Lig. lib. 6, 233. Negatur verò quoad Extremam-Unctionem, *ib.*, 729. Non autem potest parochus in prætatis circumstantiis officio suo renuntiare, licet possit alios substituere cum Ordinarii licentiâ. S. Liguor., lib. 2, n° 27. Vide tandem super his omnibus Reiffenstuel, lib. 3, tit. 4, n^{is} 102-106, ubi illa luculentissimè expendit.

1470. Quærit. 9° An ætas senilis, vel adversa valetudo excuset à personali residentiâ ?

Respond. Negativè. Ita decisum à S. C. Conc., 6 apr. 1647, apud D. Bouix, *ibid.*, p. 536.

1471. Quærit. 10° An parvus numerus parochianorum excuset?

Resp. Negativè, etiamsi tres duntaxat remanerent. Ita decisum à S. Congr. Conc. refert Fagnan., ap. D. Bouix (*ib.*). Vide etiam Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 6.

1472. Quærit. 11° An legem residentiæ impleat qui residet quidem, sed inutiliter, nihil operando pro parochiæ bono?

Resp. 1° Ex Bened. XIV (*Inst.* 17, n° 6) certum est hujusmodi parochos desides lethali crimini esse obnoxios. Ita etiam S. Liguor., lib. 4, n° 127, v° *Sentit*, in fine.

« Parochus, inquit Ferraris (v° *Parochus*, art. 2, » n° 18, etc.), non satisfacit præcepto residentiæ, si resi- » deat quidem personaliter in parochiâ, sed totam curam » relinquat Çapellano, nulla per seipsum munia parochialia » obeundo... Residere enim est Ecclesiæ deservire per » seipsum...

1473. » Potest tamen parochus... unum vel plures » cooperatores habere, et ipsi seu ipsis relinquere mu- » nera magis ardua, ut ire de nocte ad infirmos, peragere » divina officia in ecclesiis filialibus distantibus, confessio- » nes multas audire et hujusmodi : dummodo simul ipse- » met parochus, cessante justo impedimento, aliqua etiam

» munia pastoralia, præsertim principaliora personaliter » præstare non intermittat; et quando nominatim vocatur » à parochianis, ad ipsos præsertim infirmos ire non » recuset.... Docetque hoc recepta consuetudo quæ est » optima legum interpres. » Eadem habentur ap. Reiffenst., lib. 3, tit. 4, n[is] 85-87.

« Communiter dicunt DD., inquit S. Liguor. (lib. 4, » n° 127), ex declar. S. C., quòd parochus non reputetur » residere si per seipsum non exerceat principaliora mu- » nera, nempe administrationem verbi divini, sacramen- » torum, etc. »

1474. Quoad restitutionem fructuum, quidam dicunt ad illam non teneri parochos inutiliter residentes, quia, inquit Reiffenstuel (lib. 3, tit. 4, n° 87), tales corporaliter resident, et per cooperatores, curam animarum suis sumptibus gerunt; sed contrarium veriùs putat S. Liguor., cujus rationes vide (*ibid.*, dub. 3). — Vide etiam infra dicenda (2361, etc., 5426, etc.).

1475. Quærit. 12° In quo loco possint et debeant residere parochi?

Resp. Regulariter parochos debere habitare intra parochiæ limites et in domo parochiali, si adsit. Ita S. Congr. Conc., ap. Fagnan. Vide Bouix (*ib.*, p. 560).

Justâ autem causâ interveniente, potest parochus alibi quàm in parochiali domo habitare; sic parocho seni concessit S. Congregatio ut in domo paternâ ecclesiæ vicinâ manere posset. Vide apud Fagnan. à D. Bouix citatum, *ibid.*, p. 561.

Imò extra parochiæ limites habitare potest parochus, justâ de causâ cum licentiâ, modò locus ita vicinus sit ut officium suum convenienter explere valeat; sic S. Congr. Conc. die 16 jun. 1607: « Censuit... Episcopum... posse » permittere, ut rector, qui neque ex fructibus ædes in » parochiali construere, nec alias intra suæ parochiæ fines » conducere potest, inhabitet domum in alterâ parochiâ » viciniori... atque ita... animarum curam gerat, fructus- » que suos faciat.., donec alia ratio, quâ residentiæ ada-

» mussim satisfiat, possit iniri. » Vide alias declar. apud D. Bouix, *De Parocho*, p. 561, etc.

« Rectè dicunt Bonacina et Salmant... nequaquam residentem censeri parochum qui habitaret procul à suâ ecclesiâ, per tria aut quatuor milliaria, imò etiam per duo.... Imò..., addit (Croix) cum Lucâ... non satis residere parochum, etiamsi habitet intra fines parochiæ, si oves non facilè ad eum accedere possent. » (S. Liguor., lib. 4, n° 124.)

1476. « Neque potest Episcopus, inquit Ferraris (v° *Parochus*, art. 2, n° 90), potestatem facere parocho, extra domum parochialem habitandi, nisi ad breve tempus..., etiamsi pro aeris intemperie nequeat parochus in parochiali domo habitare. Nam... (non) potest Episcopus licentiam... dare extra domum parochialem in perpetuum habitandi. » Vide tamen supra (369).

1477. « Quando parochia distat à civitate duobus passuum millibus aut ampliùs, non licet parocho in civitate diu noctuque, exceptis diebus festis, commorari, etiam relicto in parochiâ substituto : item non ei licet nocturno duntaxat tempore in parochiâ habitare et, dictâ missâ summo mane, ad civitatem redire..., quamvis etiam substitutum in parochiâ manentem haberet. Item, vice versâ, non ei licet nocturno tempore, per majorem anni partem in civitate morari, quamvis diurno in parochiâ degeret atque ibi habitantem substitutum haberet. » Ita decisum à S. C. Conc., 10 maii 1687, ap. Bouix, *De Parocho*, p. 536, 562.—V. etiam *Prælect. S. Sulpitii*, n° 225.

1478. « Quando parochus absque legitimâ causâ non habitavit in domo parochiali, sed in aliâ intra fines parochiæ, etsi contra præceptum residentiæ peccaverit, non tamen tenetur ad fructuum restitutionem ; atque idem dicendum videtur si habitaverit extra parochiæ limites, modò necessaria ad curam præstiterit. In utroque casu, si jussus ab Episcopo ut debito loco habitaret, parere renuerit, mulctari potest. » Ita concludendum videri ex variis S. C. Conc. decisionibus, ait D. Bouix, *ibid.*, p. 562 et 563.

1479. Quærit. 13° Quomodo amittant fructus sui beneficii parochi non residentes?

Resp. Parochos ultra bimestre absentes, sinè sufficienti causâ, *fructus suos pro ratâ temporis absentiâ non facere, nec tutâ conscientiâ (aliâ etiam declaratione non secutâ) illos sibi detinere posse, sed teneri*, ipsis non præstantibus, *per superiorem ecclesiasticum illos fabricæ ecclesiarum, vel pauperibus loci erogare.* Id constat ex Conc. Trid. (sess. 23, cap. 1, *de ref.*); postquam enim hoc statuit S. Synodus contra Episcopos ultra trimestre non residentes, sic addit: « Eadem omninò, etiam quoad culpam (sed hic ultra bi- » mestre), amissionem fructuum..., de curatis inferiori- » bus... Sacrosancta Synodus declarat et decernit. »

1480. Si abesset parochus cum justâ causâ, sed sinè licentiâ, non teneretur ad restitutionem fructuum ante judicis sententiam. Ita Viva à S. Liguor. citatus. Aliter esset dicendum de Episcopis, ex Bullâ Bened. XIV *Ad universæ* (S. Liguor., lib. 4, n° 127).

Si verò parochus abesset bonâ fide ultra bimestre cum existimatione causæ sufficientis, quæ reverà talis non esset, quidquid dicant in contrarium Viva et Garcias, excusari non potest, juxta S. Liguor., ab obligatione fructus restituendi; quia fructus non dantur nisi sub conditione residentiæ, quæ tunc revera non fuit observata quamvis inculpabiliter. S. Liguor., lib. 4, n° 127, dub. 2.

1481. Controvertitur autem utrum sit obligatio omnes fructus tempori absentiæ correspondentes, restituendi. Probabilem putat S. Liguor. cum aliis pluribus sententiam quæ dicit esse tantùm obligationem restituendi partem fructuum quæ residentiæ correspondet, quia fructus dantur pastoribus non solùm pro onere residentiæ, sed etiam pro recitatione divini officii et aliis muneribus (*ib.*, dub. 4).

1482. Quærit. 14° Quomodo Episcopus procedere debeat contra parochos non residentes?

Resp. Omisso procedendi modo ante Concil. Trident. usitato, qui videri potest apud D. Bouix, *De Parocho*, p. 563, etc., sic à tempore hujus Concilii hodie est procedendum.

Liberum est Episcopo contra parochos et omnes curam animarum habentes qui non resident, procedere sive per substractionem fructuum, sive per censuras, sive per privationem beneficii. Ita Conc. Trident. (Sess. 23, cap. 1, *de ref.*). — Excipiendus tamen videtur casus non residentiæ tempore pestis. S. C. Conc., 6 decembr. 1565 (Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 56).

Si velit Episcopus per privationem fructuum tantùm procedere, tenetur servare intervalla et quantitates, prout quoad Episcopos præscribitur (Sess. 6, cap. 1). Ita S. C. Conc.; et sequitur ex eo quòd statuta contra Episcopos non residentes applicanda sunt parochis non residentibus expressè quoad privationem fructuum. Potest tamen Episcopus exsequi privationem, nulla observando intervalla, quoad fructus quos ob omissam residentiam parochus non fecit suos. Ita S. Congr. Concil.

1483. Procedens per privationem beneficii non tenetur Episcopus citare parochum tribus edictis, sed sufficit uno, cum assignatione competentis termini. Ita Fagnan., apud Bouix, *ib.*, p. 570.

A Decretis Episcopi exsecutoriis contra parochos non residentes, non datur appellatio ad effectum suspensivum, sed duntaxat ad effectum devolutivum, uti colligitur ex his Tridentini verbis : *nec exsecutionem appellatione suspendi posse.* Ita communiter, ap. Bouix, *ib.*, p. 571.

PUNCTUM III.

DE OBLIGATIONE MISSAM OFFERENDI PRO POPULO.

1484. Tenentur parochi etiam amovibiles, vicariique parochi ad offerendum pro populo diebus dominicis et festis de præcepto, non obstante quâvis contrariâ consuetudine, et etiamsi congruis redditibus non fruantur. Illud constat ex Concilio Trident. (sess. 23, cap. 1, *de reform.*) ubi dicitur : « Cùm præcepto divino mandatum sit, omni» bus quibus animarum cura commissa est, oves suas » dignoscere, *pro his sacrificium offerre*, etc. » Item constat ex Bullâ *Cùm semper* Bened. XIV : hæc enim Bulla, etsi

ad Italiæ duntaxat Episcopos directa fuerit, habet tamen universalem vim ad jus probandum in quantum declarat jus commune : unde ad eam S. Congr. Conc., absque locorum distinctione, solet remittere quoad materiam præsentem (Bouix, *ib.*, p. 582). Insuper hujus Bullæ dispositiones confirmatæ sunt a Pio IX per Encyclicam 3 maii 1858. Dicitur autem in Bullâ præfatâ quòd fiat satis obligationi offerendi missæ sacrifium pro populo si ii, qui animarum curam habent, missam applicent pro populo *in dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto ;* et insuper quòd sub dictâ obligatione comprehendantur *vicarii parochi*, seu ii qui curæ exercitium habent, remanente penes alium *habituali curâ* ; itemque vicarii seu œconomi qui, vacante parochiâ, ad curam in eâ exercendam deputantur ; et curati ad nutum amovibiles, sive sæculares sive regulares. Duas habens parochias duo sacra debet.

1485. Quoad eos verò qui se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt, ob contrariam consuetudinem saltem immemorabilem, addit Bened. XIV pluries à S. Congreg. fuisse responsum : *hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quæ potiùs abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragare.*

Quòd autem præfatâ obligatione teneantur etiam parochi congruis redditibus destituti, declaravit Innocent. XII Bullâ, *Nuper*, 24 apr. 1699 ; itemque Bened. XIV in citatâ Constit. *Cùm semper*. Vide D. Bouix, *ibid.*, p. 582 ; S. Liguor., lib. 6, n° 325.

1486. Quærit. 1° Utrum parochi teneantur ad celebrandum pro populo, etiam in festis per Indultum 9 aprilis 1802 in toto Gallicæ Reipublicæ territorio suppressis?

Resp. Affirmativè. Illud constat plurimis S. Congr. Conc. instruct., et novissimè Encyclicâ Pii IX *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858, ad Episcopos universi orbis directâ, in quâ sic legitur : « Hisce litteris declaramus, statui» musatque decernimus parochos aliosque omnes animarum » curam actu gerentes, sacrosanctum Missæ Sacrifi» cium pro populo sibi commisso celebrare et applicare » debere, tum omnibus Dominicis aliisque diebus, qui ex

» præcepto adhuc servantur, tum illis etiam qui, ex hujus » Apostolicæ Sedis indulgentiâ, ex dierum de præcepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum » ipsi animarum curatores debebant dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo vigore vigebat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur et transferrentur... Id unum excipimus, ut scilicet, quando unà » cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in » Dominicam diem, una tantùm missa pro populo sit à » parochis applicanda. » Vide *Univers*, 12 juin 1858.

Deinde Pontifex condonat anteriores omissiones, confirmat concessa Indulta *juxta tamen conditiones in Indulto expressas et pro parœciis tantùm quas inpræsentiarum parochi administrant* : pro futuris verò dispensationibus vult *ab omnibus Sacram Concilii Congregationem unicè esse adeundam, illis duntaxat exceptis qui à Congreg. Fidei Propagandæ pendent.*

1487. Quærit. 2° An in præfatis festis suppressis, pro populo teneantur celebrare parochi etiam earum diœcesium in quibus Decisiones Romanæ non fuerunt ab Ordinario promulgatæ ?

Respondeo affirmativè : agitur enim non de disciplinâ novâ inducendâ, sed de veteri quæ jam inducta erat et vim obligandi non amiserat, etsi in desuetudinem alicubi devenerit : sic insuper respondit S. Congr. Concilii, 25 sept. 1857, prout videre est ap. D. Bouix, *De Parocho*, p. 583.

1488. Quærit. 3° Utrum consuetudine excusari potuerint parochi pro populo sacrificare omittentes festis suppressis?

Resp. Negativè. Ita S. C. Concilii, 25 sept. 1847. Ab eâ enim quæsitum fuerat... « 2° An consuetudo unquam legitima habere posset, vi cujus parochi non applicant pro » populo sanctissimum Missæ Sacrificium, aut Dominicis » aut saltem prædictis festis diebus suppressis? — Sacra » Congr. respondit : ad secundum *negativè.* » Vide Bouix (*ibid.*).

1489. Quærit. 4° Quænam fuerint illa festa suppressa in quibus remanet obligatio pro populo Sacrum faciendi?

Resp. Illa esse, ex Encyclicâ supra relatâ (1486), quæ

determinantur in catalogo Festorum Urbani VIII, additâ Conceptionis Immaculatæ Festivitate quæ postea à Clemente XI fuit præscripta : videlicet : « Natalis Domini,
» Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis cum duabus
» diebus subsequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum
» duabus diebus sequentibus, Trinitatis, Corporis Domini,
» Inventionis Sanctæ Crucis, Purificationis, Annuntiationis,
» Assumptionis, Nativitatis B. Mariæ Virginis, Dedica-
» tionis S. Michaelis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ,
» SS. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis,
» S. Thomæ, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi,
» S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ, S. Matthiæ, S. Stephani,
» SS. Innocentium, S. Laurentii, S. Sylvestri, S. Josephi,
» S. Annæ, Omnium SS., Festum unius è præcipuis Patro-
» nis cujusque civitatis aut loci; » et insuper omnes alias Dominicas anni. Vide Bouix, *De Parocho*, p. 586.

1490. Per Festum Patronorum intelligitur Patronorum totius regni, vel totius diœcesis aut civitatis, qui fuerunt legitimè assumpti nempe per electionem à populo factam cum assensu Sedis Apostolicæ. « Si tamen, ait D. Bouix
» (*ibid.*), ab immemorabili alicubi celebratum fuerit ante
» annum 1802 alicujus Patroni Festum tanquam de præ-
» cepto, præsumitur initio ritè institutum. » — Non intelligitur autem per Festum Patronorum Festum Titularium Ecclesiæ, quippe non erat de præcepto ante annum 1802.

1491. Controvertitur utrum die Natalis Domini parochus teneatur tres missas recitare : Bened. XIV (*de Sacrif. Missæ*, lib. 3, cap. 9, n° 9) adhærere videtur sententiæ affirmanti ; sed addit nihil ab Ecclesiâ et Sacris Congregationibus fuisse decisum quoad obligationem illas tres missas populo applicandi ; unde eo die non est obligatio applicandi populo nisi unam missam.

Die verò Commemorationis omnium Defunctorum, parochus non tenetur specialiter missam applicare pro defunctis parochiæ.

1492. Quærit. 5° An parochi per seipsos teneantur celebrare missam pro populo ?

Respondit affirmativè S. Congr. Concil., 25 sept. 1847 :

excipiendo tamen *casum veræ necessitatis et concurrente causâ canonicâ*. Vide alias decisiones ap. D. Bouix, *De Parocho*, p. 587, 590, et præcipue dec. relatam *Rev. des sciences*, t. 17 p. 548.

1493. Causæ legitimæ celebrandi per alium non sunt quidem quævis absentia, sed 1° infirmitas; parochi enim etiam infirmi pro populo sacrificium offerre, per se aut per alios, tenentur; 2° obligatio celebrandi missam conventualem: si v. g. agatur de parocho qui simul canonicus sit, ad duas tunc applicandas tenetur ex Declaratione S. Congregat. Concilii, 11 maii 1720. et Constit. *Cùm semper* Bened. XIV, § 17. Vide ap. D. Bouix, *ib.*, p. 592. Missa autem celebranda pro defuncto, etiam die funerum, non esset ratio sufficiens cur parochus vicario suo committeret celebrationem missæ pro populo. Ita tenet *Revue des sciences ecclés.*, 20 avr. 1861, p. 371. V. insuper p. 682.

Contra prædictam parochorum per seipsos offerendi obligationem nulla valet consuetudo. Ita S. Congr. Conc., 25 sep. 1847, ap. Bouix, *ib.*, p. 590.

1494. Tenetur autem parochus pro populo celebrare in ecclesiâ propriâ. Ita S. Congr. Conc. in *Lucanâ*, 15 sept. et 17 nov. 1629. Idem continetur in *Fanensi*, 11 maii 1720, in quâ dicitur : « An occurrente quòd... parochus... legi-
» timè absit..., teneatur celebrare facere per alium mis-
» sam parochialem pro populo? S. Congr. respondit : *Af-*
» *firmativè* » ; et quidem : « *quâcumque consuetudine in con-*
» *trarium non obstante*, ut in *Lucanâ*, 15 sept. et 17 nov.
» 1629. » Attamen legitime absens potest satisfacere in loco ubi degit, dummodo alius sacerdos in parochia celebret et verbum Dei explicet. S. C. C. 14 dec. 1872. (V. *Revue des sc eccl.* t. XXVII, p. 277 , et app. II.)

Prædictæ obligationi satisfacere potest parochus per missam privatam quâcumque horâ. S. Congr. Rit., ap. Gardellini, n° 4968 (Bouix, *ib.* p. 591).

1495. Qui ex ignorantiâ, errore, negligentiâ, etc., omisit applicare missam populo, debet præteritas omissiones supplere, nisi obtinuisset condonationem à S. Sede. Ita *Prælect. S. Sulpitii*, n° 223.

« Casu quo aliquis parochus sit adeo pauper, ut
» vivere cogatur ex eleemosynis missarum, Bened. XIV
» (in Encyclicâ *Cùm semper*) facultatem concedit Episco-

» pis cum eo dispensandi ut ipse possit, etiam diebus » festis, missam applicare pro eleemosynam offerentibus, » modò intra eamdem hebdomadam missas omissas pro » populo applicet. » S. Liguor., lib. 6, n° 325. Cf. app. III.

PUNCTUM IV.

DE OBLIGATIONE PAROCHI PRÆDICANDI ET PUEROS EDOCENDI.

1496. Tenetur parochus etiam amovibilis, per seipsum, nisi sit legitimè impeditus, verbum salutis habere ad populum, diebus dominicis et festis solemnibus. Ita Concil. Trident. (sess. 5, cap. 2); et ad hoc tenetur jure divino (Sess. 23, cap. 1).

Si verò per alios fiat prædicatio, prædicatores deputantur ab Episcopo *impensis eorum* qui eas præstare vel tenentur vel solent... « Tempore autem jejuniorum Quadra» gesimæ et Adventûs Domini, quotidie vel saltem tribus » in hebdomadâ diebus, si ita oportere duxerint (Episcopi), » Sacras Scripturas divinamque legem annuntient, et » aliàs quotiescumque id opportunè fieri posse judicave» rint » iidem Episcopi (Conc. Trid., sess. 24, cap. 4).

« Si curatores animarum per se velint munus prædica» tionis obire, non debent impediri » (ab Episcopo). Ita declaravit S. C. Concilii.

Sed « parocho per seipsum concionanti minimè licet, præ» textu cujuscumque paupertatis, prætendere sibi præs» tari eleemosynam solitam dari prædicatoribus, ut cen» suit S. Congr. Concilii in unâ *Vestanensi*, 20 martii 1621. » Barbosa, ap. Bouix, *De Parocho*, p. 599. — Vide etiam Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 77, juxta quem præfata decisio est 10 martii.

1497. Sinè licentiâ Ordinarii parochus nulli potest permittere ut prædicet, quamtumvis prædicator sit sibi notus, et etiamsi semel aut bis tantùm esset prædicaturus, et etiamsi esset Episcopus. Ita ex declarat. Clement VIII, Barbosa, ap. Bouix (*ib.*, p. 600); vide adhuc Ferraris, *ibid.*, n° 79. Hæc intelligenda sunt etiam de *pronao* et catechesi. Devoti, lib. 1, t. 2, sect. 2, § 26; Lequeux, n° 286. Ex

praxi tamen parochi permittunt prædicare semel aut bis sinè recursu ad Ordinarium, qui in id solet consentire.

1498. Ab obligatione prædicandi se eximere nequeunt parochi sub prætextu quòd prædecessores nunquam prædicaverint, vel quòd satis per annum per alios concionetur, vel quòd sit nimis exiguus parochianorum numerus. Ita decisum affirmat Giraldi, ap. D. Bouix (*ib.*).

1499. Ex responso S. Congr. ad Episcopum Melitensem, non opus est ut sit perpolita et elaborata concio; sed *satis est* ut « parochi, saltem Dominicis et festis diebus, plebes » sibi commissas, pro suâ et earum capacitate, pascant » salutaribus verbis. » Ita etiam Bened. XIV, *Instit.* 10, n° 3.

« Parochi in concionibus caveant ab allegatione... auc» torum modernorum, præsertim viventium. Congreg. » S Officii, 27 oct. 1649. » (Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 82.) Vide Lequeux, n° 385.

1500. Juxta sententiam communiter receptam, graviter peccant parochi qui sive *per unum mensem continuum*, sive *per tres menses non continuos*, nec per se nec per alios prædicant. « Notant.... Salmant... benè posse parochos » conciones omittere ut postea opportuniùs suppleant. » S. Liguor., lib. 3, n°·269.

1501. Quoad pœnas autem quibus plecti possunt parochi hanc prædicandi obligationem non implentes, sic habet Concil. Trident. (sess. 5, cap. 2) : « Ubi ab Episcopo mo» niti, trium mensium spatio, muneri suo defuerint, per » censuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi ar» bitrium cogantur. »

1502. Circa obligationem parochi pueros edocendi, sic statuit idem Concil. Trid. : « Iidem etiam saltem Domini» cis et aliis festivis diebus, pueros in singulis parochiis » fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes, » diligenter ab iis ad quos spectabit, doceri curabunt et » si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compel» lent, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus. » (Sess. 24, cap. 4, *de reform.*)

Juxta Barbosam, mortaliter peccat parochus, qui ni-

miùm negligens est in hujusmodi doctrinâ christianâ edocendâ. Apud Bouix, *ib.*, p. 601.

Quòd autem, justâ de causâ, valeat parochus per alios idoneos huic obligationi satisfacere, admittunt DD. communiter (ap. Bouix, *ibid.*).

1503. Item satagere debet parochus ut pro pueris et puellis erudiendis erigantur scholæ, quas visitare et ut rectè moderentur providere, ad ipsum spectat: « Quisque presby-» ter qui *plebem regit*, clericum habeat qui secùm cantet... » et scholas possit tenere et monere suos parochianos ut » filios suos ad fidem docendam mittant ad ecclesiam. » (Cap. *Ut quisque* 2, *de vitâ et honest. cleric.*)

PUNCTUM V.

DE OBLIGATIONE PAROCHI MINISTRANDI SACRAMENTA.

1504. Dicemus infra tractando de re sacramentariâ, quænam sint variæ obligationes parochorum circa sacramentorum administrationem; hîc solùm expendendum est an et quomodo teneantur parochi administrare in genere sacramenta.

« Commune est, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 58), quòd » pastores teneantur ex justitiâ, ratione stipendii quod » exigunt, sacramenta ministrare suis subditis rationa-» biliter petentibus, etiam extra gravem necessitatem (aut » casus quibus præceptum communicandi obligat, lib. 6, » n° 253). Et proinde peccat pastor qui morosum vel dif-» ficilem subditis se reddit... Excusabitur tamen à mortali, » si semel aut iterum extra necessitatem sacramenta de-» negat; quia non videtur tam strictè se obligasse.. » Aversa... excipit si subditus peteret ex urgenti occasione, » v. g. Festi solemnis, etc. » Vide etiam Lequeux, n° 678.

« Pueris qui jam sunt compotes rationis, in articulo » mortis, non solùm communio dari potest... sed etiam » debet. » S. Liguor., lib. 6, n° 301, dub. 2.

Pro Eucharistiâ, vide S. Liguor., lib. 6, n° 253; et pro Pœnitentiâ, *ib.*, n° 623.

PUNCTUM VI.

DE ADMINISTRATIONE TEMPORALI PAROCHIÆ.

1505. « Bona ecclesiarum et clericorum esse... exempta » à jurisdictione Principis sæcularis, magno Patrum con- » sensu... declaratum est in... Concilio Generali sub Inno- » centio III, cap. 44 (seu in cap. *Cum laicis, de reb. Ec-* » *clesiæ non alien.*)... et hanc quoque exemptionem esse » de jure divino constat evidenter ex... cap. *Quanquam de* » *censibus*... ibid. — *Cùm igitur Ecclesiæ ecclesiasticæque* » *personæ, ac res ipsarum, non solùm jure humano, quin* » *imò et divino à sæcularium exactionibus sint immunes*..., » hinc sequitur ut Princeps sæcularis nullam sibi aucto- » ritatem aut jurisdictionem in ecclesias, personas et bona » hujusmodi possit vindicare... Unde... infertur ut omnes » leges quæ habentur in titulis Codicis (nempe Justiniani) » de sacrosanctis ecclesiis, de Episcopis et clericis... cum » similibus, non valeant ex defectu potestatis... Hinc etiam » fit ut nulla ratio habenda sit solemnitatis ab Imperatore » introductæ in alienatione bonorum Ecclesiæ... Ejus- » modi autem legibus sacri canones vehementer resistunt, » ita ut earum conditores etiam sententiæ excommunica- » tionis subjaceant. » Ita Fagnan., ap. Bouix, *De Parocho*, p. 613 et 614.

Etiam Concilio Tridentino nititur hæc doctrina : sic enim legitur sess. 22, cap. 11 : « Si quem clericorum vel lai- » corum quâcumque is dignitate, etiam imperiali aut » regali præfulgeat, in tantum... cupiditas occupaverit, ut » alicujus ecclesiæ, seu cujusvis... beneficii... aliorumque » piorum locorum jurisdictionem, bona... ac jura..., per » se vel alios..., quâcumque arte aut quocumque quæsito » colore..., usurpare præsumpserit, seu *impedire ne ab iis* » *ad quos jurà pertinent percipiantur*, is anathemati » tamdiù subjaceat quamdiù jurisdictiones, bona... eccle- » siæ ejusque administratori... integrè restituerit, ac deinde » à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit... Clericus

» verò qui nefandæ... usurpationi hujusmodi... consen-
» tiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat.»

Ex concessione tamen S. Sedis aliquid juris in administrandis Ecclesiæ bonis competere potest sæculari potestati.

1506. Quærit. 1° Quid possit aut debeat facere parochus circa temporalem parochiæ suæ administrationem?

Resp. Parochus, inquit Bouix, *De Parocho*, p. 615, etc.,
« 1° Debet inventorium facere rerum, bonorum, et reddi-
» tuum ad ecclesiam pertinentium.... atque hujusce inven-
» torii unum exemplum Episcopo tradere, in archivio epis-
» copali asservandum, alterum propriâ manu subscriptum
» inter ecclesiæ scripturas retinere. De quo vide disposita
» in Bullâ S. Pii V, etc.

» 2° Parochus nullatenus distrahere potest... res ad eccle-
» siam pertinentes sinè obtentâ ab Ordinario licentiâ :
» quam ille non aliter concedere debebit, quàm si alias res
» meliores aut saltem æquales in locum amovendarum
» parochus reipsà substituat, nisi fortè justa aliqua neces-
» sitas secus suadeat quod Episcopi prudentiæ statuendum
» relinquitur. » Ita S. Pius V.

1507. « 3° Sub excommunicationis aliisque gravissimis
» pœnis constitutum est in Extrav. *Ambitiosæ, de rebus*
» *eccles. non alien.*, ne, absque auctoritate apostolicâ, ullo
» pacto, bona immobilia ultra triennium locentur, aut
» aliâ ratione alienentur... Nomine alienationis intelligo
» omnem actum quo dominium rei directum, vel utile,
» aut ususfructus, aut usus in alterum transfertur aut
» abdicatur [1]. (Servata est censura c. *Apost. Sedis.*)

» 4° In alienatione rerum tenuiorum (quæ non exce-
» dunt 25 scutorum aureorum valorem, licet immobilium),
» sufficit (sicut pro mobilibus) licentia Ordinarii, non
» tamen Vicarii Generalis. » Sed vide infra dicenda (2915)

[1] Circa hanc Extravag. sic habet Reiffenst., lib. 3, tit. 13, no 32: « De consuetudine, præsertim in Germaniâ et locis ab Urbe remotis, » ubi difficilis aditus ad Papam est, dicta Extravagans recepta non » est, saltem quoad hoc ut etiam inferiores Prælati Episcopis subjecti » teneantur in ejusmodi alienationibus consensum Papæ exquirere : » adeo ut ibi sufficiat consensus Episcopi. » Sed vide dicenda infra ([illegible], etc.).

ubi usque ad 500 fr. hanc licentiam extendit ipsemet Bouix.

« 5° Nequit parochus bona ecclesiæ locare cum antici- » patis solutionibus (Trident., sess. 24, c. 11).

1508. » 6°... Exceptis prohibitis casibus, ad ipsum (pa- » rochum) spectat contractus quoad res ecclesiæ suæ tem- » porales facere, in judicio stare pro tuendis ejusdem » ecclesiæ juribus, et uno verbo, personam administra- » toris facere. »

7° Jus tamen parochi remanet semper et in omnibus auctoritati Ordinarii subordinatum : proinde liberum est Episcopo quas existimaverit parocho præscribere regulas, circa temporalem parochiæ administrationem, modò Apostolicis Constitutionibus, seu universalibus Ecclesiæ legibus non adversentur. Ita Bouix, loco supra citato.

1509. Quærit. 2° An legitimè laicis (v. g. matriculariis quales sunt apud nos) possit committi temporalis Ecclesiæ administratio ?

Resp. Affirmativè, dummodo ab ecclesiasticâ auctoritate deputentur. Id supponit Concil. Trident. (sess. 22, cap. 9). Vide infra (5315).

Quomodo autem introductum fuerit in Galliâ quòd independenter ab auctoritate ecclesiasticâ res ecclesiarum administrarent laici, invenire non potuit Thomassinus : « Quand et comment ces Marguilliers sont devenus ce que » nous les voyons présentement dans nos églises de » France, c'est un détail que je voudrais apprendre de » quelqu'un plus habile que moi. » (Apud Bouix, *ib.*, p. 619.) Sed hoc à manifestâ usurpatione laicæ potestatis initium sumpsisse videtur. Vide infra dicenda (5303-5315).

Quamvis norma à legibus civilibus statuta pro administratione bonorum ecclesiasticorum illegitima sit, quando consensu Ecclesiæ non fulcitur, a parochis tamen addisci debet, cùm obtemperare hujusmodi ordinationibus cogantur, ut infra dicturi sumus (5278-5282, 5311-5315, etc.).

PUNCTUM VII.

DE QUIBUSDAM ALIIS PAROCHORUM OBLIGATIONIBUS.

1510. 1° « Sacra Congregatio censuit Episcopum cogere » posse, ad interessendum Congregationi casuum conscientiæ parochos, tam sæculares quàm regulares, curam » animarum exercentes » (3 sept. 1650), non verò regulares confessarios.—S. Congr., De Disciplinâ regulari, apud *Analecta juris pontif.*, avr. 1855, col. 1398.

1511. Imò proposito dubio « An Episcopus possit compellere Canonicos confessarios cæterosque presbyteros » Cathedralis, sub pœnâ pecuniariâ, ut accedant ad Congregationem casuum conscientiæ : —Rescriptum fuit : *posse » compellere omnes sacerdotes sæculares confessarios, etiamsi » sint Canonici; cæteros verò non posse compellere, sed » hortari.* » 26 januarii 1732, ap. Bouix, *De Parocho*, p. 602.

1512. 2° Certum est parochos teneri Synodo interesse, uti constat ex Concil. Trid. (sess. 24, cap. 2, *de ref.*) : « Ratione... parochialium aut aliorum sæcularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii qui illarum curam gerunt quicumque illi sint, Synodo interesse. » — Sub præfatâ lege patet comprehendi parochos etiam ad nutum amovibiles. V. Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 3, c. 5, n° 2), et quæ diximus supra (939, etc.).

1513. — 3° « Parochi exercitiis spiritualibus quotannis » vacare debent. » Ita Bened. XIV Constit. *Ubi primùm*, § 3. Vide Ferraris, v° *Parochus*, art. 3, n° 79.

1514. — 4° Parochus relinquere non potest animarum curam, inconsulto Episcopo. Bened. XIV, Const. *Ex quo*. Apud Ferraris, *ib.*, n° 82. Vide tamen infra dicenda (2616, etc.).

5° Debet habere libros in quibus accuratè describantur nomina baptizatorum, matrimonio conjunctorum, et defunctorum. Monetque insuper Rituale Romanum ut alium librum conficiant de statu animarum in quo consignentur nomina et conditio singulorum parochiæ incolarum.

ART. II.

DE VICARIIS PAROCHIALIBUS ET ALIIS SACERDOTIBUS QUI IN PAROCHIA SACRUM MINISTERIUM EXERCENT.

§ I.

De Vicariis parochialibus.

1515. *Vicarii* nomine intelligitur in genere ille qui vicem alterius tenet. Per *vicarios* autem *parochiales* intelligendi sunt qui vicem parochorum implent : triplicis sunt speciei : 1° vel ad eos pertinet exclusivè actualis animarum cura, remanente *in habitu* tantùm eâdem curâ penès alium, v. g., Capitulum, et hi *vicarii curati* nuncupantur. De his supra diximus (453 , 457, 458, 555, 562, 1320), et iterum sermonem faciemus infra (2278, 2334).

2° Vel ad regendam parochiam parocho suo defuncto vel absente orbatam deputantur, donec parochus revertatur vel novus rector instituatur; et hi persæpe vocantur *œconomi*.

3° Vel ad adjuvandum parochum in parochiâ degentem et eam administrantem advocantur : et hi præsertim designantur sub nomine *vicariorum parochialium*.

De his duobus ultimis vicariorum speciebus est nunc disserendum.

PUNCTUM I.

DE VICARIIS QUI AD REGENDAM PAROCHIAM SUO PAROCHO ORBATAM DEPUTANTUR.

1516. — 1° Ad Episcopum, seu ad eum qui potest instituere concursum, pertinet deputare vicarium ad regendam parochiam suo parocho per mortem orbatam : hæcque deputatio quàmprimùm fieri debet, ex Bened. XIV, Constit. *Cùm illud*, § 16 (Vide Ferraris, v° *Vicarius parochialis*, n° 56) et ex Concilio Trident. (sess. 24, c. 18), ubi dicitur : « Debeat Episcopus statim habitâ notitiâ vaca» tionis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in eâ vicarium,

» cum congruâ ejus arbitrio fructuum portionis assigna-
» tione, constituere... »

Hujusmodi vicarii ab Episcopis, etiam sinè causâ, revocari possunt, missam applicare debent pro populo diebus Dominicis et festis de præcepto, ex Const. *Cùm semper*. Vide dicta supra (1484).

1517. — 2° Si agatur de *œconomo* seu vicario deputando *propter absentiam parochi*, «...illius nominatio regulariter ad » ipsum parochum spectat, cum approbatione tamen Epis» copi, per quem fit congrua assignatio. S. Congr. Episc... » 7 dec. 1691. » Ferraris, v° *Vicarius parochialis*, n° 48.

« Necessitas approbationis (Episcopi) quoad Vicarium, » videtur saltem comprehendere casus in quibus necessaria » est in scriptis abessendi licentia. » Ita Bouix (*De Parocho*, p. 649), qui tamen citat Schmalzgrueber paulò mitiùs opinantem. Vide dicta supra (1462, 1463).

PUNCTUM II.

DE VICARIIS QUI PAROCHO RESIDENTI ET PAROCHIAM ADMINISTRANTI AUXILIANTUR.

1518. Diximus supra (1344-1347) ad quem pertineat hujusmodi vicariorum nominatio aut revocatio. Ibidem diximus omninò necessariam esse Episcopi approbationem, quæ non sit tantùm pro audiendis confessionibus, sed expressè pro vicarii munere, prout constat ex Constitut. Bened. XIII et Innoc. XIII à D. Bouix (*ib.*, p. 449) relatis. Vide etiam *Analecta jur. pontif.*, 45° livr., col. 852-854.

Item ad Episcopum pertinet assignare congruam dictis vicariis tribuendam, ex Constit. Innocent. XIII, *Apostolici muneris*. Vide dicta (1060).

Ad ipsum pariter spectat determinare an et quot vicarios adjutores parochus debeat sibi adjungere : « Episcopi..... » cogant rectores... sibi *tot sacerdotes* ad hoc munus adjun» gere, quot sufficiant, etc. » (Concil. Trid., sess. 21, cap. 4, *de ref.*)

Additque Innocent. XIII, in præfatâ Constit. *Apostolici muneris* : « Quòd si parochi ab Episcopis moniti... vica-

» rios... assumere neglexerint, poterunt ipsi Episcopi » eos... auctoritate propriâ deputare... » Quæ sanè applicanda sunt imprimis casui quo parochi ab exercitio suarum functionum fuerint interdicti.

1519. Quærit. 1° Quamnam jurisdictionem habeant vicarii de quibus hîc agitur?

Resp. « Cùm ejusmodi vicarii deputari soleant ut paro» chum in administratione sacramentorum adjuvent, ex » ipsâ eorum deputatione meritò censetur eis concessa » facultas omnia sacramenta ministrandi; ac proinde Pœ» nitentiæ et Matrimonii » (321). — Ita communiter apud Bouix, *De Parocho*, pag. 651. Excipi debet, « nisi alicubi ab Episcopo vel parocho generalis eorum » deputatio ad sacramenta ministranda *expressè* limitaretur, » et necessaria decerneretur quoad matrimonia specialis » delegatio. »

1520. Si tamen, inquiunt *Analecta* (janv. 1856, col 1881), ab Episcopo tantùm, non verò à parocho, limitaretur generalis deputatio vicariorum, ad validitatem matrimoniorum sufficiens esset ipsorum præsentia, quamvis non ad liceitatem. Ita decisum à S. C. Concil. Vide *ibid.* Ex quâ decisione patet vicarios posse habere et reverà accipere à suis parochis jurisdictionem, quamvis pariter ab Episcopis recipiant.

Idem et propter eamdem rationem videtur esse dicendum, si à parocho tantùm, non autem ab Episcopo limitaretur generalis delegatio vicariorum, casu saltem quo Episcopus, approbando vicarium, simul ipsi jurisdictionem præbet, prout hodie ordinariè contingit juxta theologiam Tolosanam *de Pœnitentiâ*, cap. 6, art. 2, not. 2°, et S. Liguor., lib. 6. n° 564: quâ Episcopali delegatione non impeditur ea quæ à parocho dimanat, cùm vicarius possit jurisdictionem simul et à parocho et ab Episcopo recipere.

1521. Dicit quidem auctor *Prælect. Sulpitii* (n° 228, III) vicarios temporales, juxta disciplinam apud nos vigentem, delegari ab Episcopo cum jurisdictione tantùm pro confessionibus audiendis et pro celebratione missæ: quoad verò cæteras functiones, arbitrio parochi dimitti ut eas sibi

reservare possit. Unde, juxta ipsum, invalidi essent actus a vicario peracti absque delegatione parochi, ut puta Matrimonium. Sed immeritò nobis videtur asseri talem disciplinam apud nos generaliter vigere.

1522. « Cùm autem delegatus ad generalitatem causa-
» rum possit subdelegare ad aliquem particularem casum,
» sequitur dictos vicarios posse etiam aliquem sacerdotem
» ad assistendum alicui Matrimonio validè subdelegare. »
Ita D. Bouix (*De Parocho*, p. 652.) Sed non potest subdelegare pro generalitate causarum. Vide quæ diximus supra (312).

1523. Quærit. 2° Utrum vicarii jurisdictionem erga parochianos possint extra parochiam exercere per se vel per alios?

Resp. 1° Certum est quòd non possint absolvere sacramentaliter parochianos extra parochiam vel parochias pro quibus approbantur, cùm ad hoc sit necessaria approbatio Episcopi loci in quo confessiones audiuntur. Ita decisum à S. Congr. Concil., 19 januar. 1641 et 3 dec. 1707 : apud S. Liguor., lib. 6, n° 544.

1524. — 2° Quoad alia sacramenta, v. g., quoad Matrimonium, an vicarii possint jurisdictionem exercere extra parochiam erga parochianos, controvertitur : plures negant; quia ex Clement. *Dudum, de sepulturis* regulares approbati cum jurisdictione delegata nullatenus confessiones audire debent *extra civitates et diœceses* in quibus fuerunt deputati : tempore enim publicationis Clementinarum, nondum approbatio erat requisita ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ, sed hâc epochâ sufficiebat, saltem probabiliter juxta Lequeux (n° 404), potestas jurisdictionis: si ergo tunc deficiebat potestas jurisdictionis pro sacramento Pœnitentiæ quando regulares confessiones excipiebant *extra civitates et diœceses* pro quibus delegati fuerant, ergo tunc jurisdictio delegata ad territorium restringebatur; ergo idem esse debet hodie, proinde generaliter dici debet quòd vicarii jurisdictionem exercere non valeant extra parochiam, etiam erga parochianos : et in hoc sensu fuisse decisum affirmant Barbosa et Fagnan., apud

Lequeux, n° 64. Vide etiam Collator. Paris., Collator. Andeg., Bailly, DD. Bouvier, à D. Carrière citatos; et ipsummet Lequeux, n° 392.

Multi èecontra affirmant pro casibus qui à jure non excipiuntur, inter quos non computandum est Matrimonium: « Ratio est quòd Concilium Trident. exigat tantùm assis» tentiam sacerdotis de licentiâ parochi, et nihil decernat » de loco. Insuper assistentia Matrimonio non est actus » jurisdictionis... Pariter licentia non est propriè dicta de» legatio, sed conditio, quâ positâ, Concilium ipsum dele» gationem confert... Ergo nulla est ratio cur exerceri non » possit extra territorium parochi. » Ita Carrière (*De Matrim.*, n° 1342) qui pro hâc sententiâ citat Sanchez, Heislinger, Kugler, Schmalzgrueber, Fagnan. : afferri potest etiam Theologia Tolosana (*De Matrimonio*, cap. 2, art. 1, § 11, prop. 2ª, *quartò*), etc.

Ad rationes adversariorum responderi potest quòd Clement. *Dudum* dicat quidem regulares approbatos, nequire extra loca in quibus fuerunt approbati, audire validè et licitè confessiones fidelium locorum pro quibus non fuerunt approbati, si quidem pro iis carebant jurisdictione; sed minimè dicat, extra indicata loca, non posse saltem validè audire confessiones fidelium locorum pro quibus fuerunt approbati. Unde nihil concludendum ex hâc Clement. contra secundam sententiam.

Quoad declarationem S. Congr. Conc. à Barbosâ et Fagnano relatam, respondet D. Carrière de illius authenticitate non constare. Ita etiam Theologia Tolosana (loco supra citato).

1525. In hoc autem opinionum conflictu, prudenter extra necessitatem Vicarius se abstinebit ab exercitio prædicto jurisdictionis extra parochiam. Posito tamen quòd eam exercuerit, Matrimonium censendum erit validum juxta sententiam quam S. Liguor. (lib. 1, n° 50) vocat *communissimam*; quia in hoc casu Ecclesia supplere valet jurisdictionem et meritò præsumenda est eam supplere. Imò juxta principia ejusdem S. Liguor. vicarius assistens Matrimonio in præfato casu aut sacerdotem delegans, licitè

ageret (*ibid.*), saltem si locus non esset existimandi in hoc parochum esse justè invitum.

1526. Quærit. 3° An quando parochus accepit ab alio, pro casu determinato, facultatem assistendi Matrimonio eorum qui non sunt ipsius parochiani, suum Vicarium delegare valeat ad hujusmodi Matrimonii celebrationem?

Resp. D. Carrière (n° 1343) illud pendere à voluntate parochi contrahentium: vel enim licentiam assistendi præfato Matrimonio præbet, quia parochus delegatus specialem habet rationem ei assistendi, v. g. quia est partium cognatus: et tunc parochus delegatus non valet suum vicarium in vicem suam implendam deputare, ex principio quòd *delegatus non potest subdelegare*. Si verò nullum sit motivum speciale cur parochus potiùs quàm Vicarius assistat Matrimonio, sed licentia ideo fuerit data ad vitandas expensas vel alia incommoda: tunc videtur posse deputari vicarium, quia delegans præsumi potest in hoc consentire. Pro hâc sententiâ citantur La Brunie et Collator Parisiensis.

1527. Quærit. 4° Quomodo cesset jurisdictio vicariorum?

Resp. Solutionem hujus dubii colligi posse ex dictis supra (490-497); cùm enim vicarii parochialis jurisdictio sit delegata, huic applicari debent quæ hujusmodi jurisdictioni congruunt.

Non cessat jurisdictio vicarii parochialis per mortem aut qualemcumque mutationem sui parochi, quidquid dicat Lequeux (n° 394); quia de eo non est idem dicendum ac de Vicario Generali (1177, 1181): vicarius enim parochialis non eamdem personam facit cum parocho; alioquin potestatem ordinariam haberet prout habet Vicarius Generalis; atqui tamen vicarius parochialis est solummodo delegatus, et quidem ad *universitatem causarum*; unde ipsius delegatio, cùm sit gratia facta, non expirat morte concedentis (71-73). Præterea facultates vicario concessæ, non solùm à parocho, sed ab Ordinario venire solent, ut supra diximus (1520). Ergo non possunt cessare per solam mortem aut mutationem parochi.

Idem dicendum est pro casu mortis aut mutationis Episcopi propter eamdem rationem.

1528. *Nota :* Salutaria Concil. Suessionensis anni 1849 monita ob oculos semper habere deberent vicarii : « Vicarii, inquit Concil. (tit. 15, cap. 2, p. 118), in adjutorium » ministerii parochialis instituti sunt... : quamobrem, » non proprio nomine curam habent animarum, sed tanquam parochum repræsentantes. Debent igitur cum reverentiâ et subjectione erga eum se habere ; nihil, ipso » invito, muneris obire nisi ob graves causas aliter ab » Episcopo statutum fuerit. Curent, quantùm fieri potest, » ut uniformem cum Parocho agendi rationem teneant; » nimia enim inter utrumque, quoad sacri ministerii » praxim, discrepantia, in destructionem potiùs vergeret » quàm in ædificationem. Summopere etiam caveant ne » verbis aut factis parochum in mente fidelium imminuant; » sed in omnibus modestè, sicut decet, sese gerentes, » cum diligenti curâ fideli populo salutis adjumenta præbeant. »

§ II.

De aliis sacerdotibus qui in parochiâ sacrum ministerium exercent.

1529. Dicendum de Capellanis seu Eleemosynariis, et de sacerdotibus ad confessionem approbatis.

PUNCTUM I.

DE CAPELLANIS SEU ELEEMOSYNARIIS.

1530. Per Capellanos intelliguntur hic sacerdotes qui ad sacrum ministerium exercendum apud certas et determinatas personas deputantur, prout illæ opus habent.

Jus habent quoddam parochiale improprium cum quâdam jurisdictione in personas absque territorio, ait Cardinalis De Luca loquens de Capellanis hospitalium, apud Bouix, *De Parocho*, p. 669.

Jurisdictionem ordinariam saltem propriè dictam non habent Capellani, sed facultates eorum ordinariè ab Episcopis determinantur secundùm indigentiam eorum pro

quibus deputantur. Vide R. de M., p. 376. Sic etiam legitur in Concilio Suessionense anni 1849 : « Ut parochorum, » ita Capellanorum nominatio *ad Episcopos pertinet*, » *quorum est uniuscujusque Capellani facultates* et jura, » pro locis et institutionum naturâ, quatenus ipsis expe- » dire videbitur, determinare » (Tit. 15, cap. 3).

1531. Multiplicis generis sunt Capellani : videlicet : Capellani monialium, Capellani collegiorum aut aliorum Institutorum, Capellani hospitalium aut carcerum, Capellani tandem militum. De singulis est hic disserendum :

1532. — I. *Capellani monialium.* « Debent esse maturæ » ætatis » (nempe 40 annorum, ex Sacrâ Congregatione Episcoporum et Regularium, apud *Analecta*, janvier 1859, col. 1300)... « Unde non obstante quòd moniales » jus habeant nominandi capellanum (vide supra, 460), » potest illum Episcopus ex justâ causâ rejicere, puta si » sit junior : S. C. Episcop., in *Bononiensi*, 31 maii 1602 » et 29 novembris 1605... Ubi tamen senes... de facili » non inveniuntur..., relinquitur prudentiæ Episcopi, ut » etiam juvenes... possint admittere, dummodo ornati » sint... qualitatibus (requisitis)... Removentur quicumque » capellani vitæ dissolutæ, maximè si contrahant ami- » citias et mittant munera monialibus. S. C. Episc. 14 jan. » 1742... Regulares non possunt esse capellani monialium.. » S. C. Episc. 17 ap. 1604 : nisi propter penuriam pres- » byterorum sæcularium..; capellani monialium debent esse » amovibiles... (Attamen) capellani exemptarum amoveri » non debent ab Episcopo sine causâ (S. C. Episc., 25 » oct. 1602). » Ita Ferraris (v° *Capellanus monialium*, n^is 1-16). Vide dicta supra (460).

1533. « Monialium confessarii non possunt eligi ab... » ipsis monialibus » (nisi ex lege fundationis hoc jus habeant, vel consuetudine. Vide Ferraris, *ibid.*, art. 5, n° 36; et Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 253); « sed ab ipso Epis- » copo loci, pro monialibus sibi subditis. S. C. Episc. et » Regul., in *Lauret.*, 20 sept. 1588, etc. Pro monialibus » autem regularibus subjectis eligi et deputari debent à » suis respectivè superioribus regularibus... Ex Concil.

» Trident. (sess. 25, cap. 10). Sed debent ab Episcopo » diœcesano... approbari, ut expressè statuit Gregor. XV » in Constit. *Inscrutabili.* » Vide Ferraris, v° *Confessarius*, art. 5, n^is 1 et 2.

1534. Circa hanc materiam : « Notandum quòd confes- » sarii monialium (cujuscumque communitatis, inquit » Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 254, 14°) elapso triennio, » declarantur suspensi ab audiendis ipsarum confessioni- » bus, nisi licentiam S. Congr. obtineant, ex pluribus » Declarat. S. C. »

« Advertit De Alexandro quòd Episcopi, in aliquibus » locis, ratione deficientiæ confessariorum idoneorum » sinant ipsos durare ultra triennium... Advertit (idem) » cum Bordonio (q. 5), quòd aliquando moniales possint » recusare confessarium ab Episcopo deputatum, ex justâ » causâ, nempe si confessarius sit inimicus propinquorum » aliquarum monialium, vel si sit nimis rigidus, etc. » S. Liguor., lib. 6, n° 577.

1535. *Nota* adhuc « quòd prohibeantur eligi in confes- » sarios monialium Vicarii Generales; parochi, si cura » notabiliter læderetur; omnes regulares, ex pluribus » decretis S. C. ap. De Alexandro, cap. 6, § 6; item Ca- » nonici Pœnitentiarii, ex declar. S. C. Conc.; sed eos posse » eligi, si Episcopus aliter judicaret, sentit De Alexandro, » q. 7... » S. Liguor. (*ibid.*). Item eligi prohibentur Canonici juxta *Analecta*, janv. 1859, col. 1297; sed minùs rigorosè excluduntur quàm cæteri.

1536. Præter confessarium ordinarium, dari debet monialibus extraordinarius; et hoc quidem bis vel ter in anno, imò quater juxta Constit. *Pastoralis* Bened. XIV. Vide *Analecta*, janv. 1859, col. 1311. De hoc providere debet Episcopus, etiam pro monialibus exemptis si ipsarum superiores eis non concedant : « Quòd si Episcopus » in hàc re negligens esset..., volumus, inquit Benedictus » XIV in Bullâ *Pastoralis*, *Majorem Pœnitentiarium*, sta- » tim ac... requisitus fuerit, confessarium extraordina- » rium, ex eorum tamen numero qui ad excipiendas » monialium confessiones ab ipso Ordinario approbati

» fuerint, cum omnibus necessariis facultatibus concedere
» et deputare. »

1537. In eâdem Bullâ, inquit S. Liguor., sancitur quòd
« Moniales, etsi non teneantur extraordinario (confessa
» rio) confiteri, teneantur tamen ei se sistere, ad audienda
» monita salutaria. Item quòd Episcopi hoc idem observent
» *cum Conservatoriis*. Item quòd in articulo mortis, cuili-
» bet moniali postulanti concedatur ab Episcopo confes-
» sarius particularis : et si monasterium sit exemptum,
» non concedente Prælato regulari, assignetur ab Episco-
» po... Item quòd si aliqua monialis renuat confiteri
» ordinario, deputetur ei alius ab Episcopo pro certis
» vicibus; et si monasterium sit exemptum, à Prælato re-
» gulari, et, ipso recusante, concedatur ab Episcopo vel
» Pœnitentiario Majore. Hortatur autem Pontifex Episco-
» pos ne sint difficiles ad peculiaribus monialibus extraor-
» dinarium confessarium aliquando petentibus conceden-
» dum. Demùm statuit quòd Prælati monialium regulares
» teneantur, bis vel ter in anno, assignare extraordinarium
» ex probatis ab Episcopo ad confessiones monialium,
» qui saltem semel in anno sit vel sæcularis, vel alterius
» ordinis; aliàs deputet illum Episcopus; et eo tempore
» ordinarius nullius, neque Abbatissæ neque novitiarum
» audiat confessiones. » S. Liguor., lib. 6, nº 576. —
Vide etiam Concilium Avenionense 1849, p. 88. et app. IV.

1538. « Capellanus... exemptarum, excluso parocho,
» omnia sacramenta, etiam in articulo mortis, ipsis ad-
» ministret, ita ut loco parochi habeatur. »

Quoad moniales non exemptas, prout omnes sunt in Galliâ, solent Episcopi deputare Capellanos cum facultate eadem peragendi ac facit parochus, licet, seclusâ in contrarium consuetudine, ad parochum jure communi pertineat Viaticum et Extremam-Unctionem non exemptis ministrare. — Vide Ferraris, vº *Capellanus monialium*, nis 17-21; — Bouix, *De Parocho*, p. 661; — et supra dicta (612, 1359, 1378, 1385).

1539. Imò confessarii Conservatoriorum possunt feminas Conservatorio adscriptas, etsi extra monasterium existant,

in confessione audire. — Decisum à Sacrâ Congregatione Episcoporum et Regularium 29 junii 1847, referunt *Analect. jur. pontif.* (24e liv., janv. et fév. 1858, col. 504, n° 315).

1540. « Confessarius et Capellanus quarumcumque
» monialium quæ ad chorum sunt professæ (et recitant
» totum Officium canonicum, non autem tantùm parvum
» Officium Beatæ Mariæ Virginis) aliique omnes et singuli,
» qui ex debito tenentur celebrare in ecclesiâ earumdem
» monialium, dummodo celebrent in ipsarum ecclesiâ,
» possunt et debent quotidie dicere missam solemnem aut
» privatam, modò hæc sit missa principalis.., conformem
» officio et in colore ejusdem officii quod à monialibus in
» choro recitatur, licet officium monialium sit etiam infe-
» rioris ritûs (S. R. C., 11 junii 1701).. In càsu.. debent..
» facere omnes commemorationes quas facerent si officium
» monialium recitassent; missam autem dicere debent ex
» Missali Romano [1]. » Ita Herdt (*Sacr. Liturg.*, t. 1, p. 1, n° 35). Neque missas proprias Sanctorum monialibus concessas possunt recitare, sed de communi, nisi de iis sit

[1] Quidam tamen Ordines excipiuntur: sic capellani Monialium Ordinis S Benedicti cæterique sacerdotes missam propriam S. Benedicti cum Missali monastico in die ejus festo et per Octavam quando dies non sunt impediti, celebrare possunt ac debent si confluant ad eorum ecclesias (Decret. 21 martii 1724, n° 4154). — Idem est dicendum de Missâ S. Theresiæ in ecclesiis Carmelitarum. Imò, juxta *Revue des sciences ecclés.*, n° 28, p. 390, legitur in notâ insertâ operi: *Décrets authentiques* de M. Falise : « Clément XIV, le 28 juillet 1773, » a accordé aux prêtres tant séculiers que réguliers qui célèbrent la » messe dans les églises des Ermites de Saint-Augustin, la permission » de suivre en tout le Missel des Augustins. Pie VI a accordé le même » privilége, le 5 sept. 1775, à ceux qui célèbrent dans les églises des » Carmes-Déchaussés des deux sexes. En outre, le 15 juillet 1778, il a » accordé, pour les Capucins, la même permission à tous les prêtres qui » célèbrent dans les églises des Ordres ci-après indiqués, de suivre en » tout le Missel soit des Augustins, soit des Franciscains, soit des » Carmes. » Vide *Revue des sciences ecclés.*, ibid., ubi etiam adduntur duo decreta sequentia : « 1° Attendendum privilegium prout sonat, quod » si concedatur soli Ordini, non extenditur ad exteros » (28 decemb. 1682, n° 30, q. 7). « 2° An regulares, absque speciali privilegio, sed » solâ communicatione privilegiorum aliarum religionum, possunt... » recitare officia et missas concessas aliis religionibus? — Resp. *Negativè.* » (Decret. 20 mart. 1706, n° 3741.) Cf. n. 3680.

etiam missa propria et non superaddita in Missali Romano.

1541. Quærit. Utrum Capellani monialium teneantur ad missam pro eisdem applicandam diebus festis de præcepto?

Resp. Sacra Congregatio Rituum circa hoc dubium interrogata ab Archiepiscopo Quebec. ipsi respondendum censuit: — « ad IV, *non teneri cùm non sint parochi.* » Apud Gardellini, nº 4842. — In eodem sensu decidit S. Congreg. Concilii 2 junii 1860 (Vide *Revue des sciences ecclésiastiques*, nº 9, p. 286). — Unde si decisio ejusdem Congregationis 6 febr. 1627, quæ in contrarium citatur à S. Liguorio (lib. 6, nº 324), sit authentica, Sacra Congregatio illam revocavit, et sententiæ Sacræ Congregationis Rituum adhæsit.

In Concilio Rhedonensi anni 1849 (Decret. X, nº 7), de eleemosynariis dicitur quidem quòd eis « animarum cura commissa fuerit; » sed inde non sequitur eos esse parochos: quia non primariò, sed subsidiariè cura animarum ipsis commissa est, primariâ curâ remanente vel apud parochos vel saltem apud Episcopos. Porrò obligatio applicandi missam eis tantùm incumbit qui præcipuam curam habent animarum, ut decisum habetur apud Gardellini (4869). — Vide D. Boissonnet, *Dictionnaire des décrets*, vº Messe, *Application;* — et *Revue des sciences ecclésiastiques,* janvier 1860, p. 52, etc.

1542. — II. *Capellani Collegiorum.* Diximus de illorum nominatione supra (462). Ipsorum facultates ab Episcopis determinantur. Vide dicta (612).

1543. — III. *Capellani Hospitalium et Carcerum.* De illorum nominatione vide etiam supra (462). Sat pariter diximus de illorum facultatibus supra (612, 1377, 1378). — Vide etiam Bouix, *De Parocho*, p. 665-670.

1544. — IV. *Capellani Militum.* Sacra Congregatio Concilii 6 martii 1694 *negativè* respondit dubiis sequentibus :
« 1º An Capellani cujuscumque exercitûs, sive regulares,
» sive sæculares, possint administrare militibus in præsi-
» diis degentibus sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et
» Extremæ-Unctionis, sinè speciali facultate Sedis Apos-
» tolicæ, vel licentiâ et approbatione Ordinarii in cujus
» diœcesi exstare contigerit ?

» 2° An assistere matrimoniis militum cujuscumque na-
» tionis degentium in præsidiis, cum militaribus feminis,
» sinè dictâ facultate Apostolicâ et præcedenti probatione
» liberi statûs ejusque recognitione coram Ordinario loci,
» et licentiâ parochi sub cujus parochiâ maneant?
» 3° An idem cum militibus degentibus in castris et sta-
» tionibus hybernis vel æstivis?
» 4° An idem cum militibus *in actuali expeditione positis?*
» 5° An idem cum militibus nubere volentibus cum fe-
» minis non militaribus, sed Italis, originariis loci seu diœ-
» cesis in quâ reperiuntur? »

Eadem decisio fuit repetita 28 junii 1704. Vide Ferraris, v° *Capellanus militum*, n° 11. — Ex his deduci debet quòd Capellani militum in præsidiis sint approbandi ab Ordinariis locorum, nisi facultates speciales à S. Sede obtinuerint.

1545. Dicitur tamen in *Analectis juris pontificii* (janvier 1856, col. 1883): « La Sacrée Congrégation du
» Concile... décida... qu'ils (*les chapelains militaires*)
» seraient censés autorisés pour les sacrements que les
» simples curés peuvent administrer..., pour le temps où
» l'armée est dans une expédition actuelle, et non quand
» les troupes stationnent dans les garnisons. De cette déci-
» sion que prit une congrégation spéciale de quatre Cardi-
» naux, sous la date du 10 juillet et du 20 novembre 1690,
» il résulte que les aumôniers assistent *validement aux*
» *mariages pendant... les expéditions militaires*; mais,
» dans les garnisons, il faut la permission de l'Ordinaire,
» et le mariage est nul sans cela, sauf les Indults particu-
» liers que le Pontife Romain est libre d'accorder. »

Hæc autem conclusio, quoad matrimonia *in actuali expeditione contracta*, expressè contradicit decisionibus supra memoratis 6 martii 1694 et 28 junii 1704, à Reiffenst. (lib. 4, tit. 3, n° 99, etc.) et à Ferrari relatis, in quibus dicitur, ad IV^m, non posse Capellanos militum, *sinè licentiâ parochi, assistere matrimoniis militum in actuali expetione positorum.* — Attamen, in præfatis decisionibus, possunt Capellani alia sacramenta conferre militibus *in actuali expeditione positis.*

Observandum cum Reiffenstuel (*ibid.*) « quòd etsi » capellanus castrensis habeat licentiam ab Ordinario » unius diœcesis, vi hujus non possit assistere matri- » monio suorum militum si in alienâ diœcesi illos exs- » tare contigerit; » sed « ab Ordinario talis diœcesis licen- » tiam petere, vel ab assistentiâ *matrimoniali abstinere,* » *eorumque parocho loci relinquere* debent, sive in præ- » sidiis, sive in castris exstent milites. » Vide Bouix, *De Parocho*, p. 664.

1546. Ex dictis concludendum est Capellanum Majorem Regium non posse approbare capellanos militum, nisi facultatem ad hoc obtinuerit à S. Sede. Ita fuisse responsum à Sacrâ Congregatione Concilii 22 martii 1687, refertur apud Ferraris, v° *Capellanus militum*, n° 1.

« Si milites in castris aut papilionibus existentes non » habent capellanum... à Sede Apostolicâ deputatum, vel » ab Ordinario in cujus diœcesi existunt approbatum, » vagis annumerantur; consequenter eorum parochus erit » ipse parochus loci in quo pro tempore existunt. » Reiffenstuel (apud Bouix, *ib.*, p. 662).

1547. Etiamsi capellani à Sede Apostolicâ habeant facultatem assistendi matrimonio suorum militum, non tamen habent privativè ad contrahentium parochos. Ita decisum à Sacrâ Congregatione Concilii 29 maii 1683 refert Ferraris (*ib.*, n° 7).

Attentè perlegendæ sunt facultates à S. Sede Capellanis militum concessæ, nec sunt prætergrediendæ, sed iis strictè standum est. — Vide Ferraris (*ibid.*, n° 15, et v° *Approbatio*, art. 1, n° 87).

1548. Pro Galliâ, vide dicta supra (463). Dicit autem auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 232) olim in Galliâ inter Episcopos conventum fuisse ut Capellani militum, qui terrâ marique præliantur, jurisdictionem acciperent ab Ordinario loci ubi stabant legiones aut naves. Unde novâ approbatione non indigebant quando in aliam diœcesim Galliæ divertebant : citat *Rituale Lingonense* et Collatorem Andegavensem (*De la Pénit.*, 6e confér., 3e q.). Si verò in exteras gentes commeabant, ad Ordinarium loci vel ad

Sedem Apostolicam recurrere debebant. — Porrò nobis videtur quòd legitimè dubitari possit an talis hodie existat concordia inter nostros Antistites; proinde saltem tutiùs est ut Eleemosynarii militum approbationem ab Ordinariis locorum per quæ transeunt semper obtineant, etiam intra Gallici imperii limites : huic opinioni consonat Breve Apostolicum *Quæ superni*, 17 junii 1857. — Vide supra (463).

1549. Cùm hujusmodi Breve facultates Majoris Eleemosynarii restringat ad Capellanos militum qui terrâ prælientur, remanet difficultas quoad Capellanos navium, præsertim earum quæ commercium agunt. Usus autem invaluit ut jurisdictionem accipiant ab Ordinario loci unde proficiscuntur, usquedum appulerint ad loca ubi alius Ordinarius degit. Vide dictas *Prælect. S. Sulpitii*, n° 232, in fine; et dicta supra (463).

PUNCTUM II.

DE CONFESSARIIS.

1550. — I. Non solùm requiritur ut minister sacramenti Pœnitentiæ sit sacerdos, sed insuper jurisdictionem habere debet super pœnitentes : « Quoniam, inquit Tridentina » Synodus (sess. 14, c. 7), natura et ratio judicii illud » exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, per- » suasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, et verissimum esse » Synodus hæc confirmat *nullius momenti* absolutionem » eam esse debere quam sacerdos in eum profert, in quem » *ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* »

1551. « Potestas ordinis, inquit Ferraris (v° *Confessa-* » *rius*, art. 1, n^is 30 et 31), presbyteris omnibus data in » suâ ordinatione est potestas remota et in habitu tantùm, » non autem in actu seu quantùm ad usum, quatenus » scilicet sacerdos vi ordinationis accepit à Christo potes- » tatem ad absolvendum, sed non accepit pro tunc sub- » ditos in quos possit actu exercere potestatem; potestas » autem jurisdictionis est potestas proxima et in actu » quantùm ad usum. » Hoc illustrari solet hâc comparatione : non sufficit ut quis creetur judex ut ex tunc validò

possit judicium proferri, sed adhuc necessarium est ut subditi et territorium ei assignentur.

1552. Necessitas jurisdictionis pro absolutionis validitate negata fuit ab Aloysio Lita canonico Mediolanensi, quem J. Baptista Guadagnini et Georgius Siccardi secuti sunt. Non veritus est asserere Aloysius Lita absolutionem reservatorum datam à simplici sacerdote non esse invalidam, apertissimè contradicens Concilio Tridentino (sess. 14, cap. 7 et canon. 11); et quamvis cum eodem Concilio fateatur *anathemate dignum* illum qui *dicit absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem*, contendit tamen sinè ullâ potestate jurisdictionis posse fieri *actum judicialem*, nempe per *compromissum* quo pœnitens sponte se subjicit sacerdoti et sibi arbitrum constituit cum potestate sententiam proferendi. Epistola Litæ ab Indice damnata fuit. Vide Card. Soglia, *Instit. jur. publ.*, § 33.

Jurisdictio necessaria confessario est jurisdictio interna; vide dicta de eâ (277, 278, 279).

1553. Pro casu tituli colorati et errore communi, vide (294-306).

Jurisdictio, ut diximus supra (282, etc.), est vel *ordinaria*, vel *delegata*:

Ordinariam seu eam quæ alicui à jure competit ratione muneris sui, habent: 1° Papa et Major Pœnitentiarius in universalem Ecclesiam; 2° Legati in suam provinciam; 3° Episcopi et eorum Vicarii Generales in diœcesanos; 4° Parochi in suos parochianos; 5° Abbates et Superiores regularium in suos subditos.

Delegatam verò possident qui illam non habent vi proprii officii, sed ex commissione, sive ab homine sive à jure (285).

1554. Generatim qui jurisdictione ordinariâ potiuntur communicare illam valent, positis tamen quibusdam conditionibus.—Quænam sint illæ conditiones, explicatum fuit supra (307-326)— Nota ex Patre Gury (n° 420) quòd jurisdictio delegata non possit subdelegari nisi ex speciali concessione delegantis, vel nisi delegatus substitueretur in locum pastoris ordinarii cum delegatione universali, v. g., in vices parochi defuncti.

1555.—II. Pro materiâ præsenti, ad jurisdictionem delegatam una specialis conditio requiritur de quâ nunc disserendum, nempe approbatio Episcopi.

Est autem approbatio, inquit Ferraris (v° *Approbatio*, art. 1, n^is 1-5), « *authenticum judicium, seu declaratio de idoneitate et sufficientiâ sacerdotis ad audiendas confessiones, facta ab habente potestatem*.... Hinc patet quòd approbatio non sit collatio jurisdictionis, sed ista duo inter se differunt : approbatio enim est actus intellectûs, seu judicium quo Episcopus... solùm judicat talem sacerdotem... esse idoneum... Collatio verò jurisdictionis est actus voluntatis quo superior confert... sacerdoti potestatem in suos subditos ad audiendas confessiones.... Approbatio stare potest sinè jurisdictione, ut si Episcopus, non obstante judicio de idoneitate, eum adhuc non deputaret ad audiendas confessiones... »

1556. « Ordinariè, inquit Theologia Tolosana (*de sacram. Pœnit.*, cap. 6, art. 2)..., Episcopi quando approbant sacerdotes sæculares, et præcipuè cùm aliquem mittunt ad audiendas confessiones in certo loco, jurisdictionem simul cum approbatione conferunt, nisi aliud exprimant; et hanc formulam *de consensu vel licentiâ parochi* addunt communiter ut moneant de modo cum parochis ex æquitate servando, ut licitè detur absolutio in eorum parochiâ. » Ita etiam P. Gury, n° 420, in notâ.

1557. Quamvis non pauci theologi tenuerint approbationem Episcopi semper fuisse necessariam, ut videre est apud Lequeux (n° 404), tamen magis communiter sustinetur eam non fuisse requisitam saltem per plura sæcula ante Concilium Trident. A tempore verò hujusce Concilii necessaria est omnibus confessariis qui parochiale beneficium seu officium non habent, sed id tantùm quoad sæculares et moniales.

Sic autem habet Concilium Trident. (sess. 23, cap. 15, *de reform.*) : « Quamvis presbyteri in suâ ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, nec ad

» id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut
» ab Episcopis, per examen, si illis videbitur esse neces-
» sarium, aut aliàs idoneus judicetur, et approbationem
» quæ gratis detur, obtineat : privilegiis et consuetudine
» quâcumque etiam immemorabili non obstantibus. »

1558. Ex præfato decreto patet approbationem esse omninò necessariam, non tantùm ut confessio sit licita, sed etiam ut sit valida. Hoc deducitur ex verbis *nullum posse*. Unde sinè *approbatione* aut *parochiali beneficio* confessarius caret jurisdictione, sinè quâ, ut jam diximus ex Concil. Trident. (550), *nullius momenti debet esse absolutio*. Vide Ferraris, v° *Approbatio*, art. 1, n[is] 8 et 7.

1559. Disputatur tamen utrum approbatio sit necessaria ad validitatem absolutionis venialium : pro quo vide S. Liguor., lib. 6, n° 543; sed certum est ex eodem illam esse necessariam ad liceitatem administrationis sacramenti in præfato casu; quia ab Innocentio XI fuit prohibitum confessariis non approbatis venialium confessiones audire (S. Liguor., *ib.*, et n° 564). Vide etiam Ferraris, v° *Confessarius*, art. 1, n° 12; Bouix, *De Episcopo,* t. 2, p. 245.

1560. Approbatio, juxta decretum Trident., dari debet ab Episcopo : per Episcopum autem intelliguntur etiam Vicarii Generales, Capitulum, et Vicarius Capitularis. Item Prælati habentes jurisdictionem Episcopalem seu qui habent territorium proprium et separatum, uti quidam Abbates, non verò Provinciales aut Generales Ordinum; nec Prælati solummodò exempti qui non habent territorium separatum. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 547. Ferraris, v° *Approbatio*, art. 1, n° 17.

1561. Ipsimet parochi non possunt sibi eligere confessarium ab Ordinario loci non approbatum : damnataque fuit ab Alexandro VII, 24 sept. 1665, propositio sic se habens :
« Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in
» confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab
» Ordinario. » Imò (non obstante capite finali *Ne pro dilatione, de pœnit. et remis.*) ex declarat. S. C., etiam Episcopi et alii Prælati, *extra suam diœcesim* non possunt (quidquid nonnulli dicant apud Lequeux, n° 415, 2°) eli-

gere non approbatum ab Ordinario loci (nisi ipsis subditus esset, ap. S. Liguor., lib. 6, 593, v° *Hic autem*). Nec ipsi Cardinales eligere non approbatum valent nisi in Urbe Româ, vel nisi secum ducant confessarium Romæ approbatum, quod pariter valent Episcopi. (S. Liguor., lib. 6, n° 565, et *de Privilegiis*, n° 75). Contradicit tamen Ferraris, v° *Approbatio*, art. 1, n° 73, ubi dicit etiam approbatos Romæ non posse hodie confessiones audire extra, absque licentiâ Ordinarii loci.

1562. Controvertebatur olim à quonam Episcopo accipienda esset approbatio, an videlicet ab Episcopo confessarii, aut ab Episcopo pœnitentis, aut ab Episcopo loci in quo confessiones excipiuntur : pro sententiâ quæ tenet approbationem esse obtinendam ab Episcopo loci in quo fiunt confessiones pronuntiavit S. Sedes : et hæc, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 548), *hodie est omninò tenenda*, ex Bullâ Innocentii XII, editâ anno 1700, quam confirmavit Bened. XIV per Constit. *Apostolica*, et Const. *Benedictus Deus :* et hoc etiam in locis exemptis, ubi ab Episcopo loci, non verò à Prælato approbatio datur. Vide Ferraris, v° *Approbatio*, art. 1, n° 15.

1563. Etsi ex præfato Tridentini decreto, parochiale beneficium obtinens nullâ aliâ indigeat approbatione, illud intelligitur quoad parochianos vel alios qui in suâ parochiâ peccata confitentur; unde rejicienda est sententia Suarezii, Vasquezii, Card. De Lugo, Billuart, etc., aliter sentientium. Ergo extra parochiam, etiam in eâdem diœcesi, curati prout cæteri approbari debent ad recipiendas confessiones eorum qui non sunt ipsorum parochiani. Ita decisum a S. Congr. Conc., 3 decemb. 1707. Vide dicta supra (1352).

1564. Approbati in unâ diœcesi non possunt confessiones audire in alterâ, sine novâ istius diœcesis Ordinarii approbatione. Id constat ex Brevi Innoc. X et Bullâ *Apostolici ministerii* Bened. XIII, ubi dicitur : « Declaramus sacer» dotes, tam sæculares quàm regulares, qui ab Episcopis ob» tinuerunt licentiam audiendi confessiones, limitatam vel » *quoad locum*, vel quoad genus personarum, vel quoad

» tempus, non posse Pœnitentiæ sacramentum adminis-
» trare extra tempus, *vel locum*, vel genus præscriptum,
» quocumque privilegio etiam in vim Bullæ *Cruciatæ*
» nullatenus suffragaturo. » S. Liguor., lib. 6, nº 549.

1565. Attamen approbatio dari potest ab Ordinario, etiam extra propriam diœcesim existente, quia approbare confessarios est actus jurisdictionis voluntariæ, quæ extra territorium communiter exerceri potest. Vide Ferraris, vº *Approbatio*, art. 1, nº 89. Unde, v. g., Episcopus Ostiensis Romæ existens, approbare potest sacerdotem romanum pro suâ diœcesi Ostiensi; sed talis sacerdos non posset Romæ audire confessiones civis Ostiensis, quia ille sacerdos dum Romæ commoratur non est ullo modo subditus Episcopi Ostiensis, et supponitur non approbatus ab Ordinario Romæ, prout est necessarium juxta supradicta. (Ferraris, *ibid.*)

1566. « Ad approbationem non necessariò requiritur
» examen...; et quamvis Episcopus internè reprobet, valet
» externa approbatio ad jurisdictionem conferendam. »
S. Liguor., lib. 6, nº 545. — Possunt tamem examini subjici etiam lectores in theologiâ, examinatores synodales et graduati, quantumvis aliàs exempti, sed ab hujusmodi examine decet ut ordinariè eximantur. (Ferraris, vº *Approbatio*, art. 1, nº 47.)

« Episcopus peccat, si sacerdoti præsertim regulari
» idoneo, sinè causâ sufficienti neget approbationem... »
Sanchez, apud S. Liguor., lib. 6, nº 550.

1567. Inconsultâ Sede Apostolicâ, nequit Episcopus omnes simul unius conventûs regulares ab audiendis confessionibus suspendere: « nec confessarii regulares restringi
» debent ad duos pro quâlibet ecclesiâ: » sunt ipsamet verba S. Congr.—Vide D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 252.

1568. Dicunt plures approbationem semel absolutè concessam non posse revocari absque causâ rationabili. « At
» hanc opinionem vix in praxi probabilem censeo, inquit
» S. Liguor. (lib. 6, nº 551), quia injustitia revocationis
» deberet esse luce clarior, et abesse quodcumque hallu-

» cinationis periculum ; sed hoc vix accidere potest, cùm » innumeræ possint esse causæ justæ apud Episcopum » revocandi approbationem, quæ ignorantur à confes- » sario. » Vide etiam D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 246.

1369. Docetur à quibusdam mendicantes habere privilegium ut non possint revocari ab eodem à quo sunt approbati. Et hoc quidem verum videtur, uti tenet D. Bouix (*De Regular.*, tom. 2, p. 242), casu quo approbatio regulari generaliter ab ipsomet Episcopo fuit data, eò quòd illum reperierit generaliter idoneum, secus in aliis casibus: quod constat ex Constit. Clement. VIII *Superna* in quâ dicitur : « Regulares... prævio examine et absque ullâ tem- » poris præfinitione, ab ipsomet Episcopo (secus autem » si ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis) » approbatos, non posse ab eodem qui sic approbavit » iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audien- » dis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi » novâ superveniente causâ, quæ ipsas confessiones con- » cernerit. » Sed extra hunc casum, contrarium docent Suarez et Lugo; et hæc sententia hodie, inquit S. Liguor. (lib. 6, 552), *omninò* (est) tenenda cum Alexandro VII, qui, 30 januarii 1650, tanquam *temerariam* et *erroneam* damnavit propositionem quæ dicebat : « Non possunt Epis- » copi limitare... approbationes quas regularibus conce- » dunt ad confessiones audiendas, *neque ullâ ex parte* » *revocare.* » Nec tenetur de tali revocatione Episcopus ulli rationem reddere. (S. Liguor., *ibid.*)

Eadem legi possunt apud Ferraris, v° *Approbatio*, art. 1, n^is^ 60 et 61, juxta quem pariter Episcopus non potest limitare approbationem datam regularibus generaliter idoneis, sed solùm datam eis qui minus idonei reperti fuerint; et insuper adjicit quòd cùm generalis idoneitas dignosci nequeat nisi per examen, ac proinde nonnisi cum difficultate, ideo usus invaluit ut facultas confessiones audiendi, tam sæcularibus quàm regularibus non concederetur nisi limitata, et hoc dicit unanimiter esse receptum; quod probat per declarationem S. C. Episcop. et Regular. per

damnationem propositionis modò relatæ factam ab Alex. VII[1], et per Const. Bened. XIII de quâ supra (1644). Vide Ferraris, *ib.*, n° 62. Bouix tamen non concedit quòd semper possint limitari facultates regularibus concessæ circa confessionem: vide *De Episcopo*, tom. 2, p. 250, et *De Regularibus*, tom. 2, p. 221, 228, etc., et infra dicenda (2894).

1570. Etsi fortè non semper licitè, tamen juxta S. Liguor., lib. 6, n° 570, « validè absolvit is qui audit confes- » siones, præsente vel sciente, et non contradicente » Ordinario..., cui constat eum aliunde non habere juris- » dictionem, quia tunc præsumitur tacitè eam dare; sufficit » enim .. facultas... præsumpta, modò præsumptio fun- » detur in signis quæ indicent consensum præsentem. » Non sufficit autem præsumptio de futuro consensu.

1571. Quærit. 1° An omnes sacerdotes ab Episcopo approbati possint confessiones audire sinè licentiâ parochi?

Antequam huic quæstioni satisfiat, referendum est saltem ex parte, cap. 12, libri 5 Decretal., tit. 38 : « Omnis » utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis » pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in » anno fideliter confiteatur *proprio sacerdoti*... Si quis au- » tem *alieno sacerdoti* voluerit, justâ de causâ, sua con- » fiteri peccata, *licentiam* priùs postulet et *obtineat* a » *proprio sacerdote*, cùm aliter ipse illum non posset ab- » solvere vel ligare. » — Nunc :

Resp. Ex præfato canone certum est confessionem esse faciendam proprio sacerdoti, vel, si alieno fiat, nonnisi de licentiâ proprii sacerdotis, alioquin absolutio erit nulla : sed per proprium sacerdotem, non tantùm intelligi debet parochus, sed etiam Episcopus diœcesanus, ipsius Vicarius et S. Pontifex qui certè sunt etiam proprii sacerdotes et altiorem quàm parochi jurisdictionem in pœnitentes possident.

Initio sæculi XIV, Joannes De Poliaco dixerat quòd, *stante omnis utriusque sexûs* etc., *Edicto*, *Romanus Pontifex*

[1] Damnata fuit insuper ab Alexandro VII alia propositio sic se habens: « Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari » Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato. »

non possit facere ut parochiani non tenerentur omnia peccata semel in anno proprio sacerdoti confiteri : addens quòd proprius sacerdos esset parochialis curatus. Imò, aiebat, nec Deus posset hoc facere, quia implicat contradictionem. Hæc doctrina fuit damnata tanquam *falsa et erronea* à Joanne XXII per Constit. *Vas electionis* (inter Extr. com., lib. 5, *de Hæreticis*, c. 2), et illius auctor errorem suum agnovit et ejuravit.

« Inconveniens esset, ait S. Thomas (*suppl.*, q. 8, art. 5), » si duo æqualiter super eamdem plebem constituerentur; » sed quòd duo, quorum unus alio principalior est, super » eamdem plebem constituantur, non est inconveniens, » et secundùm hoc super eamdem plebem immediatè sunt » et sacerdos parochialis et Episcopus et Papa; et quilibet » eorum potest ea, quæ jurisdictionis sunt ad ipsum » pertinentis, alteri committere. » Idem S. Thomas (*Quæst. quodlib.*, XII, art. 19. sect. 3) ait : « Episcopus potest » omnium confessiones audire, contra voluntatem pres- » byteri parochialis, et similiter etiam cui Episcopus com- » mittit. »

1572. Requiritur tamen quòd licentiam confessiones audiendi, invito etiam parocho, intendant concedere tam S. Pontifex quàm Episcopus.

1573. De facto S. Pontifex, confessarios delegando, illis ordinariè non intendit potestatem confessiones audiendi committere nisi sint ab Episcopis approbati, juxta præscriptum Concil. Trid., prout supra vidimus (1557); sed impletâ hâc conditione, intenduntne sive S. Pontifex sive Episcopi non communicare confessariis jurisdictionem necessariam nisi dependenter à consensu propriorum parochorum?

D. Lequeux affirmativam pro tempore paschali dat responsionem quoad quasdam diœceses in Galliâ (Vide n[is] 407. 410 et 413) : sed, juxta S. Liguor. (lib. 6, n[is] 564 et 569), etsi ex industriâ discesserint è proprio domicilio ut extra confiteantur, « fideles liberè se possunt confiteri cuicumque » confessario approbato. Ita communiter... Idque fusè » probat Bened. XIV, *Notif.* 18, n° 19 : et *hoc etiam tem-* » *pore paschali, et invito parocho...* Illud enim quod di-

» citur in cap. *Omnis*, *de Pœnit. et rem.*, quòd fideles
» debeant confiteri semel in anno *proprio sacerdoti*, intel-
» ligendum... omni sacerdoti qui ab Ordinario est appro-
» batus. Et hoc saltem ex præsenti universali consuetu-
» dine hodie certum est, quidquid antiqui aliter dixerint.
» Hinc S. C. Episc., die 3 apr. 1584... sic resolvit : *Decre-
» tum Episcopi in quo habetur quòd nullus confessarius,
» etiam ab Ordinario approbatus, possit tempore paschali
» confessiones alicujus audire, sinè licentiâ proprii curati,
» nullo modo est observandum, cùm satis validè faciat pœ-
» nitens deferendo parocho fidem confessionis auditæ à per-
» sonâ approbatâ.* » — Ab hâc lege excipiendi sunt, juxta S. Liguor. (*ib.*, n° 574), regulares qui sinè licentiâ suorum Prælatorum nequeunt, etiam validè, extra suum Ordinem absolvi. Vide infra (1576, 1577).

Dicit quidem P. Gury (n° 428) quòd « si... Episcopus pro-
» hibeat sub *pœnâ nullitatis* confiteri extra parochiam
» absque licentiâ parochi, ipsius decreto in praxi standum
» est. » Citat DD. Gousset, n° 478. Sed hoc parum nobis videtur congruere decisioni S. Congr. Episcoporum modò relatæ ex S. Liguorio. Unde dicendum esse videtur quòd Episcopus jurisdictionem non possit dare dependentem à parocho, saltem quoad validitatem.

Pro attestatione factæ confessionis, vide dicta supra (1354, 1355).

1574. Quærit. 2° An regulares approbati ab Ordinario pro sæcularium confessionibus, eos possint audire absque superiorum suorum licentiâ ?

Resp. 1° Nequeunt licitè, inquit D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 252.—2° An validè possint controvertitur : vide etiam *De Regular.*, tom. 2, p. 253.

Nota cum eodem (*De Regul.*, ib., p. 217) quòd, licet regulares indigeant approbatione Episcopi ut validè confessiones sæcularium possint audire, attamen communis est sententia, inquit, illos à Papâ jurisdictionem accipere.

1575. Quærit. 3° Quomodo cessent approbatio et jurisdictio delegata ad audiendas confessiones ?

Resp. Solutionem hujus dubii colligi debere ex dictis

supra (490-497).— Nota insuper ex S. Liguor. (lib. 6, n° 559), quòd « si... delegatio fuit in particulari, scilicet de » audiendâ alicujus tantùm confessione, rectè Salmant... » cum Sanchez, Lugo, etc., tenent quòd expirat morte » concedentis, nisi confessio jam fuerit incœpta. »

1576. Quærit. 4° An approbatio sit etiam requisita ad audiendas regularium confessiones?

Resp. Regulares, ut supra diximus (1573), non debent extra suum Ordinem confiteri. Novitii autem et omnes qui in monasterio commorantes obedientiæ subdunt, confiteri possunt confessariis regularibus monasterii ab Episcopo non approbatis; sed pariter confiteri possunt extraneis, modò ab Episcopo loci approbati existant, quia nondum sunt religiosi. Vide Ferraris, v° *Approbatio*, art. 2, n^is^ 2, 5 et 6.—Circa novitios, notandum, juxta Lequeux (n° 421), quòd Clemens VIII, in Bullâ *Regularis disciplina*, mandet ut « cura novitiorum audiendorum in confessione soli » eorumdem magistro committatur : liceat tamen supe- » riori locali, per se vel per alium, semel aut bis in anno » eorumdem confessionem audire. »

1577. In casu itinerationis regularium professorum, vel habent socium aut in loco adest confessarius idoneus sui Ordinis, et huic debent confiteri; vel illis deest hujusmodi confessarius, et tunc ex præsumptâ licentiâ Prælati, possunt confiteri alteri sacerdoti idoneo regulari vel sæculari; et in hoc concordant omnes, inquit S. Liguorius; sed disputatur utrum hic sacerdos debeat esse ad confessionem approbatus.

1578. Certum est quòd approbatus esse debeat, si quæstio sit de Capuccinis, quia ex Brevi *Quod communi* Bened. XIV, Capuccini in itinere possunt confiteri cuilibet confessario, *modò sit ab Episcopo loci approbatus.*—Pro aliis regularibus duplex est sententia : alii enim affirmant, prout Wigand, Antoine, Concina, Collet, ap. S. Liguor.; negant verò alii, et quidem *communissimè et veriùs*, juxta eumdem S. Liguor. probantque præsertim ex concessione Innocentii VIII qui dixit : « Nos igitur (permittimus) fratribus hujusmodi, » quos itinerari... contigerit, ut si aliquem presbyterum

» idoneum ex professoribus dicti Ordinis habere non pos-
» sint, *quemcumque* alium idoneum et discretum religio-
» sum vel sæcularem eligere valeant, qui confessiones
» eorum audire licitè valeat. »

1579. Nec obstat, inquiunt, Concil. Trident., in sess. 23, cap. 15, cum requirat approbationem pro sæcularibus tantùm, non verò pro regularibus. Ita S. Lig., lib. 6, n° 575, qui admonet prædictam facultatem règularibus concessam se in itinere cuicumque sacerdoti idoneo confitendi non habere locum quoad peccata reservata. Vide etiam Ferraris (v° *Approbatio*, art. 2, n° 9-27). Sed nota quòd decisio (*ib.*, n° 27) relata, in quâ invalidæ declarantur confessiones a regularibus factæ non approbato, non obstat responsionibus supradictis, cùm ibi quæstio sit tantùm de religiosis qui in Urbe alicui sui Ordinis possunt confiteri.

1580. Observa quòd per regulares hic intelligendi sint solummodo professi in Religione à S. Sede approbatâ : imò et soli qui à jurisdictione Episcopali sint exempti. Ita *Analecta jur. pontif.*, 8° livr., avr. 1855, col. 1381 et 1382, ubi invocatur auctoritas Suarezii, tract. 8, lib. 2, cap. 15, n° 1, *De Statu Religioso.*

1581. Tempore autem Jubilæi, omnes regulares extraneo possunt confiteri, modò tamen sit ab Ordinario approbatus. Ferraris, *ib.*, n° 21.

1582. Quærit. 5° Utrum in omni casu approbatio sit necessaria ad validè absolvendos pœnitentes?

Resp. Præter casum confessionis regularium de quo sat diximus in quæstione præcedenti, est etiam alius casus in quo confessarius non indiget approbatione: videlicet si agatur de absolvendo etiam sæculari in articulo seu periculo mortis (hæc enim pro eodem sumuntur in jure, ait Busembaum ap. S. Liguor., lib. 6, n^{is} 560 et 561), *modò non sit præsens approbatus :* quod tamen multùm controvertitur, uti videre est apud eumdem, n° 562.

Assertio autem probatur 1° Ex *Rituali Romano*, ubi dicitur (*de sacramento Pœnitentiæ*) : « Sed si periculum mortis
» immineat, *approbatusque desit confessarius*, quilibet

» sacerdos potest à quibuscumque censuris et peccatis » absolvere. »

Constat etiam 2° Ex cap. *Presbyter*, 26, q. 6; ex Declarat. S. C. Conc., ap. Fagnan., in cap. *Non est vobis*, *de spons.*, n° 6, et ex communi Ecclesiæ consuetudine. Vide S. Liguor., *ibid.*, in fine.

1583. « Probabiliter tamen simplices sacerdotes possunt » absolvere tempore mortis, *etiam præsente... approbato*, » sequentibus casibus :

» I. Si approbatus nollet, vel non posset audire confes- » sionem—... IV. Si moribundus ita horreret manifestare » sua crimina... approbato, ut esset in periculo confitendi » sacrilegè. Ita probabiliter... Sporer [1] qui idem censet » procedere si infirmus non posset confiteri approbato » sinè magnâ difficultate aut incommodo, vel si ille sim- » plex sacerdos esset ei manifestè magis idoneus ac utilis » futurus quàm parochus rusticus.—V. Si confessarius ap- » probatus superveniat jam inceptâ confessione cum sa- » cerdote simplici : quia tunc compleri debet judicium jam » inceptum. Ita communiter... — VI... Casu quo sacerdos » approbatus fuisset complex infirmi in peccato turpi, » juxta dicta, n° 553.

1584. » Rectè tamen Lugo... Salmant... excipiunt » casum quo moribundus esset innodatus excommunica- » tione reservatâ ; tunc enim deberet, quamvis confessio- » nem incœperit, priùs obtinere absolutionem à censurâ, » si Superior sit præsens, et postea confessionem perficere.

» Item hic advertendum quòd si pœnitens jam receperit » absolutionem à simplici sacerdote, et postea recordetur » alicujus peccati, superveniente approbato, tenetur huic » confiteri, cùm illa sit nova confessio. Ita communiter... » S. Liguor., lib. 6, 563.

1585. Utrum verò schismatici, hæretici et excommunicati vitandi possint etiam absolvere in articulo mortis, quæstio est valdè dubia juxta S. Liguorium : re quidem verâ, dicitur in Concilio Tridentino (sess. 14, c. 7) : « In

[1] Vide etiam *Ordonn. de Valence* p. 242.

» Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit ut nulla sit reservatio » in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quos» libet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absol» vere. » Unde Navarr., Sanch., Salmantic., etc., concludendum volunt etiam hæreticos, excommunicatos vitandos habere potestatem absolvendi in articulo mortis. Sed patroni sententiæ adversæ, quæ est *sequenda*, juxta S. Liguor., rectè observant Concilium Trident. loqui solummodo de simplicibus sacerdotibus, carentibus quidem jurisdictione in reservatis, sed qui tamen jurisdictionem ordinariam aut delegatam habent, et de quibus Concilium asserit ipsos eam habere in reservatis, in articulo mortis, prout legenti contextum manifestum erit, et uti declaravit S. C. Conc., apud Fagnanum.

1586. « His tamen non obstantibus, rectè dicit Conti» nuator Tournely, quòd in hoc casu, benè poterit sacer» dos hæreticus vel excommunicatus vitandus (absente » alio) absolvere moribundum sub conditione, quia in » extremâ vel urgenti necessitate, ex communi sententiâ » DD..., licitum est uti opinione adhuc tenuis probabili» tatis... Præterea... addit... Contin. Tourn... quòd cùm » hujusmodi dubium ad Innocent. XI delatum fuisset, » Pontifex præcepit non ampliùs dubitandum de veritate » sententiæ affirmativæ, et hanc sequitur etiam Ferraris... » v° *Moribundus*, n^{is} 33-39. » Ita S. Liguor., ut supra.

Pius VI expressè dixit, juxta Lequeux (n° 417), « non » esse improbandum, ut in periculo mortis, etiam à paro» chis intrusis, deficiente quovis alio sacerdote, recipiatur » sacramentum Pœnitentiæ. »

1587. Quærit. 6° Utrum *simplex approbatio* vel *beneficium parochiale* sufficiat ut simplex sacerdos possit validè cujuscumque confessionem audire?

Resp. Negativè. I. Specialis enim approbatio requiritur in parochis pro audiendis in confessione monialibus : id constat Constit. *Superna* Clement. VIII, Constit. Gregor. XV *Inscrutabili*, et hoc quidem etiam pro venialibus ut constat ex Decret. S. C., apud De Alexandro. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 577. Circa hoc notanda est propositio sequens à Clero

Gallicano damnata, anno 1700, ut *falsa, temeraria, à Concilii Tridentini mente aliena, jurisdictioni Episcoporum et Ecclesiasticæ disciplinæ contraria.* Ita se habet propositio: « Religiosæ exemptæ possunt absolvi à sacerdote non » approbato ab Episcopo, sive sacerdos sit sæcularis sive » regularis. » — Si verò moniales sint exemptæ, confessarii earum « sivè regulares sive sæculares, quomodocumque » exempti, tam ordinarii quàm extraordinarii, ad con- » fessiones monialum etiam regularibus subjectarum au- » diendas, nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab » Episcopo diœcesano idonei judicentur et approbatio- » nem... obtineant. » Ita Ferraris, v° *Approbatio*, art. 3, n° 1. In hoc casu confessarii à propriis Prælatis præsentantur, sed ab Episcopo sunt approbandi. Imò saltem semel in anno confessarius eligi debet ex presbyteris sæcularibus, vel ex regularibus Ordinis alterius. Ita Innocent. XIII et Bened. XIII, et confirmatum fuit à Bened. XIV, Constit. *Pastoralis*.

1588. Nomine autem monialium hìc, juxta Gury, *De Pœnitentiâ*, n° 417, veniunt « quæ in Ordine ab Ecclesiâ » approbato professionem emiserint. » Quamvis verò hæc jure communi vera sint, statutis tamen peculiaribus potest extendi denominatio, quippe Episcopus potest limitare jurisdictionem confessariorum, si saltem non sint parochi, non solùm quoad *locum* et *tempus*, sed etiam *quoad genus personarum*, ut ait Bened. XIII (1564). Unde in hâc materiâ attendenda est disciplina in unâquâque diœcesi vigens In hàc autem diœcesi Valentinensi nomine monialium, pro quarum confessione specialis approbatio requiritur, veniunt ipsæmet sorores hospitalium et institutrices quæ pertinent ad communitates in quibus emittuntur vota ab Ordinario approbata (Vide *Ordonn. de Valence,* p. 346). Econtra, juxta DD. Bouvier à D° Lequeux (n° 420) citatum, communiùs non intelliguntur piæ mulieres quæ clausuram servare non tenentur, ut *Sorores Charitatis,* qua proinde subjacent jurisdictioni parochorum...

An autem a simplicibus confessariis absolvi valeant moniales quæ extra conventum in aliquâ parochiali, vel aliâ

ecclesiâ confitentur, hoc, inquit D. Bouix (*De Episcopo*, tom. 2, p. 255, etc.), à voluntate Ordinarii pendet quæ sæpè dijudicanda est ex usu locorum.

1589. Asserit Ferraris (vº *Approbatio*, art. 3, nº 15) à Bened. XIII, in Constit. *Pastoralis*, § 8, declaratum fuisse Prælatos regulares, videlicet Generales Ordinum et Provinciales posse validè et licitè excipere confessiones monialium sibi subjectarum absque approbatione Episcoporum, quia sunt illarum pastores et veri parochi. Sed vide paulò infra, notam Editoris Romani ubi observatur Bullam Bened. XIII respicere solùm Regna Hispaniarum : et reverà S. C. Concilii declarat approbationem Episcoporum diœcesanorum esse Superioribus regularibus necessariam pro confessione monialium etiam sibi subditarum. Vide Ferraris (*ibid.*, n[is] 2 et 3).— Rem tamen tanquam dubiam habet D. Bouix, *De Regular.*, t. 2, p. 257.

1590. Juxta Theologiam Tolosanam (*De Pœnitentiâ*, cap. 6, art. 2, infert. 4°), S. Congregatio sequentes casus resolvit : 1° confessiones monialium sinè præfatâ speciali approbatione auditas, omnino nullas et irritas, etiam tempore Jubilæi (sed de hoc ultimo dubitat D. Bouix, *De Regul.*, tom. 2, p. 259); 2° approbatum pro uno monasterio, vel pro unâ vice, non censeri approbatum pro alio monasterio vel pro aliis vicibus; quæ omnia confirmavit Clemens X, anno 1670, in Bullâ *Superna*. Vide etiam Ferraris, vº *Approbatio*, art. 3, n[is] 3-20.

1591. Cæterùm rectè addit eadem Theologia Tolosana (*ibid.*) : « Diligenter observandum est quosdam theologos » morales multa in hâc materiâ, præsertim circa regula» res, olim docuisse tanquam probabilia, quæ jam nullo » modo probabilia haberi debent, ob rescripta et declara» tiones posteriores SS. Pontificum. »

1592. *Nota* quòd confessarii monasteriorum etiam clausuræ non subjectorum, singulis trienniis mutari debeant. Ita decisum 29 jan. 1847 à S. Congr. Episcop. et Regul. refertur ab *Analectis jur. pontif.*, janv. 1858, col. 503, nº 31. Ut verò confessarius ultra triennium conservari

possit, requiritur dispensatio Sacræ Congr. Episc. et Regul. Ita *Analecta* janv. 1859, col. 1320.

« Liceat (ergo) Episcopo, inquit Gregor. XV, in Const. » *Inscrutabili*, ex rationabili causâ, superiores regulares » admonere ut ejusmodi confessores (ab ipsis electos) amo- » veant, iisque superioribus id facere detrectantibus aut » negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos » confessores amovendi quoties et quando opus esse judi- » caverit. »

Pro hâc nostrâ Provinciâ Avenionensi, dicitur in ultimo Concilio Provinciali anni 1849 (p. 88) : « *Si commodè fieri* » *potest*, ordinarius confessarius (monialium), ad triennium » tantùm approbetur pro eodem monasterio, saltem clau- » suræ subjecto. »

1593. II. Specialis etiam requiritur approbatio pro absolutione casuum vel censurarum reservatorum, de quibus nunc paulò fusius disserendum :

DE CASIBUS ET CENSURIS RESERVATIS.

1594. Hæc statuit Synodus Tridentina circa casuum reservationem (sess. 14, cap. 7) : « Magnopere ad chris- » tiani populi disciplinam pertinere SS. Patribus nostris » visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina... à » Summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur. Undè me- » ritò Pontifices maximi, pro supremâ potestate sibi in » universâ Ecclesiâ traditâ, causas aliquas criminum gra- » viores suo potuerunt peculiari judicio reservare. »

Canone verò 11 ejusdem sessionis sic definit : « Si quis » dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus... » anathema sit. »

1595. Casus reservati sunt ergo *quædam graviora crimina circa quorum absolutionem jurisdictio confessariorum inferiorum restringitur.*

Regulariter peccatum non habetur ut reservatum nisi sint in eo quædam conditiones; debet enim esse *mortale*, *externum*, *certum*, *completum*, *à puberibus commissum.*

1596. — 1° Debet esse *Mortale* : id constat ex verbis Concil. Trident. : *atrociora quædam* et *graviora crimina*. Vide

tamen quid dicat circa venialia S. Liguor. (lib. 6, nº 582) qui insuper addit (*ib.*, nº 579) quòd quamvis, juxta communiorem et veriorem sententiam, valida sit (sed tamen illicita) reservatio facta sinè justâ causâ, limitant tamen De Lugo et Ciera « *respectu parochorum*, si tanta sit reser- » vatio ut moraliter non possint suum officium exercere, » tunc autem illa reservatio tantùm esset nulla, quæ » esset... excedens. »

1597. — 2º *Externum* : quamvis absolutè peccata etiam merè interna possint reservari, juxta sententiam communem, Ecclesia tamen nunquam hujusmodi peccata reservat. Vide S. Liguor., lib. 6, 582, dub. 2. — Sed reservari possunt et de facto reservantur peccata *occulta*.

« Communiter docent theologi peccatum veniale, prout » externum, licet interiùs ex affectu pravo... fiat mortale, » non esse reservatum, nisi aliter judicandum sit ex tenore » reservationis. » *Theologia Tolos.*, cap. 6, art. 2, § 5. Vide etiam S. Liguor., lib. 6, nº 582, dub. 3.

1598. — 3º *Certum* : si dubium sit facti, nempè si dubitetur an peccatum fuerit commissum, vel an sit mortale, ferè omnes DD. concedunt quòd pœnitens possit absolvi à simplici confessario, et non sit Superiori confitendum, licet postea detegatur peccatum fuisse certum, quia directè remissum fuit. Si autem dubium sit juris, si nempe dubitetur peccatum esse reservatum, sunt quidem DD. negantes absolutionem posse tunc impertiri à simplici approbato; attamen communiter tenetur nullam tunc existere reservationem, quia reservatio est strictæ interpretationis. Vide S. Liguor., lib. 6, nº 600[1].

1599. — 4º *Completum* : et hoc adhuc propter eamdem rationem quòd reservatio est strictæ interpretationis, sic . eservato homicidio, non ideo reservantur sola vulnera et iam gravia. Item per reservationem sodomiæ, intelligenda est sodomia perfecta, seu accessus ad indebitum sexum, et per reservationem incestûs intelligi debet incestus intra vas

[1] In hoc casu, præscribitur in Diœcesi Valentinensi ut superiores consulantur (Vide *Ordonn.*, p. 343) — Idem dicit Lequeux de aliis diœcesibus. (Vide nº 424, III.)

debitum consummatus, et non tantùm incœptus. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 581, in fine). Reservari tamen possunt sola vulnera, sodomia imperfecta; sed hoc esset exprimendum in lege reservationem statuente.

1600. — 5° *A puberibus commissum :* ita *veriùs* juxta S. Liguor. (lib. 7, n° 240), ex capit. *Pueris, de delictis puerorum*, ubi pueri dicuntur non puniendi sicut puberes. Consulenda sunt tamen circa hanc conditionem statuta diœcesana[1]. Vide etiam (*ib.*, n° 88, X).

1601. Potestas reservandi casus competit solis Ecclesiæ Prælatis, seu iis qui habent jurisdictionem in foro interno et externo; proinde non tantùm S. Pontifici et Episcopis, sed etiam Prælatis Religionum. — Adverte tamen quòd isti non possint (sic statuente Clemente VIII), sinè consensu Capituli generalis pro totâ Religione, vel Capituli Provincialis pro Provinciâ, sibi reservare ullum casum, ultra undecim quos Pontifex enumerat: et de quibus vide S. Liguor., (lib. 6, n° 583); quæ prohibitio etiam ad censuras extendi debet, juxta S. Congreg. Episcop. et Regular., 7 julii 1617. Vide Bouix, *De Regular.*, t. 2, p. 625; et S. Liguor. lib. 6, n° 583, qui addit « quòd religiosi exempti non sub-» jaceant reservationi Episcopi, nec eorum novitii.... » neque ipsorum familiares... ex Bullâ Clementis VIII... » Id extendit Bordonius ad alumnos monasteriorum. Si » verò novitius inciderit in casum reservatum ante ingres-» sum, non poterit quidem absolvi à quolibet confessario » sæculari, sed poterit à confessario Religionis, ob privile-» gium Religioni concessum. » In hoc sensu opinatur P. Gautrelet (*Traité de l'état religieux*, tom. 1, p. 80). Contrarium quidem dicit idem S. Liguor., lib. 7, n° 103, ibi citans decretum S. C. de mandato Urbani VIII vulgatum 17 nov. 1627; sed quod asserit, lib. 6, n° 583, in suo Appendice *De Privilegiis*, n° 95, confirmat, addens quod Edictum Urbani VIII et propositio ab Alexandro VII damnata loquantur duntaxat de sæcularibus, ac proinde non sint applicanda novitiis.

[1] In hâc Diœcesi Valentinensi immunes sunt a reservatione qui nondum Primam Communionem acceperunt. (*Ordonn.*, p. 313.)

Controvertitur autem an moniales exemptæ subjaceant reservationibus Episcoporum. Vide S. Liguor. (lib. 6, nº 602, quær. 6).

1602. Quærit. 1º An ignorantia reservationis ab eâ excuset?

Resp. Esse distinguendum, ut ait S. Liguor. (lib. 6. nº 580), « inter casus reservatos à Papâ et reservatos ab
» Episcopo. Si casus sit papalis, commune est inter DD.
» (contra Concinam...) ignorantes à reservatione excusari.
» Ita Suarez... Ratio, quia casus papales principaliter reser-
» vantur propter censuram, à quâ certè excusat ignoran-
» tia...., dummodo tamen crassa non fuerit aut supina.
» (Cap. 2, *de Const.*, in 6º.)

1603 » .... Excipiendi sunt duo casus (inquit idem
» S. Liguor.) qui sunt Pontifici reservati sinè censurâ:
» 1us Si quis falsò accusat sacerdotem innoxium de sollici-
» tatione apud judices ecclesiasticos, sive per seipsum.
» sive per alios... Ex Constit. Bened. XIV *Sacramentum*...
» 2us... Si quis accipiat dona à regularibus utriusque sexûs,
» nisi priùs totum restituerit, si dona valeant pluris decem
» scutis romanis, vel, si valeant minoris, saltem partem ad
» arbitrium Pœnitentiarii. » Sed observandum est circa hunc secundum casum quòd Ferraris (vº *Reservatio*, nº 14) asserat illum non esse S. Pontifici reservatum, et insuper quòd ex decisione *S. Pœnitentiariæ* 15 martii 1861, relatâ in collectione *Revue des sciences ecclésiast.* (nº 18, p. 555). supponatur tantùm Episcopo reservatus.

1604. Si casus sint ab Episcopo reservati, adsunt tres sententiæ, inquit idem S. Liguor. (nº 581). Vide illarum expositionem apud Sanctum Auctorem qui sententiæ neganti ignorantiam excusare à reservatione, etsi censura sit annexa casui reservato, subscribit ut *communiori* et *veriori*: quia ex Concil. Trid. (sess. 14, cap. 7) supra relato, reservatio cadit non directè in pœnitentes sed in confessarios; et quia propter se, non verò propter censuras ipsis annexas, casus ab Episcopis reservantur; unde etiamsi censura non incurratur, peccatum tamen cui annectitur in reservationem incidit

1605. Quærit. 2° A quo peregrinus absolvendus sit à reservatis?

Resp. Vel peccata istius peregrini reservantur simul in loco sui domicilii et in loco ubi confitetur, vel tantùm in alterutro ex his locis. Si priùs, commune est apud omnes talem non posse absolvi à simplici Confessario; benè verò, juxta communiorem sententiam, posse absolvi à confessario habente facultatem in reservata, quia judicandus est tanquam incola diœcesis ubi confitetur. Vide S. Liguor. (*ib.*, n° 587).

1606. Si posteriùs, iterum distinguendum est: vel peccatum est duntaxat reservatum in diœcesi ubi peregrinus confitetur, et tunc, quamvis quæstio sit controversa inter DD., tamen *communior* et *longè probabilior* sententia tenet talem peregrinum non posse absolvi à non approbato pro reservatis, quia, juxta hodiernam consuetudinem, peregrini non absolvuntur voluntate suorum Episcoporum, sed voluntate Ecclesiæ quæ tribuit in eos jurisdictionem confessariis locorum ubi confitentur. Porrò cùm reservatio, ut modò diximus, cadat in confessarios et non in pœnitentes, si casus sit reservatus in loco confessionis, confessarius debet esse approbatus pro reservatis. Ita S. Congr. Episcop. (S. Liguor., lib. 6, 588, 592.)

1607. Hæc decisio non est applicanda parocho qui extra diœcesim accipit confessionem sui parochiani; ille enim non indiget approbatione, etsi peccata parochiani sint reservata in loco confessionis, si non sint reservata in diœcesi parochi.

1608. *Nota* quòd etsi, juxta probabiliorem sententiam, in reservationem incidat peregrinus, si peccata in loco peregrinationis reservata, ibidem committat, tamen non incurrit censuras iisdem peccatis in dicto loco annexas, quia quoad censuras, non est subditus prout esse debet ex cap. *A nobis*, *de sentent. excomm.*, in 6°. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 591.

1609. Vel peccatum est reservatum in loco tantùm domicilii, et tunc, juxta *communissimam* et *veriorem* sententiam, peregrinus absolvi potest à simplici approbato; quia

sic habet universalis consuetudo ut peregrini quoad confessionem reputentur incolæ loci ubi versantur : excipe casum quo regulares reservata extraneo confitentur, ut supra diximus (1579). Hæc consuetudo approbata est consensu Prælatorum et maximè Eugenii IV ; confirmata etiam fuit per Bullam *Superna* Clement. X, in quâ dicitur : « *Posse autem* » *Regularem* (et à fortiori sæcularem) *confessarium*, in » diœcesi *in quâ est approbatus*, *confluentes ex aliâ diœcesi* » *à peccatis in ipsâ reservatis*, *non autem in illâ ubi idem* » *confessarius est approbatus*, *absolvere*, nisi eosdem pœ» nitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam » diœcesim pro absolutione obtinendâ migrasse. » Ita etiam *Ordonn. de Valence*, p. 344.

1610. Quomodò autem intelligenda sint verba *nisi pœnitentes noverit in fraudem reservationis migrasse?* — In varias auctores abeunt sententias; sed S. Liguorius (lib. 6, n° 589) putat *probabiliùs* tunc aliquem migrasse in fraudem reservationis, quando *alienam diœcesim petit, ob principalem finem obtinendi absolutionem*, *vitandique judicium proprii pastoris :* et hoc Roncaglia (p. 106, q. 2) dicit procedere, etiam quando pœnitens accedit aliquò ad confessarium inveniendum habentem facultatem absolvendi à reservatis.

1611. Hâc verò limitatione *nisi pœnitentes noverit,* etc., non afficiuntur pœnitentes qui ex industriâ è proprio domicilio discedunt ut alibi confiteantur ; si peccata reservata non habeant, validè et licitè isti possunt ubivis absolvi à confessario approbato ab Ordinario loci ubi confitentur. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 569. Secus tamen sentiunt quidam ab eodem citati, et cum istis etiam auctor *Prœlect. S. Sulpitii*, n° 242.

1612. Quod modò dictum est supra de peregrino qui venit cum reservatis, estne pariter applicandum peregrino qui venit ligatus censuris in loco sui domicilii duntaxat reservatis ?

Resp. Si veniat ligatus censurâ reservatâ per sententiam particularem ab homine latam, certè non est idem dicendum, cùm ista censura ab eo tantùm qui eam tulit, vel ab ipsius Superiore vel Successore vel delegato ab eis,

possit absolvi, ut communiter tenent DD. — Si verò censuris à jure ligatus veniat, quæstio est controversa. Imò probabiliùs videtur esse dicendum non posse absolvi à simplici confessario, quia ex cap. *Nuper, de sententiâ excomm.*, in 6°, confessarius simplex non potest absolvere à censuris reservatis. Sed quia consuetudo in contrarium videtur invaluisse, juxta S. Liguor., *De Privileg.*, n° 35; *Rituale Bellicens.*, tom. 1, n° 666; Theolog. Tolos., *de Pœnitent.*, cap. 6, art. 2, § 5, prop. 2, 8°, nota 2; Lequeux, n° 426 : ob talem consuetudinem, in praxi idem est dicendum de peregrino censuris à jure ligato ac de illo qui habet peccata reservata. Excipienda tamen suspensio S. Pontifici reservata, etiam casu quo in eâ dispensare possunt Episcopi, juxta dicenda infra (6452).

1613. Quærit. 3° An habens reservata possit aliquando absolvi à simplici confessario?

Resp. 1° In articulo mortis, prout jam diximus ex Concil. Trident. (1585), *nulla est reservatio;* unde etiam, præsente superiore, vel habente ab ipso facultates speciales, simplex approbatus potest *quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis... absolvere.* Imò hoc valet etiam pro simplici sacerdote seu nullatenus approbato, sed tunc in absentiâ tantùm Superioris, vel habentis has facultates speciales, ut ibidem diximus (1582, 1586).

1614. Si verò pœnitens *censuris reservatis* innodatus esset, quamvis ex Concilio Trid. in articulo mortis, nulla sit reservatio, non posset talis pœnitens ab hujusmodi censuris per simplicem approbatum, præsente superiore absolvi, quia etiam, in tali casu, confessarius simpliciter approbatus debet pœnitenti imponere ut, elapso mortis periculo, se præsentet superiori. Ita S. Liguor., lib. 6, n° 563, dub. 1. Sed hæc obligatio se sistendi coram Superiore sub pœna reincidentiæ hodie non tangit absolutos in mortis articulo nisi quoad excommunicationes R. P. specialiter reservatas, ex Const. *Apostolicæ sedis.* Sanctus autem Liguor. (lib. 7, n° 92) dicit sat probabile esse quòd obligatio se sistendi concernat tantùm *percussorum clericorum.* Volunt Sanchez et alii quòd concernat

etiam *casus occultos*, quia ex cap. *Liceat* Concil. Trident., ad Episcopum pertinet ab illis absolvere; sed adhuc probabile habet S. Liguorius (*ibid.*) quòd tales casus possint absolvi in articulo mortis per simplicem confessarium, præsente Episcopo, quia in hujusmodi articulo nulla est reservatio; sed idem S. Liguor. dicit contrariam sententiam esse communiorem, solaque nunc tenenda videtur. (V. 1638.)

1615. Videtur quidem quòd in articulo mortis pœnitens non possit absolvi per simplicem confessarium à suspensionibus vel interdictis *reservatis*, quia hujusmodi censuræ non obstant absolutioni peccatorum, et proinde eorum absolutio pœnitentis non est necessaria; facultas enim à censuris reservatis absolvendi non conceditur a Concil. Trident. (sess. 14, c. 7), in dicto mortis articulo, nisi *ne hâc occasione aliquis pereat*; sed Trid. absolute loquitur.

1616. Canonistæ et theologi, cum animadvertissent nullibi in jure præscriptum esse ut quis per litteras recurrere deberet ad superiorem a quo absolvi posset a reservatis, ex integro theoriam exstruxerant, juxta quam impediti personaliter adeund Superiorem possent ab inferiori, id est ab Episcopo, imò et a simplici confessario absolutionem petere et accipere. Cf. v. g. S. Lig. 6, n. 563, 585; lib. 7. n. 88, 92, etc.), et moralistas passim. Unde notissimum axioma : Casus papales fiunt episcopales.

1617. Quæ a fortiori applicabant casui quo Superior adiri non posset, nec etiam per litteras, ac causa urgens esset ; tunc enim dicebant cessare reservationem, et pœnitentem absolvi posse *indirecte* a quovis confessario a casibus Episcopo reservatis, et etiam R. P. reservatis, si adiri non posset Episcopus. Unde, juxta S. Lig., « tenetur » pœnitens confessario non habenti facultatem in reservata » confiteri alia mortalia non reservata, ut directè ab his » absolvatur et indirectè à reservatis; ac deindè tenetur, » cessante impedimento, reservata confiteri confessario » habenti potestatem ».

1618. Quando impedimentum adeundi Superiorem erat perpetuum et agebatur de casibus Papæ reservatis,

tunc dicebant adeundum esse Episcopum, et si impedimentum adeundi Episcopum, vel ipsius delegatum fuisset perpetuum, cessare reservationem et à simplici confessario pœnitentem posse absolvi. Quod tamen non valebat, juxta ipsum S. Liguor. (lib. 6, n° 585, dub. 1, et lib. 7, 92), in casibus Episcopo reservatis, etsi perpetuum fuerit impedimentum.

1619. Dicebantur autem perpetuò impediti superiorem adeundi qui impedimento laborabant per decennium, imò per quinquennium. (S. Liguor., lib. 7, n° 88.)

« Impediti in perpetuum dicuntur, ait idem (*De Privi-* » *legiis*, n° 43) : 1° filiifamiliâs ; 2° religiosi ; 3°... sep- » tuagenarii (imò sexagenarii, lib. 7, 88) ; 4° servi ; 5° » pauperes ; 6° damnati in vitâ ad triremes, vel carcerem ; » 7° infirmi morbo gravi et diuturno, ut quartanâ et simili ; » 8° qui alere tenentur, vel ministrare bona familiæ ; 9° » omnes mulieres .. ; 10° impuberes, etiamsi, petierint ab- » solvi post pubertatem ; 11° qui convivunt in aliquo loco » unde egredi nequeant, ut milites, seminaristæ ; et tan- » dem cæteri omnes qui nequeunt Romam ire sinè gravi » damno, vel spirituali vel temporali. »

1620. Verum hæc omnia antiquata sunt, et in praxi amplius teneri non possunt, post decretum S. Officii d. 30 jun. 1886, quod pluribus deinde responsionibus declaratum fuit, v. g. S. Off. 17 jun. e 19 augusti 1891, 30 mart. 1892, et S. Pœnit. 7 nov. 1888 (Cf. *Canoniste*, 1892, p. 98, 235, 665 ; 1890, p. 473).

1621. Hinc, firmis remanentibus quæ supra diximus circa absolutionem in articulo mortis ; firmis pariter remanentibus iis quæ spectant ad reservata ab Episcopis, cum vel absque censura, quoad casus reservatos S. P., jam tenendum est :

Qui hujusmodi casibus innodantur, vel 1° personaliter R. P. adeant ; vel 2° adeant delegatum opportunis facultatibus præditum ; vel 3° etiamsi perpetuo impediantur personaliter Romam proficisci, recurrant per litteras ad E. Cardinalem Pœnitentiarium ; vel 4° adeant confessa-

rium quo, a « in casibus vere urgentioribus, in quibus
» absolutio differri nequeat absque periculo gravis scan-
» dali vel infamiæ, super quo confessariorum conscientia
» oneratur, dari potest absolutio, injunctis de jure injun-
» gendis, a censuris etiam speciali modo S. P. reserva-
» tis, sub pœna tamen reincidentiæ in easdem censuras,
» nisi, saltem infra mensem, per epistolam et per me-
» dium confessarii, absolutus recurrat ad S. Sedem ».

1622. Hæc absolutio est directa; reincidentia autem extenditur ad quoscumque casus R. P. reservatos; fieri autem potest recursus per alium confessarium, imo et ab ipso pœnitente; S. vero Pœnitentiaria, injunctis quibusdam conditionibus, absolutionem confert in forma commissaria, quandoque in forma gratiosa. Cf. App. XI.

1623. Quærit. 4° An, superiore injustè negante facultatem absolvendi à reservatis, simplex confessarius possit ab iis directè absolvere?

Resp. Vel agi de sæcularibus vel de regularibus: in priori casu, quidquid dicant nonnulli, rectiùs tenenda est sententia negans: quia, ex Concil. Trident., extra mortis periculum nihil possunt in reservatis sacerdotes inferiores: et sicut valida est injusta reservatio (1596), ita etiam injusta denegatio facultatis. S. Liguor., lib. 6, n° 586.

In secundo casu, regularis confessarius potest pro istâ vice absolvere. Ita communiter Salmant. cum Vivâ, qui dicit illud fieri posse *toties quoties* interciderit; et de hoc Contin. Tournely profert Decret. S. C., de consensu Urbani VII editum. Vide S. Liguor., *ibid.*

« Peccant superiores, si sinè justâ causâ difficiles se
» præbeant in concedendis licentiis pro absolutione reser-
» vatorum. » Ita multi apud S. Liguor. (*ibid.*).

1624. Quærit. 5° An in casu quo pœnitens bonâ fide confitetur peccatum reservatum non habenti potestatem, vel si inculpatè peccati illius obliviscitur aut confitetur, urgente necessitate, absolutio data à simplici confessario valida sit?

Resp. De hoc non concordare DD.: negat Antoine, et quidem sat probabiliter juxta S. Liguor.: quia simplex confessarius non est tunc competens judex, cùm careat juris

dictione : affirmant Suar., Lugo, Concina, Salmant., etc., quorum sententia eidem S. Liguor. communior et probabilior videtur : quia etsi simplex confessarius careat jurisdictione in reservata, non ideo caret in non reservata, proinde ab illis potest directè, stante sufficienti causâ, absolvere, et sic indirectè à reservatis : « Et cùm sententia » sit communis, ut fatetur ipse Antoine, et valdè proba- » bilis, imò certè probabilior, ut diximus, benè potest » deduci in praxim; nam (ut probavimus, n° 573) est » moraliter certum quòd cùm opinione probabili Ecclesia » suppleat jurisdictionem. » Ita S. Liguor., lib. 6, n° 596.

1625. Quærit. 6° An tollatur reservatio quando pœnitens confitetur Superiori, et inculpabiliter alicujus peccati reservati obliviscitur? Et an possit proinde cuilibet confessario confiteri postea peccatum oblitum?

Resp. De hoc etiam multùm controverti : communissima sententia affirmat; quia Superior præsumitur velle pœnitentem rectè dispositum liberari ab omni peccatorum vinculo, cùm in formulâ absolutionis dicat, *in quantum possum et tu indiges*. Est tamen sententia negans quam *probabiliorem* judicat S. Liguor., quia ad auferendam reservationem requiritur ut peccatum subjiciatur judicio Superioris, nec censenda est ablata reservatio nisi ex aliquo indicio habeatur præsumptio voluisse Superiorem eam auferre. Indicium verò sufficiens esset si pœnitens, accedendo ad habentem facultatem, illi manifestaret intentionem ut ab omnibus reservatis liberaretur, vel si in gratiam ipsiusmet pœnitentis concederetur privilegium, prout contingit in Jubilæo, vel quando obtinetur privilegium *Bullæ Cruciatæ*. « Sed omnino dicendum puto, inquit S. Li- » guor. (*ib.* 597), reservationem non auferri, quando » adesset positiva præsumptio quòd si Superior audivisset » peccatum reservatum, absolutionem distulisset. » Vide etiam lib. 7, n° 131.

1626. Quærit. 7° An tollatur reservatio per confessionem nullam factam ei qui potest absolvere à reservatis?

Resp. Negare Concinam, quia reservatio non tollitur nisi per sacramentalem absolutionem, quæ non existit

nec operari potest quando sacramentum est nullum. Communis tamen sententia contradicit; quia in hoc casu obtinetur finis reservationis, cùm peccatum fuerit delatum Superiori, qui aliunde potest reservationem auferre. Hanc sententiam probabiliorem putat S. Liguor., si confessio fuerit inculpabiliter nulla : si verò talis fuerit culpabiliter, adhuc dicit hanc secundam sententiam esse *longè communiorem*, *nec suâ probabilitate carere;* plures tamen vult casus esse excipiendos. — Vide *ibid.*, n° 598.

In diœcesi Valentinensi præscribitur ut, in casu confessionis nullius, pœnitens qui habet reservata, denuò confiteatur confessario pro reservatis approbato. (*Ordonnances*, p. 345.)

1627. Quærit. 8° Quinam valeant a reservatis absolvere?

Resp. 1° Ipse reservans; 2° ejus in spirituali jurisdictione Superior; 3° cui præfati delegârunt; 4° aliquando sacerdos inferior, prout in supradictis quæstionibus asseruimus.

1628. In casu delegationis : « Si concessio facta fuit » præcisè pro peccatis narratis, vel per tot vices com» missis, tantùm pro eis valere potest. Secus verò si licentia » est concessa indefinitè, dummodo... non interponatur ma» gna distantia (puta ultra mensem...) inter concessionem » licentiæ et commissionem novarum culparum : intellige » si pro quodam particulari pœnitente, sit tantùm im» pertita licentia. Item... (nisi) licentia impertita fuerit in» tuitu alicujus festivitatis. » S. Liguor. lib. 6, n[is] 601, q. IV.

1629. Vi juris communis Regulares nequeunt à reservatis Episcopo absolvere : privilegium enim quod ipsis fuerat concessum, sublatum fuit ab Urbano VIII, anno 1628, ut dicetur infra, quærit. 10° (1655). Et hoc quidem est certum quoad casus ab Episcopis, sive in Synodo sive extra, reservatos.

1630. Quoad casus verò Episcopis a jure communi reservatos : « Probabilius est, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 599), » quòd regulares possint ab ipsis absolvere, exceptis tamen » sex casibus. » At post C. *Apost. Sedis* id ampliùs nequeunt.

1631. *Nota* hic quòd facultas ab Episcopo data pro absolvendis casibus reservatis non intelligatur data pro pec-

catis quibus annexa est censura reservata ; secus si concessio fiat a Papâ, quia casus papales sunt principaliter reservati cum censurâ et propter censuram. (S. Liguor., ib. 7, n° 111.)

1632. *Nota* adhuc quod per Const. *Apostolicæ Sedis* sublatæ sunt omnes facultates generales absolvendi a casibus R. P. speciali modo reservatis, salvis indultis specialibus ; unde quoad casus hujusmodi, etiam occultos, Episcopi speciali indigent facultate, in qua tamen excipitur casus absolventis complicem in peccato turpi, qui ideo specialissimo modo reservatus dicitur. Declaratio S. Officii d. 27 jun. 1866 et 4 april. 1871. Remansit vero integra, ex ipso textu Constit. *Apostolicæ Sedis*, facultas Episcopis a Concilio Tridentino (sess. 24, cap. 6, de ref.) concessa, absolvendi a casibus *occultis*, R. P. sed *simpliciter* tantum reservatis. Quæ facultas respicit delinquentes quoscumque eisdem subditos. Quoad casus non occultos, requiritur Indultum.

1633. Quærit. 9° Quinam sint casus reservati ?

Resp. Alios esse S. P. reservatos, alios verò Episcopis [1].

CASUS S. PONTIFICI RESERVATI.

Ad magnum numerum excreverant olim casus Summo Pontifici reservati : præter enim casus Bullæ *In Cœnâ Domini* [1], à quibus solus Ipse poterat absolvere, etiamsi essent tantummodo occulti, multi alii recensebantur qui legi possunt ap. S. Liguor. lib. 7, n[is] 218 etc., et in prioribus hujusce operis editionibus.

Jam monuimus casus non esse ordinarie Sanctæ Sedi reservatos nisi propter censuram ipsis annexam.

Animadvertens autem benignus ac illustrissimus Papa Noster Pius IX, multas veteres censuras, *temporibus moribusque mutatis*, *a fine atque causis*, *ob quas impositæ fue-*

1. Cùm non amplius vigeat Bulla *in Cœnâ Domini*, servandæ sunt dispositiones Constitut. *Apostolicæ Sedis* quoad hæresim et alios casus speciali modo reservatos, ut dicetur in n[is] sequentibus.

rant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse, eamque ob rem non infrequentes oriri, sive in iis quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiæ; hujusmodi incommodis occurrere volens jussit plenam censurarum ipso facto incurrendarum recensionem fieri. Qua peracta, consultis cardinalibus Sacræ Inquisitioni præpositis, motu proprio, plenaque sua apostolica auctoritate, eas quas in posterum servandas fore voluit, inseruit Constitutioni incipienti *Apostolicæ Sedis*, quam edidit 4° Idibus octobris anni 1869, quæ integra legi potest in fine t. 1 hujusce operis.

Ex his juvat hîc in memoriam revocare eas quibus pœna excommunicationis reservatæ est annexa : cùm enim suspensiones vel interdicta, etiam reservata, non impediant quominus pœnitentes a suis peccatis valeant absolvi, nulla est necessitas de istis nunc sermonem instituere ; sed opportunius eas exponemus tractando de censuris in libro tertio.

1634. Porro dictæ excommunicationes in duas classes dividuntur : aliæ speciali modo sunt Romano Pontifici reservatæ ; aliæ autem simpliciter Ipsi reservantur. Sic eas recenset Pontifex :

« *Excommunicationes latæ sententiæ speciali modo*
» *Romano Pontifici reservatæ.*

».... Excommunicationi latæ sententiæ speciali modo
» Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus.

1635. 1° « Omnes a christiana fide apostatas et omnes
» ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur
» et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes,
» eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet
» illorum defensores. » — Proinde ipsos impios qui veritatibus revelatis detrectant quique in tam magno numero existunt in hac nostra incredula ætate.

1636. 2° « Omnes et singulos scienter legentes, sine auc-
» toritate Sedis Apostolicæ, libros eorumdem apostatarum
» et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros
» cujusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim pro-

» hibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et
» quomodolibet defendentes. »

1637. Ad autem metiendam hujus excommunicationis extensionem, observandum est per *litteras apostolicas* solummodo intelligi Bullas atque Brevia apostolica; porrò quænam talia sint habenda diximus in Prolegomenis (48). Non ergo amplius dici potest, ut habet regula X Indicis, generaliter excommunicationem incurrere legentes vel retinentes aut defendentes quoscumque *libros hæreticorum vel cujusvis auctoris scripta ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita*, sed tantum legentes, vel retinentes aut defendentes libros hæreticorum hæresim propugnantes, aut libros cujusvis auctoris qui nominatim damnati fuerunt per Bullas aut Brevia pontificia : unde eamdem non incurrunt legentes, retinentes, aut defendentes libros prohibitos solummodo per decreta Congregationis Indicis quæ decreta inter litteras apostolicas non reputantur [1]. Peccant tamen etiam istos legentes, retinentes aut defendentes : sed hoc peccatum non amplius est reservatum Summo Pontifici.

3° « Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro
» tempore existentis obedientia pertinaciter se subtra-
» hunt, vel recedunt.

4° « Omnes et singulos cujuscumque status, gradus seu
» conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis
» Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad
» universale futurum Concilium appellantes, necnon eos
» quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5° « Omnes interficientes, mutilantes, percutientes,
» capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter inse-
» quentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepisco-
» pos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ legatos vel Nuntios,
» aut eos à suis diœcesibus, territoriis, terris, seu domi-
» niis ejicientes; necnon ea mandantes, vel rata haben-

1. Plerique libri in Indice relati per hujusmodi decreta tantummodo damnati fuere; haud pauciores tamen etiam per Constitutiones aut Brevia apostolica fuerunt proscripti. Sigillatim in Indice enuntiatur quonam modo singuli fuerint proscripti.

» tes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6° « Impedientes directe vel indirecte exercitium juris-» dictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, et ad » hoc recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata » procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favo-» rem præstantes.

7° « Cogentes, sive directe sive indirecte, judices laicos » ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasti-» cas præter canonicas dispositiones. Item edentes leges » vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ. »

Juxta Instructionem S. Officii, 15 jun. 1870, hanc excommunicationem reservatam non incurrunt judices præfato modo coacti ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas. Id. 23 jan. 1886; cf. App. V.

8° « Recurrentes ad laicam potestatem, ad impediendas » litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica vel ab ejus-» dem legatis aut delegatis quibuscumque profecta, » eorumque promulgationem vel executionem directe vel » indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsius par-» tes sive alios lædentes vel perterrefacientes.

9° « Omnes falsarios litterarum apostolicarum, etiam in » forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel justitiam » concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. » Vice-Cancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de » mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum, nec-» non falso publicantes litteras apostolicas, etiam in forma » Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujus-» modi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancel-» larii, aut gerentes vices prædictorum [1].

10° « Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in » mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approba-» tus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia » et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11° « Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, » redditus, ad personas ecclesiasticas, ratione suarum » ecclesiarum aut beneficiorum pertinentia.

1. V. infra dicenda (6291).

12° « Invadentes, destruentes, detinentes, per se vel per » alios, civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; necnon ad singula » prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes. »

Circa præfatas excommunicationes addit Pontifex :

1638. « A quibus omnibus excommunicationibus hucusque recensitis, absolutionem Romano Pontifici pro » tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et » pro ea generalem concessionem absolvendi à casibus » et censuris sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis, nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper, earumdem respectu, quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis » etiam regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione » dignis, et in quavis dignitate constitutis. Absolvere » autem præsumentes sine debita facultate, etiam quovis » prætextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatæ innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo : in quo tamen firma sit, quoad » absolutos, obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint. »

1639. Præallatæ excommunicationes reservantur etiamsi casus sint occulti : Pontifex enim addit versus finem ejusdem Constitutionis : « Firmam... esse volumus absolvendi » facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam » sess. 24 c. 6, *de reformatione*, in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi hac nostra Constitutione reservatis, » *iis tantum exceptis quas eidem Apostolicæ Sedi speciali* » *modo* reservatas declaravimus », videlicet supra enumeratas. Prædictis addenda est excomm. relata t. I, p. 674.

« *Excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici (simpliciter) reservatæ.*

1640. « Excommunicationi latæ sententiæ Romano » Pontifici (simpliciter) reservatæ subjacere declaramus :

1° « Docentes vel defendentes, sive publice sive privatim,

» propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excom-
» municationis pœna latæ sententiæ ; item docentes vel
» defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a
» pœnitente nomen complicis, prouti damnata est à Bene-
» dicto XIV, in Constit. *Suprema* a 7 julii 1745 ; *Ubi pri-*
» *mum*, 2 junii 1746 ; *Ad eradicandam*, 28 septembris 1746.

2° « Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in
» clericos, vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad
» reservationem casibus de quibus jure vel privilegio per-
» mittitur ut Episcopus aut alius absolvat.

3° « Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud pro-
» vocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices,
» vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, nec-
» non de industria spectantes, illudque permittentes vel,
» quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque
» dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4° « Nomen dantes sectæ *Massonicæ*, aut *Carbonariæ*,
» aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam
» vel legitimas potestates, seu palam seu clandestine machi-
» nantur ; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque
» præstantes, earumve occultos coryphæos ac duces non
» denuntiantes, donec non denuntiaverint.

5° « Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes
» aut ausu temerario violantes. »

Qui ex jussu Superioris immunitatem asyli ecclesiastici non observant comprehensi non videntur in hoc casu, cum *ausu temerario* non agant, sed solum ex necessitate : unde lictores qui extrahunt reum ab ecclesia ex magistratus imperio, excommunicationem non incurrunt. Ita S. Officium, 15 jun. 1870, audito Sanctissimi oraculo (*Revue des sciences ecclés*. t. XXV, p. 300).

6° « Violantes clausuram monialium, cujuscumque
» generis aut conditionis, sexus, vel ætatis, in earum
» monasteria ingrediendo ; pariterque eos introducentes
» vel admittentes ; itemque moniales ab illa exeuntes
» extra casus ac formam à S. Pio V, in Const. *Decori*
» præscriptam.

7° « Mulieres violantes regularium virorum clausuram,
» et Superiores aliosve eas admittentes.

8° « Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque
» et eorum complices. »

Non loquitur Pontifex de simonia commissa in ordinum collatione. Revera censuras a jure ipso facto latas, Concil. Trident. in suo vigore pro isto casu conservat, sed cum eas proprie non statuat, ideo, juxta Avanzini, contra quosdam alios, non sunt habendæ a Pio IX servatæ.

9° « Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibus-
» libet cujuscumque sint dignitatis.

10° « Reos simoniæ realis ob ingressum in religionem.

11° « Omnes qui quæstum facientes ex indulgentiis
» aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura
» plectuntur Constitutione S. Pii V *Quam plenum*, 2
» januarii 1570.

12° « Colligentes eleemosynas majoris pretii promissis,
» et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis
» ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13° « Omnes qui excommunicatione mulctantur in Cons-
» titutionibus S. Pii V, *Admonet nos*, IV Kalendas aprilis
» 1567 : Innocentii IX, *Quæ ab hac Sede*, pridie Nonas
» novembris 1591 ; Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis*
» *curam*, 26 junii 1592, et Alexandri VII, *Inter cæteras*
» Nono Kalendas novembris 1660, alienationem et infeu-
» dationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.

14° « Religiosos præsumentes clericis aut laicis extra
» casum necessitatis sacramentum Extremæ-Unctionis aut
» Eucharistiæ per Viaticum ministrare absque parochi
» licentia.

15° « Extrahentes absque legitima venia reliquias ex
» sacris cœmeteriis sive catacumbis urbis Romæ ejusque
» territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes.

16° « Communicantes cum excommunicato nominatim
» a Papa in *crimine criminoso*, ei scilicet impendendo
» auxilium vel favorem. »

1. Sess. 21, c. 1, *de reform.*

Circa hanc denominationem in *crimine criminoso*, vide in tomo 4° hujusce operis, n° 6549.

« 17° Clericos scienter et sponte communicantes in divi-
» nis cum personis a Romano Pontifice nominatim excom-
» municatis, et ipsos in officiis recipientes. »

1641. Adjectis hic excommunicationibus latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatis et deinde excommunicationibus latæ sententiæ nemini reservatis, sic pergit Pontifex :

« Præter hos hactenus recensitos, eos quoque quos
» sacrosanctum Concilium Tridentinum, reservata Summo
» Pontifici aut Ordinariis absolutione..., excommunicavit,
» Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus ex-
» cepta anathematis pœna in decr. Sess. IV *de edit.* et usu
» sacrorum librorum constituta, cui illos tantum subjacere
» volumus, qui libros de rebus sacris tractantes, sine
» Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.»
Quæ tamen non est Sanctæ Sedi reservata nisi juxta formam in 2° casu speciali modo reservato (1636, 1637).

1642. Insuper Summus Pontifex declarat velle *ut in suo robore permaneant censuræ quæ latæ fuerunt pro Romani Pontificis electione* (de quo vide supra n° 427), *et interno regimine Institutorum regularium, necnon quorumcumque collegiorum, congregationum, cœtuum, locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint.* Si quæ ergo ex eis sint reservatæ Sanctæ Sedi, supradictis adjeci debent ; pro quibus consulendi sunt hujusmodi Instituta, vel loca, etc. Vide etiam S. Liguor. lib. 7, n^is 211 et 219.

1643. Tam excommunicationes à Tridentino reservatæ quam eæ quæ regulares concernunt, reperiuntur in notis Const. *Apostol. Sedis* annexis, in fine t. 1.

1644. Addit deinde Pius IX se revocare omnes facultates a prædictis absolvendi, quæ a se vel a prædecessoribus suis fuerint concessæ cuicumque Cœtui, vel Instituto, non obstantibus quibuslibet privilegiis, aut consuetudine, etiam immemorabili ; ac decernit quod in cæterum in quibuscumque concessionibus quæ ab Apostolica Sede fieri

contigerit, nunquam debere aut posse comprehendi facultatem a reservatis Romano Pontifici absolvendi, nisi de ea re formalis, explicita, ac individua mentio facta fuerit.

1645. Tandem decernit *irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam, quavis auctoritate, etiam prætextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductæ vel inducendæ, quam abusum esse*, inquit, *declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari... Non obstantibus... quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, necnon consuetudinibus quibusvis, etiam immemorialibus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

1646. Præfatis casibus Summo Pontifici reservatis propter excommunicationem ipsis annexam, adjiciendus est etiam ille cujus meminimus supra (1603) qui incurritur absque censura ab iis qui falsò accusant de sollicitatione sacerdotem innoxium apud judices ecclesiasticos, sive per seipsos sive per alios. Per Constitutionem enim *Apostolicæ Sedis*, Pius IX numerum tantum censurarum non vero casuum reservatorum minuere intendit : proinde, licet præsentem casum taceat, non inde concludi potest ipsum tollere voluisse eumdem casum a Benedicto XIV Papæ reservatum per Constit. *Sacramentum* ; adhuc ergo casus iste remanet reservatus S. Sedi.

1647. Quamvis sat numerosi sint supra relati casus Summo Pontifici reservati, observandum est tamen quod rarissime contingat necessitas recurrendi ad Apostolicam Sedem pro illorum absolutione ; et id quidem : 1° quia non reservantur, uno excepto, nisi quando censura incurritur (1602) ; porro multi, ob ignorantiam, censuram non incurrunt ; 2° quia casus occulti, quando non agitur de excommunicationibus *speciali modo* Papæ reservatis, remitti possunt sola delegatione Ordinarii ; 3° quia semper patebit recursus per epistolam ; 4° demum, quia, ob frequenter occurrentes urgentes casus, absolutio petenda et obtinenda erit a quocumque confessario, recursu deinde habito infra mensem, ut monuimus supra (1621).

Casus Episcopis reservati.

1648. Tales sunt I. Quos sibi reservandos Episcopi statuunt, de quibus consulenda sunt statuta unicuique diœcesi propria. Circa eos observandum est quod si reserventur in synodo, certo non cessant per mortem aut amotionem Episcopi reservantis; si vero extra synodum, non ita liquet subsistere post decessum aut amotionem reservantis eorum reservationem. V. supra (947, 999).

Tales II, quos jus seu canones Episcopis reservant : quod duplici modo contingit: vel modo generali, suppositis quibusdam conditionibus, vel specialiter, determinatis casibus, et tunc absolute.

1649. Primo modo, seu a jure, Episcopis reservantur : 1° casus quibus annectitur excommunicatio Papæ *simpliciter* reservata [1], si sint occulti.

Nomine autem *delicti occulti* intelligendum est delictum quod aliquo modo possit celari, etiamsi in judicio probari posset. Card. Lambertini, seu Bened. XIV (*Notif.* 87, n° 45), asserit haberi pro occulto quod innotuit septem vel octo in aliqua civitate, et sex in aliquo oppido. Requiritur tamen juxta Fagnanum, quod delictum non innotuerit nisi duobus vel tribus testibus si in lege diceretur omnino occultum (V. S. Liguor. *De Privilegiis*, 33, et lib. 6, n° 593, v° *hic autem*); imò et probari juridice non potuerit in foro externo, juxta Stremler (*Des peines ecclésiastiques*, p. 234). V. infra (1780).

1650. Verum ex supra dictis corrigenda est assertio juxta quam Episcopis reservarentur omnes casus Papales, ii etiam quibus excommunicatio speciali modo alligatur, si delinquentes Papam adire nequirent, nec tempus sineret per litteras ad ipsum recurrere. Cf. n. 1616 et seq.

1651. Secundo modo, Summus Pontifex in Const. *Apostolicæ Sedis* declarat subjacere excommunicationi Episcopis seu Ordinariis reservatæ.

1° Clericos in sacris ordinibus constitutos vel regulares, ut moniales post votum solemne castitatis matrimonium

contrahere præsumentes ; necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes.

2° Procurantes abortum, effectu secuto.

3° Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

4° Ex decreto S. C. C. d. 25 Maii 1893, laicos turpe mercimonium exercentes circa eleemosynas missarum; Cf. t. III, app. III.

1652. Notandum vero est, quoad primum casum, necessarium non esse verum contractum matrimonii, quia clericorum in sacris et vota solemnia professorum matrimonium semper nullum est, satis autem esse ut civile, ut aiunt, matrimonium attentent, imo etiamsi aliud forsan obstaret impedimentum. S. Off. d. 22 Decemb. 1880 et d. 16 januar. 1892.

Quoad secundum casum : cum in textu non annumerentur ii qui ope, favore, consilio, abortui cooperantur, sequitur ab iis tantum incurri excommunicationem qui abortum principaliter procurant. De ipsa matre controvertitur. Cf. *Analecta*, 153° livr. col. 874.

1653. Præfatæ duntaxat jam nunc supersunt excommunicationes Ordinariis a jure reservatæ : unde *etiamsi negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia, subjaceant anathemati* a Greg. XV et Bened. XIV *sancito ; attamen, si resipiscant et hanc obligationem impleant, vel parati sint implere statim ac poterunt, absolvi possunt, etiam à confessario simpliciter approbato, sine recursu ad Episcopum. Ita* Const. *Apostolicæ Sedis*, 4ª excomm. nemini reservata.

1654. Ex eadem Constitutione, excommunicationem latæ sententiæ incurrunt quidem alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica *absque beneplacito apostolico* ; sed absolvi pariter possunt a simpliciter approbato.

Alia vide in eadem Constit. in fine tomi 1, hujusce operis.

1655. Nota 1° quod ex declaratione Gregorii XIII Episcopi nequeant absolvere a casibus papalibus extra Sacramentum Pœnitentiæ quando casus illi sunt occulti, proinde

nec permittere possunt ut confessarii extra illud sacramentum absolvant. Quatenus verò hæc decisio componenda sit cum absolutione in casibus occultis et urgentibus, patet ex jam dictis supra.

1656. Nota 2° quod nec in synodo nec extra illam Episcopi valeant sibi reservare casus summo Pontifici jam reservatos, nisi quatenus sint occulti, vel concernant impeditos Romam adire. Constat pluribus declarationibus, ait card. Gousset (*Exposition*, etc., n° 343). Ratio est quia hujusmodi reservatione ligari videretur facultas S. Sedis delegandi potestatem a suis reservationibus absolvendi. Hæc tamen evidenter obstare nequeunt quin valeat Episcopus sibi præfatos casus reservare quoties pœnitens non incurrit censuras eisdem annexas, cum non sint tunc proprie casus papales.

1657. Nota 3° quod confessarius absolvens a casibus Papæ etiam simpliciter reservatis, teneatur imponere pœnitenti obligationem standi mandatis Ecclesiæ et interim R. P. recurrere infra mensem (1621, 1622). Quoad mortis articulum, vide supra (1614).

1658. Amplis quidem privilegiis olim regulares gaudebant circa absolutionem censurarum Sedi Apostolicæ reservatarum : « Olim, inquit S. Liguor. (*De Privilegiis* n° 99), mendicantes poterant absolvere sæculares ab om-
» nibus casibus et censuris reservatis tam a Pontifice quam
» ab Episcopis ; sed deinde decreto Clementis VIII, anno
» 1602, confirmato a Paulo V... et Urbano VIII, anno
» 1627... statutum fuit ne regulares extra Romam et intra
» Italiam possint absolvere nec a casibus bullæ *Cœnæ*, nec
» ab aliis sex sequentibus : a percussione clerici, a duello,
» a violatione clausuræ monasteriorum monialium ob
» pravum finem, a simonia confidentiali in beneficiis, et
» denique ab omnibus casibus quos sibi reservant Epis-
» copi. »

« Extra Italiam, ait idem sanctus Doctor (lib. 7, n° 99),
» vel in Urbe, ut dicitur in decreto Clementis, bene pos-
» sunt regulares absolvere ab omnibus censuris quæ a
» jure sunt Episcopis reservatæ. » Exceptis tamen, ut ait

Ferraris (v° *Absolutio*, art. 1, n[is] 41 et 42), contentis in Bulla *Cœnæ*, ut expresse excipit Const. Pauli III *Cum inter*, anni 1543, et etiam casibus Episcopis in suis respective diœcesibus reservatis, ex decreto S. C. C. 10 sept. 1577. V. insuper ap. eumdem, v° *Confessarius*, art. n° 13.

1659. Sed hæc omnia revocata sunt à Pio IX per dictam Const. *Apostolicæ Sedis*, qua, ut supra monuimus (1644), revocat, supprimit et abolet omnes facultates ac privilegia Ordini vel Instituto cuicumque, quovis modo concessa. Proinde regulares indigent novis facultatibus expressis ut aliquid, præter id quod omnibus concessum est, valeant circa casuum et censurarum reservatarum absolutionem; quibus serio attendere debent, si tales facultates obtinuerint quoties iis uti cupient.

1660. Cum regulares non habeant potestatem absolvendi à casibus quos sibi Episcopi reservant, « ut continuò præ oculis iidem haberent culpas quas nequeunt » relaxare, S. Cong. Concilii in *Sublacensi*, die 10 octo» bris 1676, dixit eos teneri affigere notulas casuum » Episcopo reservatorum; et renuentes opportunis reme» diis ad id cogi posse, uti habetur lib. 29 decret. p. 284 » *a tergo* et p. 285. » (*De Syn. diœces.*, lib. 5, c. 5, n° 7.)

1661. Quoad suspensiones et interdicta reservata, quæ post Const. *Apostolicæ Sedis* adhuc permanent, dicemus in lib. 3 tractando *de censuris*. V. etiam dictam Constitut. in fine tomi I.

SECTIO SECUNDA.

DE HIERARCHIA ORDINIS.

1662. Ordinis Hierarchia est series personarum quæ, juxta varios gradus, potestatem habent Ordinis seu potestatem ex officio res sacras peragendi.

Diximus supra (248, 250-260) quid sit potestas Ordinis et in quo differat à potestate Jurisdictionis.

« Ordo seu sacra ordinatio, inquit Ferraris (v° *Ordo*, » art. 1, n° 2), *est sacramentum novæ legis initerabile, quo* » *subjecto capaci, cum impressione caracteris, spiritualis* » *potestas confertur ad sacramentum Eucharistiæ conficien-* » *dum, aut circa illud ministrandum.*

1663. De fide est existere in Ecclesiâ, jure divino, Hierarchiam Ordinis : « Si quis dixerit, præter sacerdotium, » non esse in Ecclesiâ Catholicâ alios ordines et majores » et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in » sacerdotium tendatur, anathema sit.

» Si quis dixerit, in Ecclesiâ Catholicâ, non esse Hie- » rarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex » Episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit. » Ita Concil. Trid., can. 2 et 6, sess. 23.

Quinam verò sint illi ministri majoribus vel minoribus ordinibus decorati, eadem S. Synodus, in cap. 2 ejusd. sessionis, nos edocet his verbis : « Non solùm de sacerdo- » tibus sed et de diaconis Sacræ Litteræ apertam mentio- » nem faciunt ; et ab ipso Ecclesiæ initio, sequentium ordi- » num atque uniuscujusque propria ministeria, subdiaconi » scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris et ostiarii in usu » fuisse cognoscuntur : » ad quos ordines SS. Concilium dicit non posse ascendere *nisi qui clericali tonsurâ insigniti fuerint* (*ibid.*).

« Ordines (ergo) sunt septem : Ostioratus, Lectoratus, » Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus » et Sacerdotium, quod rursus est duplex minus et majus » sive *Episcopatus* : undè quidam octo enumerant. Prima

» verò Tonsura non est ordo.., sed tantùm dispositio ad » ordines. » (Apud. S. Liguor. lib. 6, n° 734.)

Sic enim scribebat S. Cornelius Papa ad Fabianum Antiochenum de Novatiano : « Ignorabat ille... unum Episcopum esse oportere in Ecclesiâ Catholicâ, in quâ tamen » sciebat presbyteros esse quatuor et quadraginta, septem » autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos » duos et quadraginta, Exorcistas et Lectores cum Ostia- » riis quinquaginta duos. » Item videri potest forma ordinationis singulorum graduum in Concil. dicto Carthag. IV.

1664. Apud tamen Græcos hodie tantùm numerantur Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi et Lectores. Munera verò quæ apud nos minoribus ordinibus tribuuntur, Græci partim lectoribus dant, partim subdiaconis. Vide Lequeux, n° 444.

1665. In duplicem classem ordines dividuntur, ut modò vidimus ex Concil. Trident. (1663), in majores nempe et minores : majores hodie habentur Sacerdotium, Diaconatus et Subdiaconatus, cæteri verò ut minores reputantur.

Præsentem sectionem dividemus in tria capita : in primo agemus de objecto et facultatibus singulorum ordinum seorsim sumptorum; in secundo, de requisitis ad receptionem vel exercitium ordinum; in tertio, de obligationibus eorum qui ordinibus sunt initiati.

CAPUT I.

DE OBJECTO ET FACULTATIBUS SINGULORUM ORDINUM SEORSIM SUMPTORUM.

ART. I.

DE TONSURA.

1666. Per Tonsuram intelligitur « Ritus solemnis eccle- » siasticus consistens in levi detonsione capillorum cum » certis verbis per ministrum idoneum celebratus, ex ins- » titutione Ecclesiæ, significans masculum baptizatum à

» Statu laicali in sortem Domini et Statum clericalem trans» ferri. » Ita S. Liguor., lib. 6, n° 735.

1667. Disputatur utrum prima tonsura sit ordo : sat communiter affirmant Canonistæ cum Covarruviâ et Fagnano, etc. Negant econtra communiter Theologi post S. Thomam, et quidem, ut videtur, multò probabiliùs.

Priores nituntur præsertim cap. *Contingat* 2, *de ætate et qualit.,* ubi tonsura vocatur *clericatus ordo*, et insuper quibusdam responsionibus Congreg. Romanarum, in quibus affirmatur per tonsuram caracterem imprimi (Vide Lequeux, n[is] 438 et 439). Juxta hos auctores Episcopus non potest tonsuram conferre extra suam diœcesim sinè licentiâ Ordinarii ; quia Episcopis, ut superiùs (986) diximus, vetitum est à Concil. Trid. (sess. 6, c. 5) exercere Pontificalia in alienâ diœcesi sinè Ordinarii licentiâ.

Posteriores verò auctoritatem Concilii Trident. invocant (sess. 23 c. 2), ubi dicitur : « Ut qui *jam tonsurâ insigniti essent*, *per minores ad majores ordines* ascenderent. » Præterea c. 17 ejusd. sess. (*de reform.*) testatur hos solos ordines ab initio fuisse in Ecclesiâ receptos à *Diaconatu ad Ostiorатum*. Ergo tonsura non est ordo.

Rationibus Canonistarum insuper respondent 1° quòd per verba *clericatus ordo*, cap. *Contingat* non velit significare tonsuram esse propriè ordinem ; sed duntaxat clericalem statum à conditione laicali diversum ; 2° quòd Congregationes Romanæ loquantur tantùm de caractere impropriè dicto, vi cujus tonsura nequit iterari, etsi illicitè collata, modò validè. Vide fusiùs apud Ferraris (v° *Ordo*, art. 1, n[is] 8-16).

1668. Juxta hanc posteriorem sententiam, Episcopus valet in alienâ Diœcesi tonsuram conferre, sinè Ordinarii licentiâ, quia tonsura sinè Pontificalibus privatim conferri potest. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 756.

1669. Juxta Concil. Trid., sess. 23, c. 4, ad primam tonsuram non sunt initiandi qui *sacramentum confirmationis non susceperint*. Juxta tamen sententiam communem, probabiliùs confirmatio non requiritur sub gravi peccato. Vide S. Liguor. (lib. 6, n[is] 183. 786).

1670. « Notandum quòd in cap. ultimo *de Temp. Ordin.*,
» in 6°, prohibetur conjugatis conferri tonsura, nisi velint
» ipsi Religionem profiteri, vel Sacros Ordines suscipere,
» quod autem non licet eis sinè uxoris licentiâ. » S. Liguor., lib. 6, n° 827, in fine.

1671. Materia *remota* primæ tonsuræ secundùm Canonistas est superpelliceum; *proxima* autem est traditio et acceptatio ipsius superpellicei; forma verò, illa verba : *Induat te Deus novum hominem*, etc... Secundùm Theologos, cùm tonsura non sit ordo, non constat materiâ et formâ propriè dictâ. Juxta eosdem tamen, abscissio capillorum stat loco materiæ, et locum formæ tenent verba : *Dominus pars*, etc. Vide Ferraris, v° *Ordo*, art. 1, n° 24, etc.

1672. Per tonsuram fit quis de foro Ecclesiæ, capax redditûs beneficiorum, jurisdictionis ecclesiasticæ, clericaliumque privilegiorum particeps, atque ei confertur potestas canendi officium ecclesiasticum in ecclesiâ : sic enim, post illorum ordinationem, Pontifex clericos alloquitur : « Filii charissimi, animadvertere debetis quòd
» hodiè de foro Ecclesiæ facti estis, et privilegia clericalia
» sortiti estis. Cavete igitur ne propter culpas vestras illa
» perdatis; et habitu honesto, etc. »

1673. Proindè clericis et quidem solis competit facultas standi prope altare inter cancellos ad ministrandum et psallendum : sic enim habet cap. *Ut laici* 1, *de vitâ et honest*... « Ut laici secus altare, quando sacra mysteria cele-
» brantur, stare vel sedere inter clericos non præsumant,
» *sed pars illa, quæ cancellis ab altari dividitur, tantùm*
» *psallentibus pateat clericis*. Ad orandum verò et com-
» municandum, laicis et feminis (sicut mos est) pateant
» Sancta Sanctorum. »

Jus habent etiam gestandi vestes clericales, nempe superpelliceum in sacris cæremoniis, et extra cæremonias sacras vestem talarem, tonsuram et alia quæ clericis conveniunt. Minimè tamen ad hæc tenentur sub peccato, quando non sunt beneficiati, uti tenet sententia communior, imò ea non possunt deferre quando sunt bigami. Vide S. Liguor., lib. 6, n^{is} 825 et 826.

1674. Hic quæri potest an Episcopus valeat prohibere clerico gestare habitum clericalem?

Resp. Quæstionem esse expendendam, vel relativè ad jus canonicum, vel relativè ad jus civile :

I. *Quoad jus canonicum.* 1° Certum est Episcopum posse prohibere bigamo gestationem vestis clericalis. Ex cap. *Alternationis, de Bigam.*, in 6°.—2° Idem videtur posse Episcopus erga notoriè sodomitas, siquidem, ut mox dicemus, omni clericali privilegio à Leone X et S. Pio V spoliati fuêre.—3° Prohibere potest ne clericus, non deferens habitum clericalem et tonsuram, et non se emendans postquam tertiò ab Episcopo fuerit admonitus, illum habitum postea reassumat. Vide Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 12, cap. 3, n° 4), qui admonet, hâc in re, non satis esse unicam monitionem quæ tribus æquivaleat, sed requiri tres distinctas. — 4° Prohibere potest Episcopus ne *realiter* degradatus habitum clericalem induat, quippe omni privilegio clericali privat realis degradatio.

Extra verò præfatos casus, Episcopus non valet clerico prohibere gestationem habitus clericalis : etenim : « Nonnulli Episcopi in suis Synodis edixêre, inquit Bened. XIV, ne deinceps ulli clericorum liceret, absque Ordinarii licentiâ, clericales vestes et tonsuram deponere depositasque resumere... Ejusmodi Constitutiones.... omni carent robore et efficaciâ... et... semper irritas pronuntiavit S. Congr. Conc. Etenim... in causâ *Nullius* seu *Napolitanâ,* 8 aug. 1654... propositâ quæstione : *An clericus in minoribus constitutus, qui dimisit habitum clericalem, possit, absque licentiâ Episcopi, illum reassumere,* quando adest Constitutio Synodalis prohibitiva ne *reassumatur absque prædictâ licentiâ,* Sacra..., etc., censuit *posse absque licentiâ Episcopi, non obstante Constitutione Synodali prohibitivâ, cùm non sit permissa.* » Vide alia ap. eumdem (*De Syn.*, lib 12, c. 3, n° III). Præterea extra supradictos casus, clericus servat clericalia privilegia; proinde ad deponendum habitum clericalem non est cogendus.

1675. II. *Quoad jus civile in Galliâ.* Ex variis sententiis tribunalium et ex Arresto Supremæ Curiæ 22 jul. 1837, à

Dº André (*Cours de Législation*, vº *Costume ecclés.*) citatis, gestatio habitûs clericalis prohiberi potest clericis omnibus quibus ab Episcopis illum induere vetitum fuerit. Vide etiam Dieulin, *Guide des Curés*, p. 514, 3º édit.; et Lequeux, nº 442, 3ª editio. Falsò tamen supponunt tribunalia nostra quòd: « La qualité de clerc tonsuré ne peut » lui donner aucun droit à porter l'habit ecclésiastique. » *Jugement du tribunal de Muret*, 8 décembre 1838.—Vide insuper *Code pénal*, art. 209; *Journ. des Fabriques*, tom. 3, p. 344, et tom. 6, p. 277; *Bullet. des lois civ. et ecclés.*, fév. 1851, p. 33; *Univers*, 8 mars 1851.

1676. Quoad sacras vestes : « nota ex *Sacrâ Liturgiâ* De » Herdt (pars 1, nº 50, VI), usum albæ, dalmaticæ, plu» vialis et similium non permitti laicis, licet regularibus. » S. R. C., 19 mart. 1659, nº 1825, et 11 sept. 1847, » nº 4942. Quoad superpelliceum autem... ferè communis » habet consuetudo, » ut à laicis possit deferri.

1677. Supra vidimus (315, 474) quòd soli clerici capaces sint jurisdictionis sive delegatæ sive ordinariæ: soli etiam sunt capaces beneficiorum ecclesiasticorum, cap. *Ex litteris*, *de Transact.*

1678. Alia privilegia clericorum sunt : I. Exemptio à foro laicali. « Quamvis jus civile eos eximat tantùm in » causis civilibus, et in criminalibus eos recognoscendi sibi » jus reservaverit, nullatenus condemnando nisi post de» gradationem, nihilominus jus canonicum totaliter eos » eximit, inquit S. Liguor., *de Privil.*, nis 19-24. Verùm » his non obstantibus, in aliquibus casibus potest potestas » civilis ad clericorum carcerationem procedere (ut pos» teà remittat Curiæ Ecclesiasticæ), ut si, ex. c., aliquem » noctis tempore inveniret deferentem arma prohibita, vel » sinè veste clericali, vel inveniret in flagranti patrantem » aliquod delictum...; si interdiù illum invenerit, potest » armis prohibitis spoliare. Potest etiam in quibusdam ca» sibus illum castigare (sed non pœnâ mortis), si ille rebel» lionem adversus Principem moliretur, aut populum ad » seditionem excitaret et à proprio Episcopo de hoc non » esset punitus. Insuper probabiliter potest supplicio affi-

» cere clericos notoriè sodomitas : hi enim à Leone X et à
» S. Pio V clericali privilegio spoliati sunt.... Cæterùm
» pro quocumque alio crimine clerici nequeunt puniri à
» Curiâ sæculari. Cap. fin., *de vit. et honest. cleric.*, et cap.
» *In audientiâ* 25, *de sentent. Excom.*

1679. » Gaudent Ecclesiastici exemptione a foro laicali
» quoad propria bona tam ecclesiastica quàm quocumque
» alio modo acquisita. Vide infra (5288, etc.). Unde res-
» pectu illorum non tenentur solvere ullum vectigal, ut
» habet. ex c. *Quia* et cap. *Clerici*, *de Immunit. eccles.*, in 6°.
» Clerici verò negotiatores circa bona merè ecclesiastica
» negotiationi jam destinata, spoliantur omni exemptione.
» Cap. *Quanquam* 4, *de cens.*, in 6°. Quoad verò reliqua
» bona propria, post tertiam monitionem..: in casu urgen-
» tis necessitatis, potest princeps extrahere à domibus et
» vendere frumentum ecclesiasticorum.

» Gaudent præfatis exemptionibus... omnes regulares...,
» quemadmodum declaravit S. C..; insuper omnes clerici...
» Ita loquitur Trident., sess. 23, cap. 6. *Fori privilegio*
» *non gaudeat nisi beneficium ecclesiasticum habeat*, *aut*
» *clericalem habitum et tonsuram deferens alicui Ecclesiæ*
» *de mandato Episcopi inserviat*, *vel in seminario clerico-*
» *rum*, *aut aliquâ scholâ*, *vel Universitate de licentiâ*
» *Episcopi*, *quasi in viâ ad suscipiendos majores ordines*
» *versetur*. »

1680. « Igitur privilegio fori gaudent : 1° beneficiati,
» etiamsi nulli ecclesiæ inserviant neque deferant habi-
» tum et tonsuram, ut probabiliùs infertur ex Concilio....

» 2° Clerici in minoribus et tonsurati, dummodo habitum
» simul et tonsuram deferant.... Quoad ecclesiæ servitium
» (quod debet esse spirituale), satis est ut alicui Ecclesia-
» rum serviant, etiamsi hæc destinata non sit ab Episcopo,
» ut declaravit S. C., ap. Card. Lambert., *De Syn.*, lib. 7,
» c. 69, n° 4.

1681. » Ut verò clerici in minoribus constituti foro priven-
» tur (nam aliud de Canonis privilegio dicendum), non re-
» quiritur trina monitio, quia hæc requiruntur tantùm pro
» beneficiatis et pro ordinatis in sacris, ut deducitur ex

» c. *Contingat*, *de sent. Excomm.*; vel pro minoristis qui » negotiis sæcularibus se addicunt, ut habetur in cap. *Ex* » *litteris*, *de vitâ et honest.*; sed sufficit » (etiam in causis criminalibus, juxta decis. S. Congregat. Immunitatum, 20 nov. 1860. Vide *Corresp. de Rome.*, 15 décembre 1860, p. 157) « quòd habitum et tonsuram dimiserint, quemad- » modum pluries declaravit Sacra Congregatio et quemad- » modum communiter affirmant DD. (*De Syn.*, lib. 5, » c. 12, nº 1...), dummodo per longum tempus dimise- » rint..; quamvis verò præfati clerici nequeant allegare » forum, potest nihilominus Episcopus eos à foro sæculari » resumere, juxta declarationem S. C. ab hodierno S. Pon- » tifice approbatam. » Benedict. XIV, loco citato.

1682. « Magna quæstio est utrum potestas laicalis possit » cognoscere causas innocentium adversus ecclesiasticos. » Quidam theologi absolutè affirmant; sed quidam alii » magis communiter tantummodo admittunt quando, aut » nullo modo, aut difficulter potest haberi recursus ad » Superiores ecclesiasticos majores. Vide Salmanticenses, » *Tract.* 8, c. 7, ex nº 76. » Ita S. Liguor. (loco citato); vide insuper lib. 6, nº 827.

Attamen, inquit Cardinalis Soglia (*Instit. jur. privati*, § 208), « communiter numerantur aliquæ causæ civiles » in quibus clerici... coram judice sæculari vocari possunt: » 1º Causæ feudales ecclesiæ et monasteriorum...: cap. 6, » et seq., *de foro competenti*... 2º Si bona immobilia eccle- » siis vel clericis donata sint cum reservatione jurisdic- » tionis, eâ scilicet lege et conditione ut foro civili obnoxia » maneant. 3º Causæ evictionis, si nimirum proposita sit » actio contra laicum ad rem evincendam quam emit à » clerico.... 4º Ob officium sæculare, si nempe clericus » tanquam tutor... aut procurator alicujus laici in jus vo- » cetur. 5º Ob litem cœptam; quamobrem lis jam inchoata » cum defuncto laico cujus clericus est hæres, in eodem » foro in quo initium habuit, finem accipere debet. 6º De- » mùm ob reconventionem, cùm scilicet clericus actoris » personam agens aliquem ad forum laicale traxerit. Ipse » clericus in eodem foro reconveniri rectè poterit. »

1683. Apud nos in Galliâ hodie non agnoscitur à Gubernio hoc privilegium fori, et Tribunalia nostra judicant tam de personis quàm de bonis clericorum, imò et Ecclesiarum, priùs tamen obtentâ in quibusdam casibus Consilii Statûs licentiâ. Vide ap. DD. Affre, *Administ. tempor. des paroisses*, p. 634, 4ª edit.

1684. Disputatur autem circa naturam juris quo nitantur immunitates clericorum : alii enim dicunt illas esse juris divini ; alii esse duntaxat juris ecclesiastici ; alii tandem ortas fuisse à concessione principum. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n[is] 327, 328; quæ jam supra diximus (263-276), et quæ dicturi sumus infra (5295, 5296).

1685. — II. Præcipuum privilegium clericorum est illud quod vocatur *Canonis*, eo quòd statutum fuerit à Canone Concilii Lateran. II, anno 1139, in quo sic decernitur : « Si » quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrit » quòd in clericum vel monachum violentas manus inje- » cerit, anathematis vinculo subjaceat; et nullus Episco- » porum eum absolvere præsumat, nisi mortis urgente » periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur et » illius mandata suscipiat.» Can. *Si quis* XVII, q. 4. De hoc privilegio fusiùs dicemus infra (6204, etc.).

1686. Clericus realiter degradatus, vel bigamus, vel publicè exercens officium cauponis aut macellarii, vel scurræ, vel se ingerens negotiis sæcularibus, postquam habitum clericalem deposuerit, si ter monitus non cesset, perdit hoc privilegium Canonis. Idem est dicendum de eo qui inveniretur turpiter agens cum uxore, matre, sorore, vel filiâ ipsum percutientis, vel qui a muliere percuteretur eo momento quo ipsam ad turpitudinem sollicitaret. (Vide S. Liguor., lib. 7, n° 275, VI, et 270.)

1687. Item clericus non deferens habitum et tonsuram clericalem, si tertiò ab Episcopo monitus non emendetur, amittit privilegium Canonis ex cap. *Contingat*, *de sent. excomm.* Idem est dicendum de gestante arma militaria in habitu laicali. (Vide S. Liguor., lib. 6, n° 827.)

ART. II.

DE MINORIBUS ORDINIBUS.

1688. « Disputant inter se viri docti, inquit Devoti (tit. 2, » sect. 2, § 29), num minorum ordinum origo ab ipsis » Apostolis sit repetenda. Affirmant Baronius... et Bellar» minus...; negant Morinus.., Card. Bona, Amalarius... » Petrus Lombardus..., D. Thomas. » Vide etiam Benedictum XIV (*De Synod.*, lib. 8, c. 9, n° 1), qui addit graviter peccare qui ordines minores suscipit non ignorans se esse lethali culpâ obstrictum.

1689. Ordines minores sunt Ostioratus, Lectoratus, Exorcistatus et Acolythatus.

1° *Ostioratus est ordo quo confertur alicui specialis potes» tas aperiendi et claudendi januam ecclesiæ, et admittendi » dignos excludendique indignos.* »

Ostiarii est « campanas pulsare, quæ intra ecclesiam » sunt custodire, ei qui prædicat aperire librum. » S. Lig., lib. 6, 735, etc.

Ad hoc officium referunt Canonistæ quæ in jure dicuntur de officio. *Sacristæ, Custodis, Thesaurarii*, etc. De variis his denominationibus, vide Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 8, c. 9, n^is 7 et 8).

« Ostiarios ab Ecclesiâ institutos, eâ præsertim de causâ » putat Binghamus..., ut sævientibus Ethnicis adversùs » christianos, stata conventuum et precationum tempora » indicarent. Exteriores ecclesiæ portas ostiarii, portas » sanctuarii subdiaconi custodiebant... Sæpe etiam ostiarii » vocantur *Æditui*, atque ita S. Paulinus Nolanus. » Vide Devoti, tit. 2, sect. 2, § 33, nota 1.

1690. — « 2° *Lectoratus est ordo quo confertur alicui » specialis potestas legendi psalmos et lectiones ex pulpito » in ecclesiâ; ac populum catechizandi seu instruendi in » rebus fidei.* Item potest panem et novos fructus benedi» cere... (Salmant.)... non autem prædicare. » Hodie novorum fructuum benedictio à solis sacerdotibus impertitur.

« Olim apud eos (lectores nempe) sacri codices serva-

» bantur, et sæpe Ethnicis eos postulantibus, ab Episcopis » responsum constat: *Scripturas Lectores habent*. Legebant » autem è pulpito, sive suggestu, et antequam initium » lectioni facerent, silentium à Diacono indicebatur verbo: » *Attendamus*. » (Devoti, lib. 1, tit. 2, sect. 2, § 32.)

1691. — 3° « *Exorcistatus est ordo quo alicui confertur* » *specialis potestas ejiciendi dæmonia* » *et exorcizandi catechumenos*. « Tenent Suarez et Sanchez contra Philip. om- » nes fideles posse exorcizare, quamvis hoc magis possint » ordinati ad hujusmodi munus ab Ecclesiâ; et ideo hi » solùm solemniter illud exercere valent. » Vide dicta lib. 3, *de adjur.*, n° 193, *Append.* ad n° IV.

« Privatim omnibus quidem licitum est adjurare, so- » lemniter autem tantùm Ecclesiæ ministris ad id consti- » tutis et cum Episcopi expressâ licentiâ. Ita communiter » Salmant. cum aliis ex Lucâ, 10, 19, et ex Marco, 16... » (S. Liguor. lib. 3, 193, *App.* ad n° IV.)—Quomodo in exorcismis sit procedendum, vide Rituale Roman., *de exorcizandis obsessis à dæmonio*.

Circa quæstionem possessionum diabolicarum, vide *Revue des sciences ecclésiast.*, tom. 1, p. 240-305.

1692.—4° « *Acolythatus est ordo quo confertur alicui specialis potestas in missâ solemni subdiacono inserviendi*, » *accendendo cereos, præparando et porrigendo illi ampullas* » *vini et aquæ*. »

Olim acolythi etiam Eucharistiam deferebant. (Vide apud Devoti., tit. 2, sect. 2, § 30, nota 1.)

Acolythus venit à voce græcâ ἀκωλυτοι *non exclusus*, *non prohibitus*, vel à voce ἀκολουθος *comes*. Dicitur etiam *Ceroferarius* quia ejus munus est cereos ferre. — Vide apud S. Liguorium, lib. 6, n[is] 735 et 805; Lequeux, n[is] 445-448.

1693. « Quæstio celebris est an singuli septem ordines » sint sacramenta: adsunt quatuor sententiæ: 1ª Senten- » tia universè affirmat et hanc docet S. Thomas... quem » sequuntur Sanchez... Bellarminus... Salmantic... 2ª Sen- » tentia dicit solùm Sacerdotium esse sacramentum, et sic » tenent Durand... Cajetan. 3ª Sententia dicit esse sacra-

» mentum tantùm tres Ordines Majores : ita Navarr., Sotus, » Vasquez... 4ª Demum sententia dicit solùm Presbytera- » tum et Diaconatum esse sacramenta : et hanc tenent » Tournely... Cabassut... » Ita S. Liguor. (lib. 6, nº 736), qui deindè (nº 737) dicit primam sententiam esse probabilem, non verò secundam, tertiam quoque esse probabilem, quartam verò ipsi videri probabiliorem, quod deinde variis argumentis probat. Vide etiam circa hanc quæstionem Benedictum XIV, *De Syn.*, lib. 8, cap. 9.

Igitur juxta S. Liguor., etsi probabile sit minores ordines esse sacramenta, quia in Decreto ad Armenos unicuique eorum ordinum assignatur materia propria, videlicet traditio instrumentorum, tamen probabiliùs est eos non esse sacramenta, quia pro his deest materia et forma sacramenti Ordinis, nempe impositio manuum et verba huic impositioni correspondentia.

1694. « *Ostiarius* ordinatur traditione clavium ecclesiæ » (sufficit ad validitatem ordinationis unam clavem tangere; Rubrica tamen plures tangere præscribens est observanda. Vide D. Boissonnet, *Dictionn. des décrets*, vº *Ordre*, 3, ubi citat Gardell., nº 4415). « *Lector* (ordinatur traditione) libri » lectionum ; *Exorcista* libri exorcismorum ; *Acolythus* » ampullarum vacuarum, vel saltem unius et candelabri » cum cereo extincto. » Ita Busembaum, apud S. Liguor. (lib. 6, 745) qui adjicit : « An autem materia Acolythatûs » sit traditio urceolorum, vel candelabri ?— Respond. esse » utrumque, cum S. Thom., Salm..., contra alios; caracter » verò, juxta sententiam affirmantium omnes ordines esse » sacramenta, probabiliùs imprimitur in porrectione » urceolorum, prout proximiùs ad sacrificium deservien- » tium, ut Sanch. et Bonac. cum Salm. »

ART. III.

DE MAJORIBUS ORDINIBUS.

1695. Majores Ordines seu sacri, sunt illi qui conferunt potestatem circa res consecratas ad sacrificium pertinentes, altarisque ministerio irrevocabiliter mancipant, quales

sunt Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus et Subdiaconatus.

« Præscribit *Pontificale* ut ordinandi Eucharistiam accipiant; sed hoc non sub mortali...; imò nec sub levi tenentur communicare initiandi ad ordines minores... Presbyteri autem veriùs tenentur communicare sub mortali, cùm ipsi verè celebrent cum Episcopo. » (S. Liguor., lib. 6, n° 801.)

§ I.

De Subdiaconatu.

1696. « Subdiaconi... diù fuerunt minorum clericorum numero, sed postea in Latinâ Ecclesiâ majoribus adscripti sunt; quod factum videtur undecimo Ecclesiæ sæculo, Urbano II Pontifice. » Ita Devoti, lib. 1, tit. 2, sect. 2.

Duo decreta Urbani II referuntur ab Innocent. III, cap. *A multis, de ætate et qualit.*, etc.; juxta primum, Subdiaconatus adhuc computabatur inter minores ordines: « Nullus in Episcopum, nisi in sacris ordinibus religiosè vivens inventus fuerit, eligatur; sacros ordines dicimus Diaconatum et Presbyteratum, hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse. »

Juxta secundum, Subdiaconatus jam evectus fuerat ad majorem ordinem : « Cùm hodie, inquit, Subdiaconatus inter sacros ordines computetur, sicut Urbanus Papa II, expressit : *Erubescant*, etc. »

Thomassinus (part. 1, lib. 2, cap. 33, n^is 2 et 3) cum quo sentit Van Espen, hæc duo decreta inter se pugnantia admirans, ascribit Innocentio III evectionem Subdiaconatûs inter majores ordines, sed hoc auctoritati ipsiusmet Innocentii III contradicit, qui hanc evectionem Urbano II attribuit. Vide Devoti (*ib.*, nota 1ª).

1697. « *Subdiaconatus est ordo quo confertur alicui specialis potestas in missâ solemni inserviendi Diacono et solemniter canendi Epistolam.* » (S. Liguor., lib. 6, 635.)

« Ad similitudinem Diaconi et Presbyteri, Subdiaconus debet continentiam observare, sicut est in sextâ Synodo

» constitutum. » Ita cap. *A multis*, *de ætate et qualit.*, etc.

Subdiaconorum munera describuntur in canone *Perlectis* I, dist. 25, ex S. Isidoro. Vide etiam *Pontificale*.

In articulo præcedenti expendimus an Subdiaconatus sit sacramentum (1693).

1698. Apud græcos materia et forma Subdiaconatus est manuum impositio; apud Latinos controvertitur an sit calix cum patenâ, vel Liber Epistolarum: alii dicunt materiam proximam esse solam traditionem calicis vacui cum patenâ, et formam verba corespondentia: *Videte cujus*, etc. Alii verò dicunt materiam essentialem esse insuper traditionem Libri Epistolarum, quia munus est subdiaconi speciale solemniter Epistolas legere. In praxi S. Liguor. (lib. 6, n° 746) dicit posteriorem hanc sententiam esse sequendam, utpote tutiorem et non improbabilem.

Disputatur pariter an calix et patena, in ordinatione Subdiaconatûs adhibenda, consecrata esse debeant; certò quidem consecrata esse debent ex necessitate præcepti, sed controvertitur an talia esse debeant pro validitate ordinationis. In praxi tenenda est sententia affirmans. S. Liguor. (*Ibid.*).

1699. Circa pœnitentiam Diaconis et Subdiaconis ab Episcopo post ordinationem imponendam, dicitur in *Pontificali* : « Ad Subdiaconatum vel Diaconatum (promoti) » Nocturnum talis diei... dicite...» Cùm verò de sensu horum verborum disputaretur, interrogata S. Rit. Congr. an hæc verba de toto Officio nocturno et Laudibus intelligenda essent, vel de unico Nocturno et quali? Resp. 11 aug. 1860 intelligenda esse « de unico Nocturno feriali vel » de primo Dominicæ ut in psalterio, id est duodecim psal- » morum cum suis antiphonis de tempore »(nulla fit mentio de lectionibus, nec de invitatorio et hymno) « quem Epis- » copus designare potest, vel ipsius diei quo habet ordi- » nationem vel alterius pro suo arbitrio » ; ita ut non possit designare nocturnum officii tribus tantùm psalmis constantem. Si verò Episcopus nihil aliud expresserit quàm quod verba Pontificalis sonant, dicendum est *nocturnum feriale* correspondens illi diei in quo facta est ordinatio. (V. *Analecta*, 41 livr., col. 342-348. 351; et *Rev. des sciences*

§ II.

De Diaconatu.

1700. « *Diaconatus est ordo quo confertur alicui specialis* » *potestas in missâ solemni immediatè assistendi Presbytero* » *et solemniter canendi Evangelium.* » (S. Liguor., lib. 6, n° 735.)

Ejus munus est ministrare ad altare, catechizare, cantare Evangelium, et cum facultate parochi prædicare, baptizare, Eucharistiam dare, sed solùm in necessitate. (S. Liguor., lib. 6, n° 745.)

1701. Munus prædicandi de licentiâ Episcopi potest exerceri etiam à non constituto in sacris, cùm sit actus jurisdictionis, non ordinis. Suarez et Salm., apud S. Liguor. (lib. 7, n° 358).—Sinè verò Episcopi veniâ, etiam à diaconis et presbyteris exerceri nequit. Vide Devoti, lib. 1, t. 2, sect. 2, § 26, et dicta supra (1497).

1702. Quoad munus baptizandi sic dicitur in canone *Diaconus*, dist. 93, ex Papâ Gelasio : « Diaconi, absque » Episcopo vel presbytero, baptizare non audeant, nisi » prædictis ordinibus longiùs constitutis, necessitas com» pellat. »

« Ex præfato autem textu rectè infert Gonet quòd talis commissio nequit diacono fieri nisi ob magnam necessitatem, vel Ecclesiæ utilitatem, puta si non adessent sacerdotes : velut dicunt Suarez..., Palaus, Sporer..., nisi adsit multitudo baptizandorum, aut nisi parochus sit graviter infirmus, vel excommunicatus, vel aliàs occupatus confessionibus excipiendis aut prædicationi, ut colligitur ex Act. Apost., cap. 5 : « Fratres, viros... constituamus super » hoc opus; nos verò orationi et ministerio verbi instantes » erimus. » S. Liguor. (lib. 6, n° 116).

1703. Secundùm sententiam communiorem et probabiliorem, diaconus baptizans *solemniter sinè commissione*, sive in necessitate sive extra, incurrit irregularitatem, si illud faciat ex temeritate et cum scientiâ, secus si per ignorantiam etiam crassam. Vide cap. *Si quis, de cleric.*

non ord. min. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 116, *dub.* 1 et 2), et infra dicenda (3280).

1704. Quoad Eucharistiæ administrationem, « omnes... » conveniunt quòd in necessitate extremâ, absente sacer- » dote, diaconus poterit et tenebitur Viaticum ministrare » adhuc sinè commissione... ; Diaconus autem, dum Eu- » charistiam ministrat, debet esse indutus superpelliceo et » stolâ transversâ...

» Cum *commissione* verò, communiter dicunt Suar., Pa- » laus, De Lugo, Salmant., etc., sufficere necessitatem » gravem, nempè cùm nullus adsit sacerdos, qui com- » modè possit ministrare. » (Vide S. Liguor., lib. 6, n° 237.)

1705. « Omnia hæc sunt munera, quibus nunc diaconi » funguntur. Olim et curam gerebant viduarum, virgi- » num, orphanorum, pauperum, martyrum in custodiâ » detentorum, quibus potissimùm providere debebant » ne quid deesset ad vitam necessarium; in vitam mores- » que populi inquirebant, et crimina Episcopo nuntiabant; » oblationes accipiebant, nominaque offerentium et sacra » dipticha [1] in ecclesiâ recitabant; increpabant et corrige- » bant eos qui aliquid in ecclesiâ agerent quod minùs » decere videretur; finitis precibus sacrisque peractis, ab » ecclesiâ discedere jubebant populum qui ad eam vene- » rat [2]. » Devoti, lib. 1, tit. 2, sect. 2, § 27.

1706. Controvertitur quænam sit materia et forma Diaconatûs : alii dicunt esse solam traditionem Libri Evangeliorum cum suâ formâ : *Accipe*, etc. Alii dicunt esse solam impositionem manuum cum formâ : *Accipe Spiritum Sanctum ad robur*. Alii tandem dicunt duo præfata esse materiam essentialem. Vide rationes allatas pro respectivis illis sententiis, ap. S. Liguor. (lib. 6, n° 748), qui sic concludit : « His positis, dico primam sententiam esse proba-

[1] « Dipticha erant libri in quibus erant descripta nomina viventium » et mortuorum qui cæteris, aut generis nobilitate aut virtute, aut dig- » nitate præstarent. »

[2] « Primùm Judæos, Ethnicos, cathechumenos, pœnitentes, postea » verò fideles Diaconus dimittebat. »

» bilem, secundam probabiliorem, tertiam adhuc proba-
» bilem, et ideo omninò in praxi sequendam utpote spec-
» tantem ad valorem sacramenti. »

Juxta Perrone (*Prælect. Theolog.*, *Tract. de Ordine*, cap. 2, n° 80), « Diaconatum sacramentum esse, commu-
» nis et certa est theologorum sententia. »

§ III.

De Presbyteratu.

1707. « *Presbyteratus, sive sacerdotium, est ordo, quo*
» *confertur alicui specialis potestas consecrandi Corpus et*
» *Sanguinem Christi, absolvendi quoque à peccatis et pas-*
» *cendi subditos opere et doctrinâ.* » S. Liguor., lib. 6, n° 735.

Sacerdotium Novæ Legis à Christo fuit institutum pridiè ipsius mortis in Cœnâ, simul ac sacramentum Eucharistiæ. (Concil. Trident., sess. 22, cap. 1, can. 2, et sess. 23, cap. 1, can. 3.)

1708. Cùm de fide sit Ordinem esse sacramentum, utpote definitum à Concilio Trident. (Sess. 23, can. 3), ubi dicitur : « Si quis dixerit Ordinem, sive Sacram Ordinationem,
» non esse verè et propriè sacramentum à Christo Domino
» institutum... anathema sit. » Illud intelligi saltem debet de Sacerdotio, in quo omnes convenire videntur, prout vidimus suprà (1693); proinde de fide est Presbyteratum esse sacramentum : « Hinc, inquit Bened. XIV (*De Syn.*,
» lib. 8, cap. 9, n° 2), omnes theologi inferunt fide divinâ
» tenendum saltem ordinationem sacerdotum esse verum
» et proprium sacramentum. »

1709. Non consentiunt tamen DD. in assignandâ materiâ et formâ Presbyteratûs : alii dicunt cum Fagnano ipsius materiam esse solam traditionem instrumentorum; et formam verba ab Episcopo prolata in hâc traditione: *Accipite potestatem offerendi*, etc...; et probant ex Decreto Eugenii IV ad Armenos, ubi asseritur : « Ordo Presbyteratûs
» traditur per calicis cum vino et patenæ cum pane por-
» rectionem. »

Alii cum Bellarmino tenent Presbyteratûs duplicem esse materiam essentialem, traditionem videlicet instrumentorum, quâ traditur potestas super Corpus Christi reale cum formâ: *Accipe potestatem*, etc. et impositionem manuum quâ traditur potestas super Corpus Christi mysticum cum formâ: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata*, etc.; et probant tum ex Decreto ad Armenos, tum ex Actib. Apostol., cap. 13, v. 3; tum ex Concil. Trident., sess. 23, can. 4.

Alii tandem dicunt tradi sacerdoti utramque potestatem sacrificandi et absolvendi per solam secundam manuum impositionem. Et probant 1° Ex Concil. Trident. (sess. 14, cap. 3), ubi dicitur quòd ministri Extremæ-Unctionis sunt « aut Episcopi aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati *per im-* » *positionem manuum presbyterii*. » Porrò prima et secunda tantùm impositiones manuum ab Episcopo fiunt cum presbyteris assistentibus, ac proinde solæ dici propriè possunt *impositiones manuum presbyterii;* sed in primâ nihil ab Episcopo dicitur; superest ergo ut secunda sit materia presbyteratûs, et forma oratio correspondens. 2° Græci per solam manuum impositionem ordinantur, et tamen eorum sacerdotes veri sacerdotes habentur; ergo et sola impositio manuum sufficere debet pro Latinis. 3° « Accedit quod ad- » vertit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 8, cap. 10, n° 5), ex » doctissimo Martène, quòd instrumentorum traditio non » priùs inventa est quàm à sæculo VIII vel IX; undè si » priùs sacerdotes per solam impositionem manuum va- » lidè ordinabantur, cur non hodiè? »

1710. Hæc tertia sententia sicut probabilior videtur S° Liguor. (lib. 6, n° 749), sic et nobis. — « Nec obstat, in- » quit S. Liguor., quòd Eugenius IV... assignaverit pro » materiâ Presbyteratûs traditionem instrumentorum cum » formâ: *Accipe potestatem*, etc. — Nam sapienter res- » pondet... Bened. XIV (*De Syn.*, ibid., n° 8)... Eugenium » tantùm ibi locutum fuisse de materiâ et formâ integrali, » quam intendit tradere Armenis qui optabant aggregari » Ecclesiæ Latinæ, et ideo non fuit opus eis assignare » impositionem manuum: cùm illi juxta ritum Græco-

» rum, quo priùs ordinabantur, jam eam adhibebant. »

1711. Cùm tamen secunda sententia sit etiam probabilis, juxta S. Liguor., in praxi omnino sequenda est utpotè tutior. « Quapropter, inquit, benè advertit Croix... » quòd ordinatio facta sinè secundâ manuum impositione » tota repetenda est, ut etiam declaravit S. C. apud Bened. XIV (*De Syn.*, ibid., n° 13). Ratio quia qui non » accepit potestatem supra Corpus Christi verum, nec etiam » potuit accipere potestatem super Corpus Christi mysticum. Si verò ordinatio facta fuit sinè tertiâ manuum » impositione, hæc tantùm supplenda est. » S. Lig., *ibid.*

Quoad traditionem instrumentorum, vide multas quæstiones practicas ap. S. Liguor. (*ib.*, n[is] 750-759), et infra (3968-3976).

1712. *Nota* quòd in hâc ordinatione, manuum *impositio* Episcopi et presbyterorum adstantium cessare debet, post *Oremus*, *fratres carissimi*. Vide Boissonnet (*Dictionn. des décrets*, v° *Ordination.*, ubi citatur Gardellini, n° 4806).

1713. Præcipuæ functiones Presbyteri memorantur in *Pontificali :* « Sacerdotem enim oportet offerre, benedi- » cere, præesse, prædicare et baptizare. »

I. In primitivâ Ecclesiâ unum erat altare; Episcopo sacra facienti assistebant presbyteri ejusdem oblationis consortes. Multiplicatis postea altaribus, statutum fuit quòd « in altari in quo Episcopus missam cantavit, presbyter, » eodem die, missam celebrare non præsumat » (Cap. *In altari* 97, *de consecr.*, dist. 2). Hoc canonum interpretes intelligunt de solâ missâ solemni Pontificali, supposito quòd Episcopus non daret licentiam. Vide Lequeux, n° 456 [1].

1714. — II. « Licitè... nequit Baptismus ministrari ab » alio quàm à sacerdote extra articulum mortis... Ex cap.

[1] Circa missam ordinationis quam ordinati cum Episcopo concelebrant, vide Ferraris (v° *Ordo*, art. 2, n[is] 114 et 115).

Circa autem missas simultaneè in eâdem ecclesiâ, celebratas sic legitur in opere *Ordonnances de Valence*, p. 236 : « On doit surtout s'en abs- » tenir quand les Evèques officient, ou même quand ils disent une » messe basse, (*Act. de Milan*, IV Conc. Provinc., part. 2). »

» *Constat, de consecr.*, dist. 4... Baptismi... minister ordi» narius et solemnitatis est... quivis sacerdos, ut declaravit » Eugenius IV in suo Decreto, dicens : *Minister hujus sa» cramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare,* » modò adsit licentia Episcopi... Parochus potest (etiam) » aliis sacerdotibus committere administrationem baptismi, » ut docent Tournely... et alii communiter. » S. Liguor. (lib. 6, n° 113). Vide insuper can. *Diaconi*, dist. 93, supra relatum (1702).

1715.—III. De fide est sacerdotem non esse ordinarium sacramenti Confirmationis Ministrum. « Si quis dixerit » Sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse » solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, » anathema sit. » (Concil. Trid., sess. 23, can. 7.)

Sed quamvis olim quæstio fuerit inter DD. controversa, certum est hodie quòd simplex sacerdos ex delegatione Summi Pontificis possit ministrare Confirmationis sacramentum cum chrismate ab Episcopo consecrato : hanc praxim sequitur S. Sedes, ut videre est apud Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 7, c. 7). Imò Sedes Apostolica posset simplici sacerdoti committere facultatem conficiendi S. Chrisma, quamvis hoc nunquam aut rarissimè fuerit concessum (*ib.*, c. 8, n^is 1 et 2).

1716. Disputatur autem utrum valeat Episcopus simplicem sacerdotem deputare ad ministrandum Confirmationis sacramentum, supposito quòd S. Sedes facultatem hanc non sibi reservaverit; vide rationes pro et contra apud Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 7, c. 8, n^is 3-6) : « Cæte» rùm, pergit doctus Pontifex (*ib.*, n° 7), omnibus in con» fesso est irritam nunc fore Confirmationem à *simplici* » *Presbytero latino,* ex solâ Episcopi delegatione collatam, » quia Sedes Apostolica id juris sibi unicè reservavit. » Quod factum fuisse ait Pontifex, ante IX sæculi finem, prout colligitur ex epistolâ 70 Nicolaï I ad Hincmarum et cæteros Archiepiscopos et Episcopos regni Caroli, ubi dicitur : « Quoniam... presbyteros chrismate linire bapti» zatorum *frontes* inhibemus. »

1717. Diximus *Presbytero latino*, quia ob consuetudi-

nem in Ecclesiâ Orientali vigentem, valet in eâ Ecclesiâ (quibusdam tamen locis exceptis) Confirmatio à simplici presbytero collata, licet is nullam à Romano Pontifice expressam delegationem obtineret. Vide hæc explicata et probata apud Bened. XIV (*ib.*, c. 9).

1718.—IV. De fide est pariter solos sacerdotes esse ministros sacramenti Pœnitentiæ : « Si quis dixerit... non » solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omni» bus et singulis Christi fidelibus esse dictum : *quæcumque* » *ligaveritis*, etc..., anathema sit. » (Concil. Trident., sess. 14, can. 10.)

1719.—V. Item de fide est presbyteros esse proprios ministros sacramenti Extremæ-Unctionis : « Si quis dixerit... » proprium Extremæ-Unctionis ministrum non esse solum » sacerdotem, anathema sit. » (Concil. Trident., sess. 14, can. 4.)

1720.—VI. Quoad sacramentum Ordinis, soli Episcopi sunt ministri ordinarii, ut constat ex can. 7, sess. 23, Concilii Tridentini.

Quæritur autem an sacerdotes possint esse Ministri extraordinarii hujus sacramenti ?

1721. Resp. 1° Tonsuram et minores ordines à quolibet sacerdote conferri posse ex commissione S. Pontificis. Est commune cum S. Thomâ. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 762.

1722.—2° Communiter negatur posse sacerdotem deputari etiam à S. Sede, ad ordinandum presbyterum. Ita S. Thomas cum multis aliis contra Escobar, n° 228, cum Innocent. IV, Vasquez, etc., qui hanc facultatem simplici sacerdoti tribui posse volunt à S. Pontifice, et probant ex Concil. Antioch., in quo satis clarè dicitur Chorepiscopum potuisse presbyterum et diaconum ordinare cum *conscientiâ Episcopi*. Sed rectè respondent communis sententiæ patroni, Chorepiscopos, de quibus agitur in Concilio Antiochiæ, fuisse caractere episcopali insignitos: nam ante verba ab adversariis objecta dicitur : « Qui Chorepiscopi nomi» nantur, quamvis *ut Episcopi* consecrati sint, etc. » Ergo deficit tota vis argumentationis adversariorum. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 762.

Objiciuntur verba Apostoli ad Timoth. (c. 4, v. 14) : « Noli » negligere gratiam... quæ data est tibi cum *impositione* » *manuum presbyterii.* » Ergo et ipsi presbyteri ordinabant. Sed respondetur Episcopos tunc exstitisse vel vocatos fuisse presbyteros. In textu autem allegato agitur de ordinatione non simplicis sacerdotis, sed Episcopi, qualis tunc erat Timotheus, Ephesi ab Apostolo jam relictus, uti videre est cap. 1, v. 3, ejusdem Epistolæ : porrò ad talem ordinationem tres Episcopi manus imponere debent, saltem ex necessitate præcepti, ut neminem latet. Ergo nihil concludi potest contra nostram thesim ex textu præfato.

1723.—3° Major est difficultas pro Diaconatu et Subdiaconatu : alii dicunt Diaconos et Subdiaconos posse ordinari à simplici sacerdote ad hoc à S. Sede deputato, et probant ex Indulto ab Innocentio VIII Abbatibus Cisterciensibus concesso et à S. Liguorio relato (*ibid.*), de cujus tamen authenticitate non omnino constat. Alii negant cum S. Thomâ, qui expressè docet Papam non posse committere simplici sacerdoti, ut majores ordines conferat ; alii tandem probabiliter negant de Diaconatu ; affirmant verò de Subdiaconatu. Vide hæc omnia discussa apud S. Liguor. (*ibid.*).

1724.—VII. Quoad matrimonium, sepositâ quæstione utrum contrahentes vel sacerdos sint hujusce sacramenti ministri, certum est ad sacerdotem pertinere nuptias solemniter benedicere. Imò ex Concil. Trident. (ubicumque promulgatum fuerit ipsius, quoad hoc, decretum) requiritur præsentia parochi saltem unius è contrahentibus ad matrimonii validitatem, prout infra dicturi sumus (4341, 4342), et prout constat ex Trid. (sess. 24, cap. 1, *de ref.*) et *Rituali Romano.*

1725.—VIII. De potestate sacerdoti concessâ benedicendi, dicemus infra ubi de sacramentalibus (4471, etc.). Sufficiat hîc annotare quòd personas solemniter benedicendi facultas Episcopis reservetur. Vide Ferraris (v° *Bened.*, art. 1, n° 8) et dicta supra (1435) ; quæ solemnis benedictio dari solet in fine officiorum Laudis, Vesperarum et Missæ Pontificalis aut Solemnis, præsente Episcopo.

« Alia est benedictio personarum simplex, ut ea quæ

» fit à sacerdote in fine Missæ, quæ etiam à sacerdote dari » nequit, præsente Episcopo, sinè permissione ipsius. » (Ferraris, *ibid.*, n° 11.) Hæc permissio solet peti, in missâ privatâ, per inclinationem Episcopo factam, antequam sacerdos verba benedictionis proferat; et benedictio ab ipso est danda versùs partem ubi non adest Prælatus. V. de Herdt, *Sacr. Liturg. Praxis*, tom. 2, pars 2, n° 71, 6°.

IX. De potestate prædicandi diximus supra (1701). Specialiter ad Episcopum spectat hoc munus implere. Vide Devoti, lib. 1, tit 2, sect. 1, § 8, nota 2.

1726. — X. « *Præesse* non tantùm indicat pastoralem » curam quam, v. g., parochi suspiciunt, sed indicat sa- » cerdotis esse, in divinis officiis publicisque precibus, pri- » mum locum tenere, et totius plebis nomine *orationem* » *colligere* et Deo offerre, juxta vetustissimum Ecclesiæ » morem. » (Lequeux, n° 466, editio 2ª.)

1727. Unde fit irregularis sacerdos excommunicatus, qui officium hebdomadarii implet solemniter dicendo : *Dominus vobiscum ;* quia tale ministerium ex consuetudine à sacerdotibus aut Diaconis exercetur. S. Liguor., lib. 7, n° 358.

1728. Quoad missas et preces ordinatis ab Episcopo impositas, etsi plures dicant eas sub gravi esse impositas, attamen multi alii hoc negant, et ad summum ordinatos sub levi tantùm obligari ad eas affirmant. Vide Ferraris (v° *Ordo*, art. 2, n° 112, etc.); S. Liguor. (lib. 6, n° 829) qui addit : « Ex quibus verbis (*Pontificalis*) rectè infert » P. Mazzotta... non esse obligationem applicandi prædictas » missas juxta intentionem Episcopi ; dum ibi præscribi- » tur tantùm ut initiati pro se orent... patet autem quòd » hujusmodi missæ non priùs dicendæ sint quàm adve- » niant dies non impediti. » Pro iis accipi potest stipendium. Vide etiam Ferraris (v° *Ordo*, art. 2, n° 113).

§ IV.

De Episcopatu.

1729. « *Episcopatus est ordo quo confertur alicui specia-* » *liter potestas confirmandi fideles, ordinandi ministros*

» *sacramentorum... necnon consecrandi res ad divinum* » *cultum pertinentes.* » S. Liguor. (lib. 6, n° 735); quâ definitione patet quodnam sint objectum et præcipuæ facultates Ordinis Episcopalis.

1730. « Quamvis, inquit Ferraris (v° *Episcopus*, art. 1, » n° 42), Apostolos omnes à Christo Domino fuisse ordi- » natos Episcopos sit valdè controversum, ut patet ex » pluribus traditis à Cardin. Bellarmino, *De Romano Pon-* » *tifice* (lib. 4, cap. 13)...; et id (seu opinio affirmans) vi- » deatur inferri ex verbis Divi Augustini..., *Nemo ignorat,* » *Episcopos Ecclesiis Salvatorem instituisse; ipse enim* » *priusquam cœlos ascenderet, imponens manus Apostolis,* » *instituit eos Episcopos, et ordinavit;* tamen communior » opinio tenet solum Petrum fuisse immediatè ab ipso » Christo Domino Episcopum consecratum (quando illi » dixit : *Pasce oves meas.* Idem, v° *Episcopatus*, n° 8.) » Bellarminus... Turrecremata... Barbosa... Henriquez... » Fagnan... et alii passim... S. Petrus alios Apostolos in » Episcopos consecravit, ex quibus primi fuerunt filii Ze- » bedei Jacobus et Joannes, quorum interventu facta fuit » consecratio Jacobi Alphæi in Episcopum Hierosolymita- » num. Cap. *Porrò* 2, dist. 66. »—Vide etiam Suarez (*De Fide*, part. 1, disp. 10, sect. 1, n^is 2, 3, 5, 6, 7), apud D. Bouix (*De Episcopo*, tom. 1, p. 46).

« Inter... (Theologos) communiter convenit veram sa- » cramenti rationem participare Episcopatum... Id esse » pariter ex fide affirmat Petrus Soto... aut saltem non » posse, sinè periculo et gravis erroris notâ, hoc tempore » negari, asserunt Medina et Vasquez. » (Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 8, cap. 9, n° II.)

1731. Quærit. 1° An Episcopatus sit ordo distinctus et sacramentum distinctum à presbyteratu ?

Resp. Cum S. Liguorio (lib. 6, n° 738) : « Negant » S. Thomas, S. Bonaventura et alii : sed communiùs affir- » mant Bellarminus, Tournely... tum quia in ipso tradi- » tur distinctus caracter et specialis potestas ad Eucharis- » tiam, nempè constituendi hujus sacramenti ministros, » tum quia Ordo Episcopatûs confertur per manuum im-

» positionem et per formam : *Accipe Spiritum Sanctum*,
» etc. Nec valet dicere quòd, si Episcopatus esset distinctus
» ordo, posset Episcopus validè saltem ordinari licet non
» esset sacerdos; nam respondetur quòd hoc ordinatione
» divinâ requiritur, sicut requiritur ut sit baptizatus qui
» vult confirmari, aut ordinari. »

Ultrà pergit Perrone in suis *Prælect. theol.* (*tract. de Ord.*, n° 78) dicens quòd « sententia, nunc temporis
» *communis et omnino tenenda est Episcopatum, et ordinem*
» *esse specie distinctum à presbyteratu, et sacramentum.* »
Et in *notâ* (ibid.), de sententiâ oppositâ dicit : « nedum pro-
» babilis nunc hæc sententia censetur, sed jam à nonnul-
» lis censurâ notatur. »

Sed, prout observat D. Bouix (*De Episcopo*, tom. 1, p. 98), nondum definita quæstio erat tempore Bened. XIV. prout constat ex Bullâ *In postremo*. 20 octob. 1756, in quâ dicitur § 17 : « Cùm nemo prohibeat disceptare, num
» Episcopatus sit ordo à presbyteratu distinctus, an carac-
» ter in Episcopali consecratione impressus differat, vel
» potiùs sit ampliatio quædam caracteris in collatione
» presbyteratûs ordinis impressi. » Porrò à tempore Benedicti XIV usque hodiernum diem, nullum emanavit Sedis Apostolicæ Decretum, ex quo deduci valeat unam sententiam potius ac alteram omninò esse amplectendam. (Vide Bouix, loco citato.)

1732. Potestas autem ordinis æqualis est in omnibus caractere Episcopali insignitis, nec ipse Papa majorem cæteris habet. Ita omnes. (Bouix, *ib.*, p. 30.)

1733. Quoad materiam ordinis Episcopalis, pro certo dicendum videtur eam esse impositionem manuum. Nam ex Concil. Trid. (sess. 23, can. 4), frustra non dicitur ab Episcopo in sacrâ ordinatione : *Accipe Spiritum Sanctum*. Porrò hæc verba dicuntur Episcopo consecrando, dum illi manus à consecrante imponuntur, et ut forma haberi debent.

Probabile est etiam ad materiam Episcopatûs pertinere traditionem libri Evangeliorum cum iis verbis : *Accipe Evangelium*, etc. : quæ ideo tanquam forma partialis ha-

benda sunt. Deducitur præsertim ex Decreto ad Armenos. Vide Hallier in *Cursu completo theol.*, tom. 24, col. 751. Imò Theologia Tolosana, *De Ordine*, cap. 4, art. 2, putat ad materiam Ordinis Episcopalis pertinere unctionem chrismatis in capite, traditionem baculi pastoralis et annuli; nonnisi, inquit, post unctionem chrismatis, Episcopus electus vocatur consecratus; sed parùm videtur probare hæc ratio.

1734. Quærit. 2° Quisnam sit Ordinis Episcopalis minister? Et quo die conferri debeat?

Resp. 1° « Episcopus non potest validè ordinari nisi ab » alio Episcopo, ex Apost. ad Hæbr., c. 7: *Major à minore* » *non benedicitur.* Ita communiter... Ad talem autem » ordinationem plura concurrunt, nempe impositio libri » Evangeliorum super scapulas ordinandi, unctio coronæ » ordinati et impositio manuum trium Episcoporum. Item » traditio baculi et annuli... » S. Liguor. lib. 6, n° 755. De antiquitate illarum cæremoniarum, vide Ferraris (v° *Episcopatus*, n° 6); *Hist. des sacrements*, in *Cursu completo theol.*, tom. 20, col. 847, etc.

2° Ordo Episcopalis conferri debet die Dominicâ, Natalitiis Apostolorum et aliis Festis de præcepto. Ita *Pontificale.*

1735. Quærit. 3° An ad valorem ordinationis Episcopalis exigatur semper trium Episcoporum assistentia?

Resp. 1° Certum esse hanc requiri ex necessitate præcepti, ex Nicolao 1, cap. 4, et Conc. Carthag. 2, cap. 7.

2° Certum videtur in casu necessitatis validè fieri consecrationem ab uno, ex commissione S. Pontificis. Ita Croix; Salmant. cum aliis ferè communiter, contra Pal. et Aversa; sic egisse Apostolos cùm Episcopos ordinabant communiter docetur. Sic nuper anno 1831, Avenione consecrati fuêre DD. d'Humières Archiepiscopus Avenionensis et DD. Rey Episcopus Divionensis.

1736. Extra casum necessitatis et sine commissione Papæ, res est dubia : alii dicunt tres omnino requiri Episcopos, et probant ex Epistolâ 4 Papæ Damasi, ubi dicitur: « Quòd enim Episcopi non sint, qui minus quàm à tribus

» sint ordinati Episcopis omnibus patet. » Alii tamen negant quia in *Pontificali* unus tantùm Episcoporum dicitur *Consecrator*, alii verò *Assistentes;* et insuper allegant Can. 1, Apostol., ubi dicitur: «Si aliquis ab uno Episcopo ordinatus » fuerit, is qui ordinatus est deponatur. » Si deponendus est, ergo est verè ordinatus. « Utraque sententia est proba» bilis, » inquit S. Liguor. (lib. 6, nº 755); unde in praxi omninò prima est sequenda.

Juxta D. Bouix, *De Episcopo*, p. 243, certum est hodie validam esse, etsi illicitam, consecrationem Episcopalem ab uno tantùm Episcopo peractam.

1737. Quærit. 4° An possit consecrari Episcopus is qui nondum est presbyter?

Resp. Sat communiter haberi ut certum, saltem in praxi, neminem esse habendum tanquam Episcopum, nisi post receptam ordinationem sacerdotalem. Vide S. Liguor., lib. 6, nº 738. Imò D. Bouix (*De Episcopo*, tom. 1, p. 89) dixit quòd: « *Id dogma catholicum est*, *extra omnem con-» troversiam apud orthodoxos positum.* Hinc... (ait) Diaco» nus electus in Episcopum... nunquam pro vero Episcopo » habitus est, nisi post receptam sacerdotalem ordinatio» nem; » hoc tamen controvertitur juxta eumdem D. Bouix (*ib.*, p. 246 et 247), qui citat Bened. XIV (Constit. *In postremo*, 20 octob. 1756, § 10 et 17) et alios.

Juxta sententiam communem, « ad essentiam Episco» patûs pertinet *plenitudo sacerdotii*... Sacerdotii vocabu» lum exprimit genus Episcopis simul ac presbyteris com» mune... Nec objiciatur controverti inter doctores catho» licos utrum Episcopatus sit, necne, ordo distinctus, et » sacramentum distinctum à presbyteratu diversum: ad» mittendum saltem est per episcopalem consecrationem » *extendi et compleri* presbyteralem ordinem; ita ut non » possit quis Episcopus fieri, nisi ejusmodi *extensionem* et » complementum recipiendo. » Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 89.

1738. Quærit. 5° Quænam pertineant ad Ordinem Episcopalem?

Respondet Devoti: « Ordinis potestatem... Episcopus

» semel acceptam nunquam amittit, eamque alteri delegare non potest, ut rectè delegat potestatem jurisdictionis (Cap. 9. *de consecr. eccles.*). Ab eâ manat regum, sacrarum virginum (Can. 24, dist. 23, can. 1, § *Ad Episcopum*, dist. 23), altarium, ecclesiæ consecratio, ejusque post pollutionem expiatio (Cap. 9, *de consecr. eccles.*, cap. unicum, *eod.* in 6°), Abbatum benedictio, collatio ordinum et sacramenti confirmationis (Concil. Trid., sess. 23, cap. 4), confectio chrismatis et olei infirmorum (Can. *Perlectis*, dist. 23). » (Devoti, lib. 1. sect. 1, § 13, etc.)

1739. Quærit. 6° An peccent et Episcopatu eo ipso indigni sint qui illum ambiunt?

Respondet S. Thomas (2, 2, q. 185, art. 1): « Appetere.... Episcopatum ratione... circumstantium bonorum... est illicitum, et pertinet ad cupiditatem vel ambitionem...; quantùm autem.... ad celsitudinem gradûs, appetere Episcopatum est præsumptuosum... Sed appetere proximis prodesse, est secundùm se laudabile et virtuosum. Verùm quia, prout est Episcopalis actus, habet annexam gradûs celsitudinem, præsumptuosum videtur quòd aliquis præesse appetat ad hoc quòd subditis prosit, nisi manifestâ necessitate imminente... » Vide in eodem sensu Bened. XIV, Bulla *Inclytum*, 12 apr. 1753; S. Liguor., lib. 6, n° 804; Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 313, etc.

Objiciuntur verba Apostoli (1 ad Timoth., cap. 3, v. 1): « Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat. » — Respond. In se quidem Episcopatus est aliquid bonum et excellens, quippe per eum multùm prodesse quis potest proximo: sed est *opus* et quidem periculosum: unde Apostolus versiculo sequenti addit: « *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse*, etc. » Proinde, etsi in iis circumstantiis in quibus, prout tempore Apostolorum, plus periculi quàm honoris erat ambire Episcopatum, laudabile esse poterat illum appetere, quia non propter honores vel temporalia bona sed in se appetebatur; tamen hodie esset ordinariè illicitum appetere, quia non in se propter zelum animarum

appeteretur, sed propter cupiditatem et ambitionem. Vide S. Thomam, *ibid.*, respond. ad 1um.

1740. Ex his concludit D. Bouix (*ibid.*, p. 314) : « Qui » Episcopatum ita appetit, ut eum sibi postulet, is à pec- » cato mortali excusandus non videtur: *si verò aliquis pro* » *se rogat*, ait S. Thomas, ex ipsâ præsumptione redditur » indignus. » (*Ibid.*, ad 3.) — Consonat S. Bernard... Vide apud Bouix (*ibid.*).

Series Episcopatuum universi orbis legi potest apud Ferraris, v° *Episcopatus*, nis 12-130, et etiam in calce operis istius.

CAPUT II.

DE REQUISITIS AD RECEPTIONEM VEL EXERCITIUM ORDINUM.

1741. Conditiones ad receptionem vel exercitium ordinum requisitæ aliæ sunt *negativæ*, aliæ *positivæ :*

Negativæ sunt exemptiones ab iis quæ receptionem vel exercitium ordinum impedirent, prout immunitas à peccato mortali, vel à censuris aut irregularitatibus aut aliis incapacitatibus.

Positivæ verò sunt eæ quæ requiruntur ad dignam receptionem vel dignum exercitium ordinum.

ART. I.

DE CONDITIONIBUS NEGATIVIS.

1742.— 1° Circa immunitatem à peccato mortali, « com- » muniter tenent theologi, inquit Lequeux (n° 533), eum » peccare mortaliter qui cum peccati mortalis conscientiâ, » ad ordines accedit. Vide supra (1688). Idque plures vi- » dentur ad tonsuram extendere, quia licet probabiliùs sit » eam esse cæremoniam ab Ecclesiâ institutam, est tamen » solemnis professio vitæ Deo mancipatæ, fitque per talem » receptionem injuria ordini clericali. Ita Hallier, Habert.

» Collet, *de Ordine*. Negat Billuart, *de Ordine*, dissert. 3, » art. 3. »

2° De censuris dicturi sumus in tertio libro, *de Judiciis*. Superest ergo ut hic tantùm tractatum de irregularitatibus instituamus. Expendemus : 1° Quid et quotuplex sit irregularitas et quinam sint illius effectus ; 2° Quomodo incurratur et tollatur irregularitas ? 3° Quænam sint irregularitates ex delicto ; 4° Quænam sint irregularitates ex defectu.

§ I.

Quid et quotuplex sit Irregularitas et quinam sint illius effectus.

1743. Sat communiter definitur *Irregularitas : Impedimentum canonicum susceptionem ordinum et susceptorum usum impediens.*

1° Dicitur *impedimentum* non pœna, quia irregularitates, etsi privent à receptione vel exercitio ordinum, non tamen privant præcisè ob culpam, cùm sint plures irregularitates quæ à delicto non proveniunt, ut puta pleræque irregularitates ex defectu, sed privant propter indecentiam quæ inesset receptioni vel exercitio ordinum cum talibus defectibus.

1744. — 2° *Canonicum*, id est canonibus seu decretis Ecclesiæ introductum : Irregularitas enim non incurritur nisi in casibus *jure ecclesiastico* expressis, non verò ultra nec in dubio. (Cap. *Is qui* 18, *de sent. excomm.*, in 6°.)

Nomine autem juris veniunt hic tantùm Decreta S. Pontificis vel Concilii à Papâ approbati, non autem aliorum, nec venit consuetudo. Undè non datur irregularitas Ecclesiæ nationali vel Provinciali propria.

Hinc infertur non valere in hâc materiâ argumenta à pari, nec à majori ad minus. Ita communiter. Si tamen dubitetur an irregularitas sit expressa in jure, admittenda est semper ac communis sensus DD. et consuetudo eam firmârint, quia illi sunt optimi legis interpretes. (S. Liguor., lib. 7, n° 345.)

3° *Susceptionem ordinum :* quod communiter intelligitur etiam de tonsurâ. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 342.

Et 4° *susceptorum usum impediens.* Non tamen irregularitates, solâ auctoritate Ecclesiæ institutæ, impediunt receptionem vel exercitium ordinum quoad validitatem, sed quoad liceitatem duntaxat : unde sacerdos irregularis, etsi illicitè, validè tamen absolvit, missam celebrat, et cætera sacramenta administrat. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 342.

1745. His posterioribus verbis : *susceptionem*, etc., *impediens*, irregularitas distinguitur præsertim à censuris, quæ sunt pœnæ medicinales et impediunt quidem exercitium functionum ecclesiasticarum, sed non directè per se et semper impediunt susceptionem ordinum ; unde Innoc. III interrogatus quid intelligeretur nomine censuræ, respondit quòd « per eam, non solùm interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valeat intelligi ; » nihil docendo de irregularitate, quæ proinde dici non potest censura, et reverà non est pœna propriè dicta. Quidam tamen irregularitatem inter censuras recensent, ut videre est ap. S. Liguor. (lib. 7, n° 342) ; sed immeritò juxta communiorem et probabiliorem sententiam. Vide *ibidem.*

1746. Quærit. 1° An inter irregularitates recenseri possint ea quæ jure divino impediunt receptionem vel exercitium ordinum, prout defectus baptismi, sexus femineus, peccatum, etc. ?

Resp. Generatim dici posse quòd ea, quæ jure divino impediunt receptionem vel exercitium ordinum, non sint propriè irregularitates, cùm talia non sint *impedimenta canonica sed divina ;* cùm tamen ea possint esse etiam impedimenta *canonica*, si nempe Ecclesia specialiter prohibeat recipere vel exercere ordines cum hujusmodi impedimentis juris divini, non videtur cur in eo casu non vocarentur irregularitates. Et reverà inter irregularitates computantur amentia et defectus scientiæ, quæ etiam jure divino impediunt receptionem vel exercitium ordinum. Vide S. Liguor. (lib. 7, n^{is} 397-400). — Attamen quoad defectum baptismi, videtur quòd iste non benè diceretur irregularitas, quia *impedimentum canonicum* non debet

attingere eos qui extra Ecclesiam sunt, quippe in eos Ecclesia nondum habet jurisdictionem; sexus muliebris est potiùs incapacitas jure divino stabilita quàm impedimentum ab Ecclesiâ institutum; peccatum verò non semper valet prohiberi ab Ecclesiâ quæ de merè internis non potest propriè judicare et leges edicere; proinde peccatum non potest esse semper impedimentum *canonicum*, nec consequenter semper irregularitas. Ergo, etc. Vide Collet (*Curs. compl.*, t. 17, col. 195).

1747. Quærit. 2° Quotuplex sit irregularitas?

Resp. Irregularitates dividi : 1° A quibusdam in eas quæ sunt *juris divini* et eas quæ sunt *juris ecclesiastici*. Licet ea divisio sat communiter rejiciatur, videtur tamen posse admitti in sensu responsionis ad præcedentem quæstionem.

2° In *perpetuas* et *temporales*. Perpetuæ eæ sunt quæ solâ dispensatione tolli possunt : uti, v. g., irregularitas ex homicidio proveniens; temporales sunt quæ etiam solo temporis lapsu cessare possunt, ut defectus ætatis.

1748.—3° *In totales et partiales*. Totales sunt quæ absolutè et totaliter excludunt ab omni ordine, ordinisque usu et beneficio; partiales verò quæ aliquos tantùm ex hujusmodi effectibus producunt. Sic, v. g. ex cap. 11, *de filiis presbyt.*, filius etiam legitimus inhabilis est seu irregularis ad immediatè possidendum beneficium à patre dimissum.

Irregularitates autem quas incurrunt laici habentur semper ut totales; iis tamen exceptis quæ oriuntur ex defectu ætatis vel scientiæ.

Irregularitates verò quas incurrunt clerici habendæ sunt quidem semper ut totales respectu promotionis ad ordines, non autem semper ut tales sunt habendæ relativè ad functiones ordinis jam suscepti, ut patet ex cap. 12, *de homicidio*. Vide Collet, *Curs. complet.*, tom. 17, col. 196.

1749. —4° In irregularitates *ex defectu* et irregularitates *ex delicto*. Istæ incurruntur propter indecentiam propriâ culpâ contractam; illæ oriuntur ex indecentiâ quæ licet inculpabilis sit, vel repugnat spiritui Ecclesiæ, vel ejus ministrum in contemptum adducere potest. Vide Collet, *ib.*, col. 197.

1750. Quærit. 3° Quinam sint effectus irregularitatum?

Resp. 1° Ex definitione, patet irregularitatem inhabilitare ad ordines recipiendos et impedire legitimum usum susceptorum; unde « graviter peccat, qui in irregularitate » exercet actum ordinis, aut (eos) suscipit... Et sic etiam » peccat graviter irregularis suscipiens primam tonsuram, » sicut Episcopus qui eam illi confert... notandum quòd » irregularitas nullo modo privet iis actionibus quæ non » requirunt exercitium ordinis, et quas etiam laici exercere » possunt : ut recipere sacramenta et officia canere, sicut » et conferre beneficia, quia hæc spectant ad exercitium » jurisdictionis non ordinis; item matrimonio assistere, vel » licentiam assistendi alteri præbere, dispensare in votis, » absolvere à censuris, dare facultatem audiendi confes» siones... » Ita S. Liguor., lib. 7, n° 342; et Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 50 et 51.

Quoad usum susceptorum ordinum, irregulares prohibentur tantùm obire functiones ordinum *sacrorum*, cùm hodie etiam à laicis minorum ordinum functiones exerceantur.

1751. Nota autem quòd irregularis, etsi graviter peccet sacrorum ordinum munia agendo, nullam tamen propterea censuram vel aliam irregularitatem incurrit.

Olim, qui ante legitimam ætatem, proinde dum essent irregulares, sacrum ordinem recipiebant, incurrebant suspensionem Papæ reservatam, a Pio II per Const. *Cum ex sacr.* illatam; et tunc locus erat quæstioni utrum sic ordinati, cantando *Epistolam*, aut *Evangelium*, aut consecrando una cum Episcopo in missa Ordinationis, aliam incurrerent irregularitatem; et *communius et probabilius,* juxta S. Liguor. (l. 6, 799, *Dub.* 3), negabatur : eo quod non videbatur æquum quod, una actione morali, duplex incurreretur pœna. Sed hodie tali quæstioni non amplius est locus, quippe sublata fuit dicta suspensio per Const. *Apostol. Sedis* Pii IX, anno 1870, quæ de ea omnino silet. Attamen eadem quæstio redire potest occasione 6ᵃ et 7ᵃ suspensionum a Papa servatarum.

Secus esset dicendum de eo qui, jam ante ordinationem innodatus aliquâ censurâ, exerceret in ipsâ ordinationis

missâ, functiones ordinis sacri quem recepit, canendo Epistolam, Evangelium, consecrando, etc.; hic certè fieret irregularis per tale exercitium ordinum susceptorum, quia, uti videbitur infrà, irregularis fit qui aliquâ ligatus censurâ functiones alicujus sacri ordinis exercet. (S. Liguor., *ibid.*).

1752. Notandum est autem quòd dicta à S. Liguor. (lib. 7, nº 170) de excommunicato, etiam irregulari applicanda videantur : « Excommunicatus vitandus, inquit, etiam » licitè sacramenta ministrat quando aliàs grave incom» modum, puta jacturam famæ vel bonorum timeret : » quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum incommodo » gravi. »

1753. — 2º Alter effectus irregularitatum est inhabilitare ad beneficia et officia, ad quorum functiones inhabilis est irregularis : sic habet Conc. Trid. (sess. 14, c. 7, *de ref.*) de homicidio voluntario : « Qui suâ voluntate homicidium perpetraverit... omni ordine, ac beneficio et *officio* ecclesiastico perpetuò careat. »

1754. Circa hunc secundum effectum, quæritur an irregularis ipso facto beneficiis ante irregularitatem obtentis privetur ?

Resp. Vel irregularitas provenit ex infirmitate sinè culpâ, vel ex delicto.

In primo casu, non solùm irregularis sua beneficia non amittit ipso facto, sed nec iis privari debet à judice. (Cap. *Ex parte, de clerico ægrot.*)

In secundo casu, non privatur quidem ipso facto, ut constat ex cap. *Ex litteris, de Excess... Prælat.*, sed per judicem privari debet, et interim tenetur petere dispensationem; et si non petat, aut non possit obtinere, tenetur statim, nisi magnâ laboret necessitate, beneficia dimittere, aut saltem in favorem tertii resignare. Ita communiter. Non est tamen fructibus sui beneficii privandus, si munia ipsius per alium impleverit; imò, nisi crimen valdè fuerit grave, non est privandus pensionibus quas possidet. S. Liguor., lib. 6, nº 342, vº *Quær.*

1755. Sed quid de collatione beneficii factâ in gratiam

ejus qui jam est irregularis? Est-ne ipso jure invalida?

Resp. Si agatur de irregularitate partiali, et sit ex defectu, nempe si quis ob aliquem defectum corporalem nequeat fieri sacerdos, tunc communiter tenetur collationem huic factam, validam esse et licitam. Ita S. Liguor. (lib. 7, nº 343). Si verò sit ex delicto: si diaconus, v. g., *celebrationem missarum* usurpare præsumpserit (talis enim efficitur irregularis quoad sacerdotium, ex cap. *Ex litteris* 2, *de clerico non ordinato)*, dicitur *ibid.* quòd *cum hujusmodi de beneficio misericorditer potest dispensari, ne sustentatione privatus ad sæculi negotia revertatur*. Supponitur sanè, in istis casibus, irregularitatem non existere respectu ordinum quorum exercitium exigitur à beneficio collato.

1756. Si agatur de irregularitate totali, vel beneficium hujusmodi irregulari collatum est simplex obligans tantùm ad recitationem Horarum, aut ad aliud Officium quod à laicis vel clericis minoribus exerceri potest; et tunc collatio est valida, ut certum habent Salmant..., Suarez... et alii, ap. S. Liguor. (*ib.*). Si verò officium vel beneficium non sit simplex, aut si exigat exercitium ordinis sacri, controvertitur utrum sit valida hujusmodi collatio dicto irregulari facta. — *Prima* sententia quæ negat nititur pluribus juris canonici capitibus à S. Liguor. (*ib.*) indicatis, et præsertim Conc. Trident. (sess. 22, cap. 7, et cap. 4), ubi loquendo de præbendis Canonicorum dicitur: « Nec aliis in » posterum fiat provisio, nisi iis qui jam ætatem et cæteras » habilitates integrè habere dignoscuntur; *aliter irrita* » *erit provisio.* » Et ratio est, inquit S. Liguor. (*ib.*), « quia » beneficium datur propter officium; undè qui inhabilis » est ad officium cùm non possit ordinem exercere, est » etiam inhabilis ad beneficium. »

In hâc tamen sententiâ, quando non denuntiatur irregularitas, error communis cum titulo colorato præbet jurisdictionem, ut supra diximus (294).

1757. *Secunda* sententia dicit hujusmodi collationem esse solùm irritandam, quia non sunt imponendæ pœnæ nisi sint à jure expressæ: nullibi autem in lege habetur expressum quòd irregularitas hominem reddat incapacem beneficii.

Canones enim ab adversariis allegati nihil aliud probant, nisi quòd talis collatio sit illicita, non verò quòd sit invalida. Nec etiam dicunt obstare textum modò allatum Conc. Trid., ubi dicitur *irrita* provisio beneficii personæ inhabili facta : quia dicitur irrita pro illicitâ, et persona dicitur inhabilis seu indigna, non verò incapax.

1758. Sic autem concludit S. Liguor. (*ibid.*) : « Prima » sententia videtur probabilior (quia) communior sententia » DD. sic legem (Tridentin.) interpretatur[1]... Sed hoc non » obstante, secunda sententia videtur satis probabilis. Hìc » tamen advertendum quòd, adhuc stante probabilitate » hujus sententiæ, nequit irregularis se immittere in » possessionem beneficii ; quia... nemo cum opinione pro» babili potest inchoare possessionem rei alienæ. »

§ II.

Quomodo incurratur et tollatur Irregularitas.

1759. Jam diximus supra (1744) nunquam incurri irregularitatem nisi in lege expressè habeatur. Undè « si jura non » supponant *ipso facto* effectum induci, sed requirunt ut » pœna à judice infligatur, certum est non esse sermonem » de irregularitate. » (Lequeux, n° 474.)

Si quod statuunt esse impedimentum ad ordines suscipiendos vel exercendos peccato vacat, non potest esse censura, sed est irregularitas *ex defectu.*

Hæc verba : *ad ministrandum non accedat : ab altaris ministerio abstineat;* vel *in sacris ordinibus non debet ministrare*, non judicantur inducere irregularitatem : quia suspensioni æquè conveniunt. Econtra sequentes formulæ, *nunquam ordinetur; non est ordinandus; in clerum nullatenus admittatur*, et similes certò exprimunt irregularitatem. (Lequeux, *ibid.*)

1760. Sed quærit. 1° An qui dubitat, debeat tanquam irregularem se gerere?

Resp. 1° Si dubitet propter scrupulos ex levibus rationi-

[1] De eâ tamen sententiâ, Stremler (*Des peines ecclésiast.*) dicit : « Cette opinion a peu de probabilité. » Vide p. 50.

bus, vel si ejus dubium sit negativum seu suspensivum nullas habens rationes pro aut contra, tale dubium nihili est faciendum. Ita S. Liguor., lib. 7, n° 346.

2° Si dubium sit positivum: ante diligentiam ad veritatem inquirendam, quisque debet se gerere ut irregularem, prout docent Sanchez et alii (S. Lig., *ibid.*), nisi gravis necessitas urgeat, v. g. si occasio occurrat recipiendi Ordines aut beneficium. Post verò diligentiam, si dubium remaneat: vel dubium est juris, si nempe dubitetur an irregularitas exprimatur, necne, in lege, et tunc dubitans potest se habere ut non irregularem, quia lex dubia non obligat. Ita communiter (S. Liguor., *ibid.*); vel dubium est facti, an videlicet patraverit crimen irregularitatem inducens; et tunc iterum distinguendum est: aut enim quæstio est de criminibus præter homicidium, aut de homicidio agitur:

1761. Si priùs, quidquid dixerint Concina, Tourn., Habert, etc., sententia communis et verior, juxta S. Liguor. (lib. 7, n° 347), tenet talem dubitantem non debere in illis casibus tanquam irregularem se reputare: quia *odia sunt restringenda* ex regulâ *Favorabiliores* 125, ff., et ex cap. *Cùm sunt*, eod. tit., in 6°. Vide alias rationes apud S. Liguor. (*ibid.*).

1762. Si posteriùs, nempe si quis dubitet an patraverit homicidium, tunc adsunt tres sententiæ: « Sed veriùs, » inquit S. Liguor., tenendum cum communi, hunc in utroque foro (externo scilicet et interno) judicandum esse » irregularem; » et probatur ex cap. *Significasti*, cap. *Ad audientiam*, et cap. penultimo *de Homicidio*, ubi data ratio, quòd pars tutior est eligenda, de utroque foro intelligenda est.

1763. « Sed hîc notandum est: 1° Quòd hoc procedat casu » quo aliquis certus est de homicidio...; et solùm dubitat » an ipse suâ actione fuerit causa illius; secus si dubitet de » ipso homicidio... Unde... si medicus aperuit venam prægnanti ut abortus sequeretur, sed postea non constet de » abortu secuto, non est censendus irregularis. » (Sic etiam non habendus est irregularis, si dubitetur an fœtus fuerit, necne, animatus: in capite enim 2, *de Homicidio*, sic

Innocentius III ait : « Si nondum erat vivificatus concep- » tus, ministrare poterit : alioquin debet altaris officio » abstinere » : porrò in praxi proles feminea non habetur animata, nisi octogesimo die; masculina verò, quadragesimo... Ita observat Pœnitentiaria, juxta S. Liguor., *ib.*, et lib. 3, n° 394, q. 3; et Lequeux, n° 1381; « secus » verò dicendum, si media adhibita ad abortum fuerint » adeo efficacia ut ex eis communiter sequatur effectus, » quia tunc præsumptio fit ex communiter contingen- » tibus.

1764. » Notandum 2° Quòd in prædictis textibus sanci- » tum sit dubitantem de homicidio judicandum esse irre- » gularem quoad duos duntaxat effectus, scilicet *abstinendi* » *à celebratione*, *et quærendi dispensationem.* » (Vide etiam Stremler, *Des peines ecclésiast.*, p. 48.)

« Ex quo infertur 1° : Hanc sanctionem valere tantùm » pro clericis, non autem pro laicis... 2°... Non (valere) ad » alios (effectus), nempe privationem beneficiorum, etc... » 3° Dubitantem de mutilatione non esse habendum ut » irregularem... » S. Liguor., lib. 7, n° 347.

1765. Quærit. 2° Quale debeat esse peccatum quando irregularitas venit ex delicto?

Resp. Debet esse *mortale, externum et consummatum.*

1° *Mortale :* Constat ex cap. 5, *de Pœnis*, in 6°, in quo dicitur *pœnam esse metiendam ex culpâ.* Undè quod excusat à mortali, excusat etiam ab irregularitate. Ita communiter.

2° *Externum* : Quia Ecclesia non fert leges nisi de iis de quibus potest judicare. (Cap. *Consuluit* 2, q. 3.)

3° *Consummatum :* Quia odiosa sunt strictè intelligenda. Ita communiter (S. Liguor., lib. 7, n° 358).

1766. An verò sufficiat peccatum esse externum, ita ut irregularitatem causet delictum prorsus occultum et à solo delinquente cognitum, disputatur. *Prima* sententia universè negat, quia, inquiunt ipsius patroni, jus non loquitur de irregularitatibus ex delicto occulto. *Secunda* etiam negat, sed excipit homicidium. *Tertia* tandem, quam S. Liguor. *veriorem* vocat, universè affirmat et peremptoriè videtur probari ex cap. 6, sess. 24 Conc. Trident., ubi

datur Episcopis facultas dispensandi super irregularitatibus *ex delicto occulto* provenientibus : et sic convellitur ratio ab adversariis allegata.

1767. Quærit. 3° An ad incurrendam irregularitatem *ex delicto* requiratur scientia legis ecclesiasticæ peccatum vetantis, et pariter scientia irregularitatis prohibitioni annexæ? — Certum est quòd ad incurrendam irregularitatem *ex defectu*, minimè requiritur scientia legis aut irregularitatis.

Resp. 1° Quoad *scientiam legis ecclesiasticæ*, duplex est sententia : *Prima* negat : quia qui vult peccatum, implicitè vult pœnam quæ huic inuritur. *Secunda* sententia affirmat, et vocatur à S. Liguor. *communissima et probabilior :* probatur ex cap. *Proposuisti*, dist. 82, ubi Innocent. I declarat deponendos non esse quosdam clericos incontinentes, prout statutum fuerat à Papâ Siricio, eò quòd illius Pontificis dispositionem ignoraverint. Ergo etc.

1768. Circa tamen homicidium, etsi S. Liguor. non audeat reprobare hanc secundam sententiam, ipse tamen putat primam esse tenendam, ob indecentiam quæ reperiretur in eo quòd talis homicida altare conscenderet; undè Concil. Trident. (sess. 14, c. 7) dicit talem ab altari debere avelli. — (S. Liguor., lib. 7, 350.)

1769. — 2° Quoad *scientiam irregularitatis*, duplex etiam est sententia : *Prima* negat hanc scientiam esse requisitam ad incurrendam irregularitatem; quia irregularitas, aut non est pœna, aut saltem non est pœna medicinalis, prout sunt censuræ; porrò ut pœnæ præter medicinales incurrantur, non requiritur earum cognitio. Ergo, etc. Hæc prima sententia vocatur à S. Liguor., *valde probabilior (ib.*, n° 351).

Secunda sententia, quam idem Sanctus *satis probabilem* nuncupat, affirmat notitiam irregularitatis requiri ad illam incurrendam ; quia licet non requiratur scientia pœnæ, ut ipsa incurratur quando est ordinaria et talis, ut ex naturâ ipsius criminis aliquo modo prævideri possit, tamen illa scientia requiritur, quando pœna est extraordinaria et talis ut nec in confuso prævideri potuerit; et hujusmodi utique est pœna irregularitatis. Ergo, etc.

1770. Quærit. 4• Quotuplici modo tollantur irregularitates? Resp. Eas tolli posse quatuor modis : 1° *Per cessationem causæ* : si, v. g., irregularitas proveniat ex defectu ætatis, scientiæ, bonæ famæ; circa irregularitatem ex defectu bonæ famæ, notandum quòd si infamia sit *popularis*, tollitur per emendationem aut mutationem loci; si verò sit juris, seu contracta per sententiam judicis, tunc ad eam tollendam omnino requiritur dispensatio.

1771. — 2° *Per Baptismum*, si irregularitas sit ex delicto, etsi delictum esset homicidium; secus si irregularitas sit ex defectu, v. g., si proveniat ex bigamiâ; attamen irregularitas ex defectu famæ tollitur quoque per Baptismum si sit facti, modò emendatio, ordinariè saltem, per triennium perseveret. Si verò sit juris, non tollitur nisi per dispensationem, quamvis Bonacina teneat hanc etiam tolli per Baptismum, et Salmant. id non improbabile habeant. — (S. Liguor., lib. 7, n° 364.)

1772. — 3° *Per professionem religiosam in Religione approbatâ, tollitur irregularitas ex defectu natalium.*

Circa istam irregularitatem ex defectu natalium, notandum est quòd per professionem religiosam illa irregularitas tollitur quoad ordines tantùm, non quoad Prælaturas (Cap. 1, *de fil. presbyt.*); cum illegitimis à Prælatis posse dispensari quoad prælaturas, plures auctores à S. Liguor. relati (*ibid*, n° 354) affirmant; sed hoc tantùm in Capitulo Generali vel Provinciali. Notant autem (*ibid.*) Bonacina et Tourn., quòd dispensatio ad Dignitates non est intelligenda de Episcopatu.

1773. — 4° *Per dispensationem*, non verò per absolutionem. Dispensatio autem hâc vel simili formâ dari potest : *Dispenso tecum in irregularitate quam.. ob hanc vel illas causas, incurristi.*

Si quis plures irregularitates ejusdem speciei contraxerit, sufficit, si dicat pluries in illas incidisse; imò à non paucis docetur apud S. Liguor. (*ib.*, n° 353), sufficere si dicat tantummodo se irregularem esse. Secus tamen sentit Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 58). Vide insuper quid dixerimus supra (489).

1774. Illa dispensatio dari potest 1° à Papâ, etiam sinè causâ, saltem validè quamvis illicitè.

2° Cum causâ ab Episcopo dari potest dispensatio super irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, modò delictum non sit deductum ad forum contentiosum.

1775. Si delictum esset publicum, sed populus ignoraret indè nasci irregularitatem, putat Collet posse tunc Episcopum dispensare; id econtra fieri non posse ab Episcopo, probabiliùs habet Lequeux, ex Bened. XIV; quia Conc. Trident. non loquitur de irregularitatibus occultis, sed de irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, et quia error juris præsumi non debet. (Vide Lequeux, n° 525, *dicitur* 2°.)

Ad hanc quæstionem referri potest decisio S. Cong. Conc. à Fagnano relata, et quæ legi potest apud Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 57. Interrogata enim S. Congr.: « An vigore » cap. 6, sess. 24 (*de reform.*), possit Episcopus absolvere » ab irregularitate proveniente à delicto quod, licet publi- » cum sit in se, tamen tanquam causa irregularitatis occul- » tum censeri potest; quia licet actus publicus sit delictum, » publicè tamen nescitur esse delictum. Die 9 sept. 1582, » Sacr. Congregatio censuit quando delictum ex quo pro- » venit irregularitas, est publicum, quamvis actus ille, quo » interveniente, irregularitas incurritur, occultus sit, *Epis- » copum dispensare non posse*, veluti si sacerdos publicè » excommunicatus vel notoriè simoniacus, occultè missam » celebraverit; quod si delictum occultum est, ut puta ex- » communicatio vel fornicatio, actus verò missam cele- » brandi ex quo irregularitas incurritur publicus, posse » nihilominus Episcopum ab omni irregularitate absolvere » ex dicto capite sexto. »

1776. Non autem potest dispensatio dari ab Episcopo si irregularitas proveniat ex homicidio directè et in se volito, etsi occulto. — (Concil. Trid., sess. 24, c. 6.)

In quibus casibus Episcopus potest aliis dispensationem concedere, etiam secum dispensare valet, alium ad hoc delegando. Vide Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 58.

Dispensare potest Episcopus super defectu natalium quoad

receptionem ordinum minorum duntaxat. Idem valent Capitulum et Vicarius Capitularis, Sede vacante. (Stremler, *ib.*, p. 51.) — Sed Vicarius Generalis indiget speciali ad hoc delegatione. (*Ibid.*)

Solus autem Papa et qui ab eo accipit hoc privilegium, potest dispensare super aliis irregularitatibus ex defectu.

1777. Quærit. An Episcopus possit dispensare in irregularitatibus (et suspensionibus) occultis cum suo subdito in alienâ diœcesi exstante?

Resp. Nonnullos negare, quia Concil. Trident. facultatem super talibus dispensandi tribuit tantùm *in suâ diœcesi*.

Sententiam affirmantem communiorem et probabiliorem vocat S. Liguorius, quia dispensatio potest absenti concedi; nec obstat quòd in Concilio dicatur *in diœcesi suâ*, quia satis verificatur illa conditio cùm Episcopus, vel subditus existit in propriâ diœcesi. Et præterea dici potest cum Suarez, Sanchez, etc., illa verba referri tantùm ad secundam partem, ubi agitur de absolutione casuum reservatorum; et juxta hanc interpretationem Episcopus, existens extra suam diœcesim, posset dispensare super irregularitatibus et suspensionibus cum subdito pariter extra diœcesim exstante. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 81, et *De Privileg.*, n° 32.

1778. An autem peregrini dispensari valeant super irregularitatibus per Ordinarios locorum in quibus reperiuntur: declaratum fuit à Gregor. XIII non posse eos sic dispensari, etiamsi Prætores vel medici ibidem exercerent. Ita Fagnan., apud S. Liguor., *De Privilegiis*, n° 32.

Si tamen alicubi essent cum animo manendi per majorem anni partem, juxta plurium sententiam, cum iis tunc posset ab Ordinariis dispensari super irregularitatibus, votis et aliis. Vide S. Liguor., lib. 1, n° 158, in fine.

1779. — 3° Prælati regulares, ex privilegio ipsis à S. Pontificibus concesso, non autem ex vi cap. 6 *Liceat*, Concil. Trident., possunt dispensare cum suis subditis in omni irregularitate *occultâ*, in quâ possunt Episcopi cum suis diœcesanis, et insuper in irregularitate *occultâ* proveniente ex homicidio etiam voluntario, et ex bigamiâ, et in pluribus

aliis irregularitatibus *ex defectu* à S. Liguor. enumeratis (Vide *De Privil.*, n° 105). Sed id possunt tantùm quoad Ordines, non verò quoad Prælaturas.

Hoc quidem, respectu *ad subditos;* quoad verò sæculares, confessarii regulares, ex privilegio Sixti IV, à Julio II, § 2 confirmato, possunt absolvere *ab omnibus excommunicationibus, suspensionibus et interdictis*[1]*; et* (*dispensare*) *super quâcumque irregularitate ordinariâ, tam à jure quàm ab homine reservatis, toties quoties opus fuerit, ac vota quæcumque permutare sicut potest Diœcesanus.* Undè super irregularitatibus dispensare possunt, prout Episcopi (S. Liguor., lib. 7, n° 355).—Circa cessationem irregularitatum, vide Concil. Remense anni 1859, p. 74, etc.

1780. Jam diximus supra (1649) quid sit *occultum ;* juxta S. Congr. Concilii, *occultum* censeri non deberet quod probari posset per duos aut tres testes : undè, ait Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 52-59), Episcopus non potest dispensare circa irregularitates provenientes ex delicto quod potest probari coram Judice ecclesiastico. Attamen auctores communiter dicunt, apud S. Liguor. (lib. 6, 593), quòd *occultum* id sit quod non est notorium, et aliquâ tergiversatione potest celari, etsi per aliquos testes posset probari; crimen verò publicum, quando scitur à majore parte oppidi, viciniæ vel collegii, modò saltem ibi sint decem personæ.

1781. Ita strictè, juxta Stremler (*ibid.*, p. 58), interpretanda est dispensatio super irregularitatibus, ut qui est dispensatus pro diaconatu, non sit dispensatus pro sacerdotio. Imò dispensatus pro ordinibus in genere, sit duntaxat dispensatus pro minoribus ordinibus, nisi jam iis fuisset initiatus; et qui est dispensatus pro sacris ordinibus, non sit censendus dispensatus pro Prælaturis; et qui pro beneficiis simplicibus, non sit dispensatus pro beneficiis ad curam animarum obligantibus, vel pro Canonicatibus aut Dignitatibus. Uno verbo, extendi non debet dicta dispensatio de casu in casum non comprehensum in verbis dispensationis. Vide cap. *Innotuit* 20, *de Electione*, etc., et Concil. Remense anni 1857, p. 70.

1. Privilegium quoad censuras fuit revocatum per Const. *Apostolicæ Sedis.*

§ III.

Quœnam sint irregularitates ex delicto.

1782. Sex recensentur irregularitates ex delicto : 1° iteratio baptismatis; 2° violatio censuræ; 3° exercitium ordinis sacri quem clericus non habet; 4° mala ordinum susceptio; 5° homicidium, vel mutilatio; 6° hæresis.

PUNCTUM I.

DE IRREGULARITATE PROVENIENTE EX ITERATIONE BAPTISMI AUT IPSIUS COLLATIONE FACTA AB HÆRETICO DECLARATO.

1783. — 1° Ob iteratum Baptismum seriò et scienter, fit irregularis tam rebaptizans quàm rebaptizatus.

Quòd rebaptizans sit irregularis, constat ex cap. *Ex litterarum* 2, *de Apostatis*, in quo agitur quidem tantùm de Acolytho *qui ministerium in respondendo exhibuit presbytero baptizanti et cooperator exstitit rei nefandæ*. Sed si à jure etiam clericus cooperator Baptismi iterati declaratur irregularis, à fortiori talis censendus est qui rebaptizavit. Sic saltem lex communiter est interpretata et praxi observatur.

1784. Quoad Baptizatum autem, constat ex cap. 65, dist. 50, ex Concil. Carthag. V, ubi dicitur : « Neque unquam permittendum ut rebaptizati ad clericatûs gradum promoveantur. »

Dictum fuit *seriò et scienter* quia alioquin non esset delictum rebaptizationis. Contrarium tamen dicit cap. *Qui bis* 117, *de consecr.*, cujus auctor fuit Theodorus Cantuariensis Episcopus; sed communiter non admittitur ipsius in hoc puncto auctoritas.

1785.— 2° Ob rebaptizationem occultam non solemnem probabiliùs non incurritur irregularitas. Ita Bonac. et multi alii, ap. S. Liguor. (lib. 7, n° 356); et deducitur ex cap. *Ex litterarum*, supra citato, ubi dicitur*: Si publicum est quod proponitur*. Secus tamen sentiunt Suarez et alii, præsertim si non agatur de acolytho ministrante, sed de ipso ministro rebaptizante.

1786.—3° Partialis est irregularitas quoad acolythum cui tantùm prohibetur *ad superiores ordines ascendere* (cap. *Ex litterarum*, etc.), non verò ministrare in susceptis ordinibus, et plures id extendunt etiam ad ministrum hujusmodi rebaptizationis. Vide S. Liguor. (*ib.*); et Billuart, *de Irregular.*, diss. 2, art. 4, § 2. —Sed hanc extensionem plures etiam rejiciunt. Vide Lequeux, n° 520, in notis; aut n° 1369, 3ª editio.

1787. Quærit. An sit irregularis qui rebaptizat aut sinit se rebaptizari sub conditione?

Resp. Vel post sufficiens examen prudenter dubitatur de validitate prioris Baptismi, et tunc licitè potest baptismus reiterari, sub hâc formâ : *Si baptizatus es, non te baptizo: si baptizatus non es, ego te baptizo*, etc. Proindè in hoc casu non incurritur irregularitas.

Si verò post sufficiens examen non supersit dubium circa validitatem prioris baptismi, certè sacrilegium committit rebaptizans aut sinens se rebaptizari etiam sub conditione. Imò non tantùm sacrilegium ipsi committunt, sed ii et qui, *nullâ præmissâ veritatis indagatione, ob solum apprehensum prioris Baptismi vitium, illud denuò etiam sub conditione conferunt*, quibus certò sciunt jam semel anteà fuisse collatum, ab irregularitate non eximuntur, juxta Bened. XIV (*De Synod.*, lib. 7, cap. 6, n° 3), qui pro hâc sententiâ citat *Catechismum Romanum* (pars 2ª, *de Sacr. Bapt.*, n° 56), et S. Carolum (*Act. Eccles. Mediolan.* part. 4) sic loquentem : « Si exploratum habuerit (sacerdos) illum » formâ servatâ baptizatum esse, caveat omninò ne hanc » sub conditione baptizandi formam adhibeat, cùm sacri- » legium committat, si contrà fecerit, et illud impedimen- » tum contrahat quod sacri canones irregularitatem vocant. Vide infra dicenda (3180, etc.), et Concil. Remense 1857, p. 59.

Plures tamen, apud Lequeux (n° 521), inter quos Reiff. (pars 6, lib. 5, tit. 37, n° 69), putant vitari irregularitatem si adjiciatur conditio : *si non es baptizatus*, quamvis temerè et non præmissâ inquisitione debitâ, quia leges pœnales debent intelligi cum effectu : non autem fit reite-

ratio Baptismi sub illâ conditione collati, si ipse antea fuit validè collatus. — Respondent tamen alii seriam non esse appositionem conditionis in hypothesi factâ, et tunc idem esse ac si baptizans diceret: *Sive sis baptizatus sive non, ego te baptizo;* vel *quamvis sis baptizatus, ego*, etc. De hâc autem secundâ sententiâ, dicit S. Liguor. (lib, 6, n° 122) ipsam non carere gravi fundamento; sed, spectatâ auctoritate, prima sententia probabilior illi videtur.

1788.—4° Etiam irregularis est qui scienter baptizatur ab hæretico declarato sinè ullâ necessitate, ut habetur ex cap. *Ventum est* 18, causa 1, q. 1; vel qui Baptismum differt ad mortis usque periculum: cap. *Si quis*, dist. 58. Vidè Concil. Rem. anni 1857, p. 59.

PUNCTUM II.

DE IRREGULARITATE EX VIOLATIONE CENSURÆ PROVENIENTE.

1789. Clericus fit irregularis quoties majori excommunicatione innodatus aut suspensus vel interdictus, temerè et solemniter exercet, sinè justâ necessitate, actus proprios ordinis sacri quem habet, etsi invalidè exerceat et licet sit toleratus, modò culpabiliter agat. Ita communiter DD., ex cap. *Si celebrat*, *de clerico excomm. minist.*, et pluribus aliis cap. à D. Lequeux relatis, n° 519; et Reiffenst., part. 5, lib. 5, tit. 27, n° 5.

1790. « Notandum hic 1° cum S. Liguor., lib. 7, n° 358, quòd qui celebrat, innodatus excommunicatione » minori, non incurrit irregularitatem, ex cap. *Si celebrat* » modò citato; imò nec irretitus excommunicatione ma- » jore, si exerceat actum ordinum minorum adhuc solem- » niter et ex officio. » (Contra tamen sentiunt Reiffenst., pars 5, lib. 5, tit. 27, n° 21; ex cap. 2, *de cleric. excomm. min.*; Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 68, saltem si agatur de simoniacis, ex Bullâ Sixti V, nonis junii 1588; Stremler, *Des peines ecclésias.*, p. 217); « nec » si exerceat actum ordinum majorum, sed non solem- » niter, id est, diaconatûs sinè stolâ, subdiaconatûs sinè » manipulo, cùm tales actus sic exerceri possint etiam à

» cantoribus. » (Exinde tamen non inferendum quòd ad incurrendam irregularitatem requiratur ut ordines exerceantur semper cum omnibus solemnitatibus quibuscum debent juxta Ecclesiæ ritum celebrari; sufficit quòd exerceantur actus qui, nonnisi à ministris ad hoc consecratis, peragi debent. Ita Collet, *Cursus compl.*, tom. 17, col 311. Non fit autem irregularis qui ligatus censurâ baptismum ministrat sinè solemnitate in casu necessitatis (*ib.*): quia id omnes facere possunt in hoc casu; nec qui exercet ad vitandum grave malum, scandalum, infamiam, etc.: quia leges humanæ non obligant cum gravi incommodo. Vide Reiffenst. (*ib.*, n° 12). Nec qui exercet dum est toleratus, si ministerium ejus ab aliis requiratur: quia tunc licitè potest exerceri illud ex Bullâ *Ad evitanda scandala*); « nec » qui canit solemniter Officium, nisi sit hebdomadarius Ca- » pituli (vel alius hebdomadarius. Vide Collet, *ib.*, col. 311), » solemniter dicendo orationem cum *Dominus vobiscum*: » quia tale ministerium ex consuetudine à sacerdotibus » aut diaconis exercetur;—nec qui concionem habet: quia » hoc munus de licentiâ Episcopi, potest exerceri etiam à » non constituto in sacris, cùm sit actus jurisdictionis et » non ordinis...; nec qui exercet actum non ordinis, sed » jurisdictionis : scilicet si Episcopus excommunicet, si » parochus assistat matrimonio » (illud non benedicendo). Vide Reiffenst., *ib.*, n° 6; et S. Liguor., lib. 7, n° 167.

Diximus supra an et quomodo fiat irregularis qui censurâ innodatus Ordines recipit (1751).

1791. « Notandum est 2° ad incurrendam hanc irregu- » laritatem requiri, ut censuratus scienter actum ordinis » exerceat, quia illa tantùm ob contemptum censurarum » imposita est. Episcopus, vel alius sacerdos censuratus, » cogens alium ad celebrandum coram se, fit irregularis. » Cap. *Illud. de cler. excomm. minist.*

1792. » Notandum 3° quòd si quis celebret in Ecclesiâ » pollutâ, non fit irregularis; fit verò qui celebrat scienter » in loco interdicto (si sit denuntiatus talis locus): quia jam » violat censuras per exercitium ordinis. Cap. *Is qui* 18, » *de sentent. excomm.*, in 6°.

1793. » Notandum 4° quòd qui ordinatur ab Episcopo » excommunicato, suspenso, interdicto, hæretico, schis» matico, aut simoniaco, fit irregularis. Argum. ex cap. » *Quod quidem*, et cap. *Statuimus* 1, q. 1. » Ita S. Liguor. (lib. 7, n° 358); sed vide infra dicenda (1805).

1794. Etsi sacramentum Pœnitentiæ administratum ab excommunicato vitando sit nullum, saltem extra casum necessitatis, attamen vitandus hoc sacramentum administrans irregularis fit, ex cap. *Si quis,* causa 11, q. 3. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 171.

1795. Ex Sacrâ Cong. Concil., 19 jul. 1704, et 11 sept. 1717, non incurritur irregularitas per violationem censuræ quæ valida quidem habetur in foro externo, sed quæ aliunde est nulla coram Deo. — Vide Stremler., *Des peines ecclés.*, p. 49.

1796. Controvertitur utrum irregularitas incurratur per violationem censuræ ad tempus determinatum latæ. — Si per sententiam feratur pro crimine omnino præterito, S. Liguor. (lib. 7, n° 314) putat probabiliùs non incurri: quia censura tunc non est medicinalis, proinde non censura propriè dicta, sed mera pœna; secus si per Statutum feratur : quia tunc est pœna medicinalis et propriè censura. Stremler, econtra (*ibid.*, p. 216), affirmat effectus censurarum esse eosdem, sive sint vindicativæ seu meræ pœnæ, sive sint medicinales : quæ opinio concordare videtur Concil. Lugdun. in cap. *Cùm æterni*, *de sent. et re judic.*, ubi dicitur : « Si quis judex ecclesiasticus... contra... justi» tiam quidquam fecerit, ab exsecutione officii per annum » noverit se suspensum » (en censuram ad tempus determinatum quæ proindè est tantùm vindicativa, attamen statim dicitur) : « sciturus quòd si, suspensione durante, dam» nabiliter ingesserit se divinis, *irregularitatis laqueo* se » involvat, secundùm canonicas sanctiones. » Idem eruitur ex decisionibus S. C. Concil., juxta quas irregularitas contrahitur ex violatione suspensionis ex informatâ conscientiâ latæ, quæ solet esse merè pœnalis, cùm absque monitione canonicâ infligatur. Vide Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 12, c. 8, n° 5).

1797. Si quis duplici censurâ ligatus ordines sacros exerceat, etsi duplicem irregularitatem non incurrat, unam tamen contrahit duplici æquivalentem : unde in petitione dispensationis id exprimere debet, juxta S. Liguor. (lib. 7, 359). Sed vide adhuc dicta supra (1773).

Si quis autem unâ censurâ ligatus pluries exercuit sacros ordines, non concordant auctores utrum multiplicem incurrat irregularitatem. Ita Lequeux (n° 519, nota 4).

PUNCTUM III.

DE IRREGULARITATE EX EXERCITIO ORDINIS QUEM CLERICUS NON HABET PROVENIENTE.

1798. Clericus scienter, seriò, temerè ac solemniter ministrans in ordine sacro quem non habet, irregularis evadit ex cap. 1 et 2, *de clerico non ordin. minist.*, ubi dicitur in cap. 1 : « Si quis baptizaverit, aut aliquod divi- » num officium exercuerit non ordinatus, propter *teme-* » *ritatem abjiciatur de Ecclesiâ, et nunquam ordinetur.* »

Dicitur *abjiciatur*, etc. : excommunicatio ergo potest illi infligi ; attamen S. Liguorius dicit hæc verba intelligenda esse de depositione (lib. 6, n° 116, in fine).

Irregularis autem evadit, quoad ordinem quem nondum habet, non verò quoad ordines quos jam habet ; benè tamen à proximè suscepto suspensus est per biennium vel triennium, ut habetur in cap. 2 ejusdem tituli. Vide Reiffenst. (part. 5, lib. 5, tit. 28, n^is^ 3 et 4). Ablata est suspensio. C. *Apostol. Sed.*

Diximus in præcedenti puncto (1790) quid per celebrationem solemnem sit intelligendum.

1799. An autem laicus exercens actum ordinis sacri incurrat irregularitatem, probabiliùs negatur : quia in titulo capituli modò relati, mentio fit tantummodo de clerico. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 116, *dub.* 3) ; Lequeux (n° 518); Reiffenstuel (*ibid.*, n° 10).

1800. Sacerdos non approbatus, licet peccet et actum nullum faciat excipiendo confessionem, quia jurisdictione caret, non incurrit tamen irregularitatem, quia exercet actum ordinis quem jam reverà habet. S. Liguor., lib. 7, n° 359.

1801. Communior quidem est opinio juxta quam diaconus sine commissione solemniter baptizans, imo in necessitate, vel Eucharistiam ministrans, irregularis evadit, quum non sit ordinarius minister horum sacramentorum. S Lig. l. 6. n. 116 et 234. At contra stat quod quum sit ordinatus ad baptizandum et ministrandum, non usurpet officium ordinis non sui. Cf. *Canoniste*, 1890 p 532.

Omnes tamen consentiunt quòd in necessitate extremâ, absente sacerdote, diaconus possit et teneatur Viaticum ministrare, adhuc sinè commissione; proinde tunc non incurrit irregularitatem (S. Liguor., *ib.*, 237).—Quoad cæteros clericos inferiores vel laicos, controvertitur. Vide S. Liguor., *ibid.*

1802. An idem sit dicendum de sacerdote qui, absque legitimâ delegatione à S. Sede obtentâ, temerè usurpat facultatem faciendi benedictiones Episcopis proprias?—Nihil inveni apud auctores circa hanc quæstionem. Solutio autem dubii pendere videtur à solutione quæstionis: an exercitium hujusmodi facultatis sit de ordine Episcopali?—Porrò communiùs DD. affirmativè sentire videntur. Vide ap. S. Liguor., lib. 6, n° 378, *dub.* 4; Lequeux, n[is] 518-955. Reverà non est exercitium ordinis ex jure divino, saltem in omnibus; sed est exercitium ex jure ecclesiastico, quod sufficere videtur ut incurratur irregularitas, ut patebit ex numero sequenti (1803). Vide dicta supra (1170).

1803. Ex sancto Liguorio (Lib. 7, n° 358), irregularis fit clericus qui tanquam sacerdos vel diaconus hebdomadarius Officio divino præest. Vide Lequeux, n° 518, v° *Hinc irregularis.*

PUNCTUM IV.

DE IRREGULARITATE PROVENIENTE EX MALA SUSCEPTIONE ORDINUM.

1804. « Ex furtivâ ordinum susceptione fit irregularis:
» 1° Qui ordinem recipit sinè approbatione Episcopi; nam
» is prohibetur ad alium ordinem ascendere: ex c. 1, *De*
» *eo qui furtivè*, etc.; 2° qui sinè dispensatione Episcopi

» eodem die accipit plures ordines quorum unus sacer est :
» ex cap. 2 et 3, *eod. tit.* ; 3° qui post matrimonium con-
» tractum (etiam) ante consummationem, ordinem sacrum
» recipit, renitente uxore, ut ex Extrav. *Antiquæ, de voto.*»
S. Liguor., lib. 7, n° 361.

1805. « Qui scienter ordinatur ab Episcopo (denuntiato)
» excommunicato excommunicatione majore, suspenso,
» interdicto, vel degradato, peccat mortaliter et est sus-
» pensus ab ordinis sic suscepti exsecutione et aliquo modo
» irregularis ; » nam ex can. 4, 9, q. 1, non tantùm pro-
hibetur ordinis suscepti functiones exercere, donec impo-
sitam ab Episcopo pœnitentiam peregerit, sed etiam ad
superiores ordines ascendere, *nisi necessitas vel utilitas maxima flagitaverit et ipsius sancta conversatio promeruerit*
(Vide Collet, *Cursus complet.*, tom. 17, col. 310). Sed verba
posteriora satis indicant hìc non agi de irregularitate rigo-
rosâ et propriè dictâ. Est suspensio juxta C. *Apost. Sedis.*

1806. His casibus addit Busembaum (ap. S. Liguor.,
lib. 7, 360) eum qui ordines recipit in excommunicatione,
suspensione, vel qui ordinatur per saltum vel ante legiti-
mam ætatem, vel non examinatus ; sed, juxta Suar. et
alios à S. Liguor. relatos (*ib.*, n° 361), receptiones hujusmodi
ordinum potiùs inducunt suspensionem quàm irregulari-
tatem. Porrò de illis silet C. *Apostol. Sedis* : proinde hodie,
si tales erant, ampliùs non existunt.

1807. « In hâc irregularitate, pergit S. Liguor. (*ibid.*),
» nequit dispensare Episcopus si crimen est publicum, et
» ipse ante ordinationem *præceperit*, sub pœnâ excommu-
» nicationis (ut mos est), neminem furtivè accedere : ex
» cap. 1, *eodem tit.*, ut supra. Vide Salm., cap. 8, n° 75,
» qui insuper dicunt... regulares posse dispensare etiam
» cum sæcularibus, sicut in aliis irregularitatibus occultis,
» etiam in hâc, ex privilegio Sixti IV et Julii II. »

Posset ergo Episcopus, extra casum quo sub pœnâ ex-
communicationis prohibuit ad ordinationem furtivè acce-
dere, dispensare circa irregularitatem ex malâ susceptione
ordinum provenientem, etiamsi *publicum esset delictum* :
vide Collet (apud *Curs. compl.*, tom. 17, col. 307) ; sed

hodie semper fit præfata prohibitio; undè ad Papam est recurrendum quando crimen est publicum, nisi delinquens suscipiat regularem habitum in monasterio : pro quo vide cap. 1, *de eo qui furtivè ;* et Collet (*ibid.*).

PUNCTUM V.

DE IRREGULARITATE PROVENIENTE EX HÆRESIS DELICTO.

1808. « Jure Decretalium, inquit Card. Soglia (*Inst.* » *jur. priv.*, § 69), non hæretici modò alieni à canone sunt » (seu irregulares), verùm etiam illi qui cum hæreticis ali- » quo modo conjuncti sunt; quorum triplex genus est: » primum est eorum qui hæreticis in crimine hæresis con- » sortes et participes sunt; alterum eorum est qui, quan- » quam pravis erroribus non adhæreant, tamen errantibus » favent, eosdem auxilio et ope juvando; et fautores in » jure vocantur : cap. 2, *de hæret.*, in 6°; tertium genus » eorum est qui... hæreticis... communione sanguinis con- » juncti sunt, videlicet... filii... Hæretici verò, etiamsi ad » catholicam fidem redierint, non idcirco irregularitate sol- » vuntur. »Pro filiis hæreticorum, vide infra (1918, 6118).

1809. « Multi DD., inquit Theologia Tolosana (*de irre-* » *gularitatibus*, in fine), negantibus pluribus aliis, censent » ex hæresi vel apostasiâ à fide, nullam incurri irregulari- » tatem, nisi ratione *infamiæ* quando hoc delictum fit pu- » blicum. In Galliâ, hæretici et à fortiori eorum filii pro » irregularibus non habentur; et ideo eos ad fidem con- » versos Episcopi ordinare solent sinè dispensatione S. Pon- » tificis. » Vide infra dicenda (1918). In eâ irregularitate possunt iidem dispensare quando est occulta (juxta S. Liguorium, lib. 7, n° 76). Vide adhuc *Revue des sciences ecclés.*, n° 7, p. 70; Lequeux, n° 1349. Sed cf. App. VI.

PUNCTUM VI.

DE IRREGULARITATE PROVENIENTE EX HOMICIDIO VEL MUTILATIONE.

1810. Homicidium dividi potest in *necessarium*, *voluntarium et casuale*.

Necessarium seu justum vocatur illud quod contingit ex quâdam necessitate vitam suam vel justitiam conservandi; nempè si agatur de necessariâ defensione, vel si exsequenda esset in reum justa sententia, vel si hostis in bello justo profligandus esset.

1811. *Voluntarium*, quod etiam injustum vocatur, est illud quod contra æquitatis regulas intenditur directè in se, vel indirectè in causâ, quæ tamen inseparabiliter et proximè sit cum eo conjuncta, v. g., lethaliter vulnerando, mortiferum venenum propinando, etc.

1812. *Casuale* est illud quod in se non est volitum, sed ad summum in causâ quæ cum effectu non ita proximè sit conjuncta : unde duplex est, *merè casuale* quod nec in se nec in causâ fuit culpabiliter volitum, v. g., si quis omnino nesciens et sinè suâ culpâ propinaret cibum et potum venenatum; et *casuale mixtum* quando culpabiliter, saltem in causâ, fuit volitum, non adhibendo diligentiam necessariam ad illud præcavendum, v. g., si quis sinè sufficienti cautione projiciat lapidem quæ hominem occidat : tunc enim volita fuit negligentia ex quâ accidit homicidium. Vide Collet (apud *Curs. compl.*, col. 286, etc.); S. Liguor. (lib. 7, nº 366).

1813. Quæ in præsenti puncto dicturi sumus de homicidio, applicanda sunt etiam mutilationi, quæ pariter dividitur in voluntariam et casualem. Vide S. Liguor. (lib. 7, nº 366).

1814. — *Propositio* 1. Homicidium voluntarium gravissimam inducit irregularitatem.

Constat ex cap. 4, dist. 50, et Concil. Trident. (sess. 14, c. 7), ubi dicitur : « Qui suâ voluntate homicidium per-
» petraverit, etiamsi crimen id, nec ordine judiciario pro-
» batum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit,
» nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit;
» nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non
» habeant animarum, conferri liceat; » etc.

1815. — *Propositio* 2. Homicidii voluntarii rei sunt omnes

qui, actione sive physicâ sive morali, proximi mortem directè intendunt et procurant.

Ita Collet (*ibid.*, col. 289) : ex regulâ juris : « *Is damnum* » dat, non solùm qui per se agit, sed *et qui jubet*. » Undè irregulares fiunt qui voluntariè cooperantur ad homicidium; vel ut illud celeriùs, audaciùs aut securiùs fiat : prout mandantes, consulentes, si reverà mandatum vel consilium in occisionem influxerit; ex cap. *Si quis viduam*, et cap. 8, dist. 50, cap. *Significasti* 18, *de homicidio*, et cap. 23, *de Pœnitentiâ*, dist. 1.

1816. Omnes qui se ad homicidium excitant, quamvis unus solus occidat, irregulares fiunt; uti omnes qui præliantur in bello injusto, si aliquis in eo occidatur, etsi hoc non intendant alii : sed tunc respectu illorum homicidium erit casuale mixtum. Item omnes qui ministrant arma aut pecunias ad homicidium vel bellum injustum. S. Liguor., lib. 7, n° 370, 374. Quoad verò causas negativas, controvertitur. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 376; Lequeux, n° 512.

1817. Disputatur an pueri, ante septennium, fiant irregulares per homicidium cum pleno rationis usu commissum. —Sententiam affirmantem probabiliorem judicat Ferraris, v. *Ordo*, art. 2, n° 36.

1818. Quærit. 1° An irregularis fiat homicida si, ante mortem occisi, facti sui pœniteat?

Resp. Negare Salmantic...; quia tunc causa, cùm sit retractata, non ampliùs influit moraliter in mortem, quæ proinde desinit esse culpabilis; sed, inquit S. Liguor. (n° 368), veriùs affirmant Suarez et Viva : quia pœnitentia non impedit quominus imputari debeat effectus, si ipsius causa voluntariè posita fuerit, quando hæc causa non revocatur, etsi non possit revocari. Incendium enim meritò imputatur illi qui ignem amovit, etsi, ante combustionem, facti pœniteat incendiarius, si illum ignem non extinguat, vel quia non vult vel quia non potest.

1819. Reverà, excommunicationem aut aliam censuram alicui crimini annexam non incurreret qui delicti pœniteret antequam consummaretur : sed hoc speciale est censuris

quæ, utpote pœnæ medicinales, non incurruntur nisi à contumacibus; sed aliter est dicendum de irregularitatibus quæ sinè contumaciâ incurri possunt.

1820. Quærit. 2° An consulens homicidium excusetur ab irregularitate, si ante exsecutionem revocet suum consilium?

Resp. Si consilium falsitate fuerit innixum aut datum auctoritativo modo, revocans illud et falsitatem ejus patefaciens, non fit irregularis : quia tunc causam impulsivam totam revocat; secus si consulens insinuavit motivum vel modum occidendi : quia motivum vel notitia modi semper influere pergunt; hæc quæstio tamen controvertitur. Vide S. Liguor., lib. 7, 373.

1821. Quærit. 3° An incurrat irregularitatem is qui primus lethaliter percussit, si alii postmodum peremerint?

Resp. Affirmare, ap. S. Liguor. (lib. 7, 369), Fagnanum cum aliis, qui id inferunt ex cap. *Significasti, de homicidio;* negare verò Layman, Bonac. et alios plures : « Ego, inquit S. Liguorius, censeo... in prædicto cap. *Si-*
» *gnificasti* nihil definitum fuisse de hoc casu; ibi enim
» fuit quidem decisum..., cùm quidam primùm ab uno
» percussus fuerit, deinde ab aliis, et sic decesserit.....;
» quòd si constiterit primum non percussisse lethaliter,
» eum non esse irregularem; secus si dubium fuisset an
» ex illius percussione vel aliorum vulneratus periisset.
» Nostrum autem casum, nempè quòd primus vulnus le-
» thale inflixerit, sed percussus ab aliis extinctus fuerit...,
» saltem non constat fuisse decisum. Hoc tamen intelli-
» gendum, si constet primum vulnus non causasse mor-
» tem, nec accelerasse, sed eam intulisse secundum vul-
» nus...; nam aliàs in dubio primus non effugit irregulari-
» tatem.» V. etiam Collet, ap. *Curs. compl.*, t. 17, col. 294.

Objicitur : si in dubio an primus causavit mortem vel illam acceleravit, ille irregularitatem non effugit, quomodo qui certè vulnus infligit mortale seu ex quo mors certò erat oritura, potest illam effugere, eò quòd hæc mors alterius percussione citiùs advenit? Scelus posterioris homicidæ tollitne prioris gravitatem?

Respondetur quòd mors à secundo illata, impedit quominus consummata fuerit à priore; porrò irregularitas eo tantùm momento incurritur quo ex vulnere occisus è vivis decedit. Undè, sicut si duo ferè simul jacerent unusquisque sagittam quâ aliquis homo transverberaretur, immunis esset ab irregularitate ille cujus sagitta, etsi prius emissa, nisi post mortem hujusmodi hominis alterius sagittâ causatam illum percuteret; ita in nostro casu.

1822. Quærit. 4° An irregularis habendus sit mandans aut consulens, in dubio an mandatum vel consilium fuerit, vel ne, causa efficax homicidii?

Resp. Communiorem DD. sententiam affirmare: quia in dubio præsumitur mandatum vel consilium suum effectum produxisse usquedum contrarium probetur. Præterea ex cap. *Ad audientiam*, in dubio homicidii, tutior pars est eligenda. Est tamen alia sententia negans quæ S° Liguorio improbabilis non videtur; ratio quia irregularitas non incurritur nisi sit expressa in jure; jura autem loquuntur de iis qui certò sunt causa homicidii, mandando vel consulendo, vel qui dubiè homicidium committunt; non autem de iis qui tantum dubiè ad illud concurrunt.—(S. Liguor., lib. 7, 371.)

1823. Quærit. 5° An irregularis fiat qui parato ad occidendum aut mutilandum consulit ut tantùm percutiat, si ex percussione mors aut mutilatio sequatur?

Resp. Negativè, si hoc fiat non intuitu aut desiderio percussionis, sed potiùs ut ab homicidio vel mutilatione retrahatur percutiens. Sed irregularis esset qui volenti alium occidere, opem ferret ad secandam manum. Vide Collet, apud *Curs. complet.*, tom. 17, p. 292.

1824. *Propositio* 3. — **Non incurritur irregularitas propter homicidium merè casuale; propter homicidium verò casuale mixtum quod sit mortaliter culpabile, incurritur.**

Propositio constat ex Clem. *Si furiosus*, *de homicidio*, cap. *Presbyterum* 7, et cap. *Joannes* 23, *de homicidio*; et ut certum communiter habetur. Ratio est quòd pœna gra-

vis qualis est irregularitas, non debet infligi nisi ob grave delictum. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 377.

1825. Quærit. 1° An et quando quis dat operam rei licitæ, debitam adhibendo diligentiam ne homicidium sequatur, ille incurrat irregularitatem si mors accidat?

Resp. Negativè. Ita communiter cum S. Thomâ (2, 2, q. 64, art. 8, ad 3) ubi dicitur: « Secundùm canones imponitur pœna his qui casualiter occidunt, dantes operam rei illicitæ, vel non adhibentes diligentiam debitam. » Et patet ex cap. *Is qui*, c. *Sæpe*, c. *Si duo fratres*, dist. 50, etc.; secus si diligentiam sufficientem omitteret, ut colligi potest ex cap. *Dilectus* et cap. ultimo, *de homicidio.* Tunc enim homicidium indirectè volitum esset in causâ.

Non requiritur tamen diligentia summa sed sufficiens: illa nempe quam vir prudens juxta rei qualitatem adhibet. Unde irregularitas non oritur nisi ex negligentiâ quæ ad peccatum mortale pertingat, prout communiter docent Suarez et alii, ap. S. Liguor., lib. 7, n° 383.

1826. « Hinc, pergit S. Liguor. (*ib.*, n° 384), non fit » irregularis: 1° Magister qui discipulum moderatè verbe» rat (et idem de patre respectu filii), si casu ex percussione » mors discipuli sequatur; secus si graviter excederet, ut » patet ex cap. *Presbyt.*, *de homicidio*, etc.—2° Qui equi» tando in equo feroci puerum occideret..: ex cap. *Dilec*» *tus* 13, *de homicidio.*—3° Qui feram sive canem ferocem » alit et custodit in occulto, si casu fera, ruptis vinculis, » hominem occidat; secus si teneret in viâ ubi fera aliis » nocere posset; vel si illa ex ejus incuriâ esset soluta.... » —4° Qui reficiens tectum, tegulas et lapides mittit præ» monens transeuntes ut se caveant; secus si non moneat. » —5° Medicus si casu infirmus ex pharmaco præstito dece» dat sinè gravi medici negligentiâ: ex cap. *Ad aures*, *de* » *Ætate*, etc.: et hoc adhuc si sit clericus aut monachus, » modò: 1° sit peritus: nam aliàs non effugeret irregula» ritatem, si temerè vel contra præceptum medici præbe» ret remedium, ex quo mors aut ejus notabilis acceleratio » eveniret, ut rectè dicunt Salmant...; secus si bonâ fide » daret aliquid infirmo ad ejus remedium vel levamen....

1827. » Modò 2° clericus medeatur sinè incisione vel » adustione : alioquin, cùm id expressè vetetur clericis in » sacris (veriùs id non vetatur beneficiariis in sacris non » constitutis. S. Liguor., *ib.*, n° 385) et monachis, sub » pœnâ irregularitatis in cap. *Sententiam*, *ne clerici*, jam » fiunt irregulares si ex tali incisione vel adustione mors » sequatur..; si tamen alius peritus absit, benè poterit tunc » clericus aut monachus sinè peccato, et consequenter sinè » periculo irregularitatis, incisionem aut adustionem adhi- » bere, ut communiter docent Pal., Tourn., etc. »

1828. Quærit. 2° An irregularis fiat qui dat operam rei illicitæ, si ex eâ mors alterius sequatur?

Resp. Vel res est illicita quia est periculosa, vel talis est ob aliam causam; si *priùs :* duplex est sententia probabilis; *prima* affirmat cum Suar. et aliis ex cap. *Tua nos* 9, *de homicidio;*—*secunda*, quam probabiliorem S. Liguorius vocat (*ibid.*, n° 387), dicit quòd si opus sit ita periculosum ut ex eo frequenter mors sequatur (ut admovere ignem bombardæ ubi est frequentia hominum, aut pugnare in bello, etc.), tunc incurritur irregularitas, quamvis omnis adhibeatur diligentia ne mors sequatur; secus si opus rarò sit mortis inductivum et debita diligentia adhibeatur : tunc enim homicidium nec in se, nec in causâ est volitum.

Ad textum cap. *Tua nos*, ubi irregularis declaratur monachus, licet peritus, incidens apostema cujusdam mulieris quæ ex suâ incuriâ postea decessit, respondetur casum illum specialem esse in jure, et non esse extendendum ad alios.

Ex hâc sententiâ inferunt Salm... cum aliis, non esse irregularem clericum si, ipso torneamenta vel ferarum venationem exercente, mors alicujus contingeret; nisi negligentiam committeret ad mortale pertinentem. (S. Lig., lib. 7, 387.)

1829. Si *posteriùs*, si res nempe non est illicita quia est periculosa, sed ob aliam causam : tunc qui rei hujusmodi vacat, peccat quidem; sed juxta communem sententiam non incurrit irregularitatem, modò sufficientem diligentiam adhibuerit : v. g., si dum quis cædit arborem in fundo

alieno, merè fortuito homo aliquis occidatur. Ita communissimè DD., et colligitur ex Clement. unicâ, *de homicidio*, ubi ideò exercens opus licitum excusatur : quia *homicidium* non est voluntarium; unde semper ac homicidium est omnino involuntarium, non oritur irregularitas, quamvis rei illicitæ vacetur. — (S. Liguor., *ib.*, n° 386.)

1830. Quærit. 3° An irregularis fiat qui alterum mutilat aut occidit, ad necessariam suî vel alterius innocentis defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ ?

Resp. Negativè; et illud ut certum habetur pro casu suæ defensionis : ex cap. *Significasti* 18, § fin., *de homicidio;* et ex Clem., *Si furiosus*, eodem tit. Et pro defensione innocentis verisimiliùs deducitur ex cap. *Ex litteris*, *de homicidio*.

Nec obstat Concil. Trid. (sess. 14, c. 7), ubi dicitur de eo qui occidisset « *casu, vel vim vi repellendo, ut se* » *à morte defenderet*, *quòd jure quodammodo dispensatio* » *debeatur;* » nam communiter intelligitur hic textus de eo qui moderamen in suî defensione non servasset.

1831. Hâc tamen occurrentiâ, homicidium reputatur *casuale*, et ideò Episcopus, si crimen sit occultum, potest in hâc irregularitate dispensare. — Valdè autem probabiliter censent plures quòd si quis alterum provocet verbis aut facto, prævidens se facillimè aggrediendum, fiat irregularis si postmodùm, ob suî defensionem, aggressorem occidat; quia tunc dat operam rei illicitæ proximè periculosæ; secus verò si non prævideat. Idem est dicendum de eo qui accedit ad uxorem alterius, prævidendo periculum esse ne occidat maritum aggressorem. — S. Liguor., lib. 7, n° 388.

1832. Quærit. 4° An irregularis fiat, alterum cum moderamine inculpatæ tutelæ occidens, ob defensionem libertatis, honoris, pudicitiæ, vel bonorum temporalium?

Resp. Duplicem esse circa hunc casum sententiam : *Prima* affirmat, et probatur ex cap. *Suscepimus*, *de homicidio*. ubi declaratur irregularis quidam monachus qui pro conservandis bonis duos latrones occidit.

Secunda communior et probabilior negat, et probatur

1° Ex cap. *Quia te*, dist. 50; ex cap. *Interfecisti*, ubi excusatur ab irregularitate qui *et se et sua* defendens alium occidit. Illa conjunctio *et* vim habet disjunctionis, aliàs qui *se* et non *sua* defenderet, irregularis fieret; et insuper frustra Pontifex addidisset illud *sua*, si tantùm ob *suî* defensionem vitaretur irregularitas. Vide adhuc cap. *Dilecto* 6, *de sent. excomm.* — 2° Ratione: quia talis irregularitas neque ex delicto, neque ex defectu lenitatis incurritur : non ex delicto, cùm non adsit culpa; neque ex defectu lenitatis, quæ, ut dicturi sumus infra (1933, 1941), incurritur tantùm à ministris publicis justitiæ, vel à militibus in bello justo offensivo, vel ex clericis medentibus cum adustione vel incisione (1827). Nec obstat cap. *Suscepimus;* quia monachus de quo inibi agitur excesserat in suî defensione, cùm ipse unà cum socio ligaverat fures, et potuisset se et sua ab illis sinè periculo liberare. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 389.

1833. Juxta sententiam, quæ à S. Liguor. (*ib.*, n° 394) probabilior dicitur, homicidium in repentinâ rixâ patratum haberi debet ut voluntarium et non casuale: « quia homicida » suâ voluntate et ex proposito occidit et non ex casu. » Vide Conc. Trident., sess. 14, cap. 7. Secus tamen sentiunt Salmantic. et quidam alii; item Collet (ap. *Curs. compl.*, tom. 17, col. 290) : quia non censeri debet voluntarium homicidium, sed *casuale tantùm mixtum*, quando *subitò* quasi absque deliberatione in alium insilit homicida.

1834. *Propositio* **4.** — **Incurritur etiam irregularitas ob mutilationem membri.**

Ita cap. *Significasti*, *de homicidio*, et Clement. *Si furiosus*, eodem titulo.

1835. Quærit. 1° Quid nomine *membri* debeat hîc intelligi?

Resp. Quidam cum Suar. dicunt per hoc esse intelligendum non solùm oculum, manum, etc., sed etiam nasum, digitos et auriculam, quia per eorum abscissionem aufertur corporis integritas; sed probabiliùs, inquit S. Liguor., communissimè DD. dicunt nomine *membri* venire tantùm

partes illas corporis quæ proprium officium habent ab aliis divisum, ut oculus ad videndum, manus ad agendum, pes ad ambulandum, etc. Undè irregularitatem non incurrit qui amputaret auriculam: quia, eâ ablatâ, non tollitur omne officium audiendi; nec qui dentes evelleret, nec qui auferret alteri digitum : nisi sibi, extra casum infirmitatis vel necessitatis, digitum vel partem digiti amputaret : quia cap. *Qui partem* 6, dist. 55, expressè declarat in hoc adesse irregularitatem. Item irregularis est qui suâ culpâ gravi fit eunuchus : cap. *Ex parte* 3, *de corpore vitiato* (Vide S. Liguor., lib. 7, nº 416, etc.)[1]; et etiam, juxta probabiliorem sententiam, qui duos alterius amputaret testiculos, vel unam mulieris mamillam; non verò si tantùm unum testiculum, vel medietatem manûs. Vide S. Liguor. (lib. 7, nis 379 et 380) et Theol. Tolos., *de Irregularitatibus.*

1836. Irregularis fieret qui ita læderet membrum ut omninò efficeretur mortuum : quia ampliùs cum corpore vivo non continuaretur. — Secus si omninò non fieret mortuum; unde irregularis fieret qui membrum non omninò mortuum abscinderet. Vide Billuart, tom. 12, p. 146, edit. 1827.

1837. « Non fit irregularis, inquit Busembaum, apud » S. Liguor. (lib. 7, nº 382), qui excæcavit hominem, solo » visu privando, non autem oculum extrahendo. »

1838. Nec etiam fit irregularis sacerdos jubens fieri abscissionem membri præscriptam à medico, modò ipse non exsequatur. Imò valdè probabiliter eximeretur ab irregularitate qui adjuvaret mutilantem congruè ægrotum. —(S. Liguor., *ib.*)

1839. Quærit. 2º Quomodo tollatur irregularitas ex homicidio vel mutilatione proveniens?

Resp. Tolli per Baptismum : ex cap. *Si quis,* dist. 50, et per dispensationem S. Pontificis, qui dispensare potest

[1] Plures tamen dicunt, apud S. Liguor. (lib. 7, nº 418), quòd si quis amputaret sibi testiculos vel amputari sibi faceret, ob vocem conservandam, non fieret irregularis : cùm id non faceret ex indignatione, aut zelo indiscreto castitatis, ut requiritur ad hanc irregularitatem incurrendam : ex cap. *Qui partem* 6, dist. 55.

etiam in irregularitate ex homicidio voluntario, licet ordinariè non deceat, et sic intelligi debet: c. *Minor.*, dist. 50.

1840. Episcopi possunt quidem dispensare in omni irregularitate *ex delicto occulto* proveniente, etiam *ex delicto occulto* mutilationis voluntariæ, aut homicidii casualis mixti, ut constat ex Concil. Trident. (sess. 24, c. 6); sed ex eodem Concil. (*ib.*) excipi debet ea quæ oritur ex homicidio voluntario, etsi delictum probari nequeat in judicio, quidquid in contrarium dicant nonnulli, ap. S. Liguor. (*ib.*, n° 392). « Potest tamen Episcopus dispensare cum ho-
» micidâ occulto ut ministret in sacris, si magna urgeat
» necessitas, et ad Papam recurri non possit. » Vide Collet, ap. *Curs. compl.*, col. 303.

1841. « Hinc infertur, inquit S. Liguor. (lib. 7, 393), quòd
» benè possit Episcopus dispensare : 1° cum eo qui man-
» davit famulo ut tantùm percutiat, sed ille casu occiderit..;
» 2° cum eo qui leviter percutere intendens, ex negligentiâ
» casu interficiat..; 3° cum eo qui percutiendo prægnan-
» tem, casu efficit ut veniat abortus..; 4° cum clerico qui
» exercendo chirurgiam, ex imperitiâ vel negligentiâ ali-
» quem perimit... Præterea, communissimè docent Nav.,
» Laym., etc... quòd possunt dispensare Episcopi in irre-
» gularitate ex homicidio casuali etiam notorio, ad susci-
» piendos ordines minores et beneficia simplicia » (non tamen Canonicatum qui requirit majores ordines : ita probabiliùs idem S. Liguor., lib. 7, n° 429) : « quia id
» jam poterant Episcopi de jure antiquo...; Tridentinum
» autem reservavit irregularitatem ex homicidio voluntario,
» non verò casuali publico. » S. Liguor., lib. 7, n° 397).

1842. Valde probabiliter Episcopus potest dispensare super irregularitate proveniente ex homicidio occulto pro defensione propriâ commisso, quando exceditur moderamen inculpatæ tutelæ, quia tale homicidium non potest dici absolutè voluntarium. Ita communissimè, et etiam S. Pœnitentiaria, juxta Navarrum. S. Liguor., *ibidem*, n° 395.

1843. Prælati autem regulares possunt dispensare cum suis subditis super irregularitate proveniente ex homicidio

occulto casuali, ex privilegio S. Pii V. Imò, juxta plures, id possunt etsi crimen fuerit publicum et voluntarium, ex concess. Martini V, Pauli III et Sixti IV. Sed huic opinioni adversatur S. Liguor. qui dicit hoc privilegium fuisse à Bened. XIII revocatum. Juxta hunc Pontificem, *solus Generalis Ordinis potest dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, dummodo intra claustra exstiterit consummatum.*

Quid valeant confessarii regulares quoad *sæculares*, diximus supra (1779).

§ IV.

De irregularitatibus ex defectu.

1844. Octo species irregularitatum ex defectu recensentur, videlicet: 1° ex defectu animæ; 2° ex defectu corporis; 3° ex defectu natalium; 4° ex defectu ætatis; 5° ex defectu sacramenti; 6° ex defectu bonæ famæ; 7° ex defectu libertatis; 8° ex defectu lenitatis.

PUNCTUM I.

IRREGULARITATES EX DEFECTU ANIMÆ.

1845. Irregulares ex defectu animæ censentur: amentes, phrenetici, arreptitii, epileptici, illiterati, neophyti.

1846. — 1° *Amentes* et *phrenetici*; ex cap. *Maritum* 2, dist. 33. Si tali defectu laborans jam ordinatus est, cessante defectu per diuturnum tempus, judicio Episcopi (vel Prælati, si est Regularis) poterit ordines susceptos exercere; si verò nondum sit ordinatus, nunquam poterit ordines suscipere casu quo amentia orta fuisset ex causâ permanenti fundatâ in læsione organorum: « Non ordi- » nandum... qui in furiam aliquando versus, insanivit. » Ita præfatum cap. *Maritum*; sufficit semel insanivisse; secus tamen si amentia provenerit ex accidente: v. g., ex vi febris, vulneris; et postea cessaverit. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 398.

1847.—2° *Arreptitii* seu *dæmoniaci et epileptici*. De ipsis pariter distinguendum inter nondum ordinatos et jam ordi-

nibus insignitos : priores enim veluti perpetuò irregulares habendi sunt. Ita communiter, ex totâ distinct. 33. Dicunt tamen Cabassut et Tournely, juxta S. Liguor., lib. 7, n° 399, « quòd si quis ante pubertatem hoc morbo affectus » fuerit, et postea perfectè liberetur, non censetur irregu- » laris : quia (ut ait Hippocrates) epilepsia sæpè in puber- » tate perfectè curatur. Secus si morbus accidat post » pubertatem et præsertim post 25 annum. Asseruit » tamen Croix... praxim in suis partibus habere, quòd » qui per biennium liberi fuerint ab hâc infirmitate, acce- » dente declaratione Episcopi, ordinantur ; imò sinè de- » claratione, si quis per septem annos liberatus probetur. »

1848. Si de jam ordinatis quæstio instituatur, cap. *Communiter*, dist. 33, dicit quidem : « qui (epileptici) et » ipsi (obsessi) tamdiù erunt ab officii sui ordine et loco » suspensi, quousque *unius anni spatio* per discretionem » Episcopi inveniantur ab incursu dæmonis liberati ; » sed illud spatium *unius anni* Suarez dicit non esse in usu, et nunc esse relictum prudentùm judicio. Unde si rarò, v. g. semel in mense, aliquis cadat, nec spumet, poterit privatim celebrare, adjuncto sacerdote jejuno, qui missam possit, adveniente morbo, perficere. Ita S. Liguor., lib. 7, n° 399.

1849. Notat idem Sanctus quòd si quis se dæmoniacum simulet, is fit irregularis ad ordines suscipiendos, ex Concil. Const. VI (can. 6.). Secundùm probabiliorem sententiam, communissimè tenent DD. quòd Episcopus nec etiam ad minores ordines valeat dæmoniacum promovere. (S. Lig., *ib.*)

1850. — 3° *Illiterati* : non concordant DD. quid hic sit intelligendum per illiteratos. Vide Collet, apud *Curs. compl.*, col. 229. Tales tamen reputandi sunt, juxta S. Liguor., lib. 6, n° 790, qui linguam latinam saltem non intelligunt.

1851. Controvertitur utrum *illiterati* sint omnino irregulares, tam quoad ascensionem ad ordines quàm quoad susceptorum exercitium : Garcias et quidam alii dicunt illiteratos non posse quidem sinè gravi culpâ ordines suscipere, sed posse in ordinibus susceptis licitè ministrare ; sed communiter, ut probabilius habent DD., irregulares prorsus esse et

non

graviter peccare, tam ordines exercendo quàm suscipiendo, eos (etiam regulares) qui ignorant prima rudimenta grammaticæ, ita ut nesciant præstare ea quæ pertinent ad ordinis exercitium, ad quod requiritur sanè scientia linguæ latinæ. Probatur ex cap. *Illiteratis*, dist. 36. Advertit autem Palaus quòd illa tantùm ignorantia irregularitatem inducit, quæ exercitium suscepti ordinis omnino impedit (S. Lig., lib. 6, n° 791, quærit. 2° et 3°). « Non videtur improbabile » cum Sanchez... (ait idem, lib. 6, 790) quòd si ordinandus » non adhuc sciat linguam latinam quantùm oportet, sed » de brevi certò speratur fore ut addiscat, tunc poterit » Episcopus eum ordinare; sed meliùs quidem, meo judi- » cio, faciet si non ordinabit. »

1852. In his tribus modò expositis irregularitatibus nec etiam Papa valet dispensare, quia hujusmodi inhabiles sunt jure divino, tam ad suscipiendum quàm ad exercendum ordinem : cessante defectu, si agatur de illiteratis, cessat omninò irregularitas. Si verò de aliis agatur, cessante defectu ante ordinationem, non potest dispensare Episcopus, quia dispensare non valet in irregularitatibus ex defectu, nisi in duobus casibus de quibus infra ; sed posset solvere dubia de iis exorta, vel in iis dispensare.

1853. « Prælati tamen regulares... possunt dispensare » cum suis subditis tali defectu laborantibus, ut ad ordi- » nes sacros promoveantur, etiamsi quis fuerit passus per- » manentem amentiam, si ex judicio medicorum verè » cessaverit illius periculum. » Ita S. Liguor., lib. 7, n° 400.

1854.— 4° *Neophyti* seu recenter conversi, ex cap. 2, 3, 4, 5, distinct. 61. Juxta Toletum et alios, post decennium neophytus desinit esse irregularis; imò antea, si Episcopus judicet illum benè moribus profecisse. S. Liguor., lib. 7, n° 412; Devoti, lib. 1, tit. 7, § 7. Non tamen propriè irregulares sunt qui nondum sunt confirmati... Vide Concil. Trid. (sess. 23, c. 4, *de ref.*), et dicta supra (1669).

PUNCTUM II.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU CORPORIS.

1855. Non exstitisse hanc irregularitatem ante quintum sæculum, dicit et probat Collet (*Curs. compl.*, t. 17, col. 234). Duplici autem ex capite procedit illa irregularitas : vel quia impedit congruum ordinis exercitium, vel quia inducit notabilem indecentiam et horrorem ingerit.

Hinc ex primo capite, irregularis est :

1856. 1° *Cæcus*, qui nempe omnino visu caret : cap. ult., dist. 55... Si jam sit sacerdos, poterit à S. Pontifice obtinere dispensationem, si constet posse non errare. Attamen « certum est apud omnes, inquit S. Liguor. (lib. 6, » n° 390), sacerdoti penitus cæco illicitum esse celebrare, » quamvis referat Bened. XIV (*Notif.* 29, n° 5), die » 23 aug. 1727, S. Cong. Conc. hanc licentiam conces- » sisse cuidam parocho pauperi, ex speciali gratiâ, cum » assistentiâ tamen sacerdotis. »

1857. Si non sit penitus cæcus, sed ita cæcutiens ut non possit legere in Missali, hic irregularis est ad ordines suscipiendos. Utrum etiam sit irregularis ad eos exercendos ? Probabiliter dicunt Lugo, Palaus, Vasquez, etc., licitè celebrare sacerdotem qui ob visûs debilitatem memoriter missam recitat, modò discernat calicem et hostiam, quantùm sufficit ad vitandam irreverentiam; et, ad notam effugiendam habeat Missale in altari, vel etiam librum; tutiùs tamen erit, in hoc casu, ad S. Congregat. recurrere. S. Liguor., lib. 6, n° 390.

1858. Si cuidam desit solùm visus oculi dextri, non est irregularis; secus si sinistri, nisi oculus dexter aptus esset ad legendum canonem sinè magnâ deformitate; idque probabile putat Suarez etiam ut quis sacerdos ordinetur.

Nec est irregularis qui perspicillis indiget, vel nonnisi obliquè intuetur. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 404.

1859. 2° *Surdus :* ex can. 7 Apost. Si tamen surditas superveniat, sacerdotio suscepto, non interdicitur sacerdoti celebratio missæ. Communiter docent DD. surdastrum,

seu difficulter audientem non esse irregularem. S. Liguor., *ibid.*, n° 405.

1860. — 3° « *Mutus* qui non possit loqui, aut verba inte-
» gra proferre, ita ut nullam possit vocem pronuntiare,
» quin aliquid omittat, vel nisi cum magnâ difficultate..;
» et idem dicit Holzm... de eo qui loquelam penitus præ-
» cipitem habet. Blæsi verò sive balbutientes, aut carentes
» dentibus, non sunt irregulares.., nisi afferant causam
» risûs aut contemptûs. » S. Liguor., *ib.*, n° 406.

1861. 4° *Claudus* qui sinè baculo nequit ire ad altare, ut habetur in cap. *Nullus Episcopus* 57, *de Cens.*, dist. 1. — Si baculo non indigeat, minimè est irregularis : cap. *Si quis* 19, dist. 55; sicut nec etiam qui habet crura distorta, si in hoc non esset magna difformitas. Irregularis autem est qui indiget pede ligneo, quia in hoc adest magna difformitas. Attamen juxta quosdam à S. Lig. citatos (*ib.*, n° 407), si talis defectus non esset magnus et indecentia reparari valeret, permitti posset celebratio : et in dubio standum judicio Episcopi.

1862. — 5° Qui caret manu, aut digitis omnibus, aut pollice, irregularis est ex cap. ult. *de corpore vitiato*. Idem dicunt plures à S° Liguorio relati (*ib.*, n° 408), de eo qui caret indice, vel parte pollicis, aut indicis, vel qui habet eos ita debiles ut nequeat Hostiam elevare aut frangere; secus si quis careat ungue pollicis vel indicis : qui caret tribus posterioribus digitis, etiam est irregularis; non verò si careat tantùm uno digito minori, aut etiam duobus, juxta Collet (*Curs. compl.*, col. 235); aut si habeat sex digitos : sextus autem digitus posset abscindi, sinè periculo irregularitatis, si abesset periculum vitæ.

1863. Carens indice potest obtinere dispensationem. Si quis autem jam ordinatus haberet pollicem impeditum, v. g., podagrâ, in casu gravissimæ necessitatis probabiliter posset Eucharistiam ministrare posterioribus digitis. Ita communiter, apud S. Lig., lib. 6, n° 244, et lib. 7, n° 408.

1864. — 6° *Morbus*, non qualiscumque, sed qui exercitium ordinis impediat vel notabile scandalum sive indecentiam afferat; v. g., febris continua, non autem quartana, aut levis; paralysis, aut talis manuum debilitas ut sit peri-

culum effundendi calicem, prout contingit in eo qui manus admodum tremulas habet; item tussis qui periculosam redderet communionem.

Item irregularis est abstemius qui vinum nequit sumere nisi cum periculo evomendi. S. Liguor., lib. 7, 409.

1865. Ex secundo capite irregulares sunt:

1° Ii quibus deest aliquod membrum (Cap. *Presbyterum, de cleric. ægr.*), nempe qui carent naso (Cap. penult, *de corp. vitiat.*), vel habent nimis deformem, valdè demissum aut promissum.

Item si alicui est erutus oculus sive dexter sive sinister, nisi per oculum vitreum reparetur illa deformitas, ut probabiliter dicunt plures auctores à S° Liguorio relati, *ibid.*, n° 410; item irregularis est qui caret auriculis, nisi capillis aut alio modo defectus occultetur.

1866. — 2° *Leprosi :* ex cap. *Tua nos, de cleric. ægrot.* Si tamen abesset scandalum, leprosus posset celebrare in loco privato. Sic pariter irregulares sunt qui laborant morbo gallico qui foris appareat; aut qui habent faciem ex alio morbo valdè maculatam, aut ex quâcumque causâ valdè deformatam. S. Liguor., lib. 7, n° 411.

1867. — 3° *Monstruosi :* prout habendi sunt qui gibbam valdè enormem habent, ita ut nequeant recto capite stare; pygmæi, ita breves ut ad risum moveant, præsertim si habeant caput valdè ingens, vel si non possint brachia extendere ad altaris ministerium. Item Æthiopes, non apud suos sed apud nos, quamvis hoc ab aliquibus negetur; color autem subfuscus, sive rubeus non irregularem efficit.

1868. Item irregulares sunt hermaphroditi, etsi in eis prævaleat sexus virilis. Quidam exigunt quòd ille defectus sit notus, alioquin non parit irregularitatem. Vide S. Liguorium, lib. 7, n° 412.

1869. Circa hæc omnia nota quòd si illi defectus accidant ante receptionem ordinum, irregularem reddunt quoad omnes ordines recipiendos; quia cum omnes ordines sacerdotium respiciant, exclusus à sacerdotio, ab aliis etiam ordinibus repellitur. Si verò illi defectus superveniant ordinibus susceptis, sacerdos non impeditur exercere illos or-

dines quos valet implere sinè indecentiâ: sacerdos claudus, v. g., potest confessiones excipere; sic pariter cæcus, et etiam Evangelium cantare. (Cap. 7, *de cleric. ægrot.*)

1870. In hâc irregularitate solus Papa potest dispensare; non dispensaret tamen cum laico cæco aut manibus carente, ut confessiones valeret excipere: quia potestas super corpus mysticum fundatur in potestate supra Corpus reale Christi.

Possunt etiam Prælati regulares dispensare cum suis subditis, in hâc irregularitate; non verò Episcopi, qui duntaxat possunt declarare in dubio an defectus magnam vel levem afferat indecentiam. Valdè probabile est quòd idem similiter possint declarare Prælati regulares respectu ad suos subditos; sed rectè Suarez dicit Episcopum posse judicium Prælati regularis admittere vel rejicere. S. Liguor., lib. 7, nº 414.

PUNCTUM III.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU NATALIUM PROVENIENTE.

1871. Irregulares sunt omnes illegitimi, etiam occulti: ita cap. 1, et fin. *de filiis Presbyter.;* et sic tenetur communiter. Ut illegitimi haberi non debent filii presbyterorum ex justis nuptiis ante sacerdotium geniti, nec proinde sunt irregulares; sed, ad avertendam suspicionem hæreditariæ successionis, isti non possunt beneficia, quæ pater obtinuit, consequi, nisi media persona intercesserit. Ita Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 57).

1872. Triplici modo hujusmodi irregulares legitimantur:

1º *Per subsequens matrimonium*, non tamen quoad Cardinalatum, juxta Collet (*Curs. complet.*, t. 17, col. 221): modò tempore conceptionis parentes potuerint validè contrahere; undè si, mortuâ conjuge, adulter ducat mulierem ex quâ filium habuit, iste manebit illegitimus: ex cap. *Tanta*, *qui filii sint legitimi*. S. Liguor., lib. 7, nº 421.

1873. Si filius naturalis sacerdotio initiatus fuisset ante subsequens matrimonium parentum, licet illicita fuisset hujusmodi receptio ordinum, nihilominus talis sacerdos

desineret esse irregularis, subsequente matrimonio, etsi nondum consummato. S. Liguor., *ib.*, n° 423.

1874. Disputatur utrum legitimaretur filius, si solùm tempore ejus nativitatis capaces erant parentes matrimonium inter se contrahendi. — S. Liguor. (lib. 7, n° 422) valde probabilem vocat sententiam affirmantem : quia cap. *Tanta* 6, *qui filii sint legitimi*, videtur loqui de nativitate dum ait, *ab hæreditate repellendum.* Et quia res est saltem dubia, proinde irregularitas non sufficienter est expressa pro casu *conceptionis*. Vide Bened. XIV (in tom. 1, *Bullarii*, 213). Concilium Remense anni 1857 adhæret opinioni S. Liguorii.

1875. Filii nati ex matrimonio, irrito quidem ob occultum impedimentum, sed bonâ fide existimato valido saltem ab uno ex contrahentibus, tanquam legitimi, juxta sententiam communem haberi debent, ex cap. *Cùm inter* 2, *qui filii sint legit.*: modò tamen factæ fuerint denuntiationes, aut saltem in eis dispensatum fuerit et coram parocho et testibus requisitis celebratum fuerit : hoc locum non habet quando ambo contrahentes, tempore celebrationis matrimonii, erant in malâ fide. Cap. *Cùm inhibitio* 3, § *Si quis*, *de cland. despons.* (S. Liguor., lib. 7, n° 424.)

1876. Illegitimi etiam reputantur et irregulares sunt habendi, qui suscepti sunt ex matrimonio legitimo quidem, sed cujus usus illicitus evasit per solemne votum castitatis, sive in ordinis sacri susceptione, sive in professione religiosâ legitimè emissum; ex cap. 14, *de filiis presbyterorum.* Vide Collet, ap. *Curs. complet.*, tom. 17, col. 216; et Theolog. Tolosan., cap. 2, art. 1, q. 1.

1877.—2° *Per professionem religiosam solemnem*, ut colligitur ex cap. 1, *de filiis presby.* Sed advertendum est quòd irregularitas *quoad ordines* tantùm tollatur in hoc casu, non verò quoad dignitates, etiam in Religione, v. g., Abbatias, Prioratus, etc. Ita ex Bullâ Gregor. XIII. (S. Liguor., lib. 7, n° 426.) —Vide dicta supra (1772).

Aliæ irregularitates non auferuntur per professionem religiosam (Ferraris, v° *Professio regularis*, n° 102); sed prout diximus supra (1772, 1779), Prælati regulares ex

privilegio à SS. Pontificibus ipsis concesso, possunt dispensare cum suis subditis, pluribus in casibus.

1878. — 3° *Per dispensationem pontificiam.* « Papa non » solùm potest illegitimis dispensationem concedere, sed » etiam ipsam legitimationem quæ irregularitatem aufert » quoad omnes effectus. Ita communiter. » S. Liguor., *ib.*, n° 427.

1879. « Episcopus verò potest cum illegitimo dispensare » tantùm ad ordines minores et ad beneficium simplex: » ex cap. 1 et 2, *de filiis presbyt.*, in 6°...; vel ad alia... » quibus non est annexus ordo sacer..., non verò ad bene» ficium curatum... : cap. *Is qui*, *de filiis presbyt.*, in 6°. » Hoc certum est apud omnes. » Idem dicendum est de Capitulo, Sede vacante; et idem proinde de Vicario capitulari. Vide Collet, ap. *Curs. compl.*, tom. 17, col. 225.

1880. Dubitatur an Episcopus dispensare possit cum illegitimo ad recipiendum Canonicatum in Cathedralibus. —Quidam affirmant: quia Canonicatus est beneficium simplex, et ad illum promoveri possunt nondum ad sacros ordines promoti; sed probabiliùs multi alii negant: quia, ex Concil. Trident. (sess. 24, c. 12), Canonicatus est annexus sacro ordini, ad quem statim promoveri debet provisus, quamvis ex beneficio Concilii infra spatium unius anni eum recipere valeat. —(S. Liguor., lib. 7, n° 429.)

1881. Quærit. 1° An Episcopus possit dispensare cum illegitimo occulto?

Resp. Esse Doctores qui affirmant, tam ad suscipiendos sacros ordines quàm ad ministrandum in susceptis; sed *verior sententia*, inquit S. Liguor. (lib. 7, n^is^ 430 et 431), negat : quia illa irregularitas non est *ex delicto*, sed *ex defectu*, et veriùs illud *ex delicto* intelligitur de delicto proprio, non alieno; porrò Episcopus non valet dispensare in irregularitatibus *ex defectu* nisi in casibus exceptis. Vide dicta (1776).

1882. Quærit. 2° An expositi, quorum parentes ignorantur, habendi sint ut illegitimi?

Resp. Duplicem adesse sententiam : unam affirmantem quia vehementes sunt conjecturæ expositos esse illegitimos,

cùm legitimi non soleant exponi; alteram negantem, quia illegitimi non sunt habendi nisi ii quos constat tales esse: quod hìc non contingit, cùm sæpè etiam conjugati filios suos exponant. S. Liguor. (lib. 7, nº 431) vocat probabiliorem banc secundam sententiam, et affert declarat. Gregor. XIV anni 1590, in gratiam Confraternitatis pro expositis, ubi dicit eos non esse reputandos illegitimos, nisi tales probentur.

1883. Theologia Tolosana (*de Irregularit.*, cap. 2, art. 1, q. 2°) dicit Episcopos posse dispensare in præfato casu. Vide etiam Lequeux, nº 492, III.

1884. *Nota* 1° Quòd principes sæculares non possint legitimare nisi quoad sæcularia.

1885. *Nota* 2° Quòd quilibet præsumendus sit legitimus donec contrarium probetur; neque quis tenetur credere ipsimet matri, sub juramento asserenti, etiam in fine vitæ, nisi rationibus convincat, vel pater etiam asserat. Vide S. Liguor., lib. 3, nº 654, et lib. 7, nº 413; Collet, ap. *Curs. compl.*, tom. 17, col. 220. In eodem sensu pronuntiavit S. Congr. Concil., 27 jun. 1857. Vide *Analecta*, nov. et déc. 1857, col. 364.

PUNCTUM IV.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU ÆTATIS.

1886. Irregulares sunt qui non habent ætatem à sacris canonibus requisitam ad ordines recipiendos. Prob. ex Conc. Trid., sess. 23, cap. 12, *de ref.*; et Clement. ultimâ, *de ætate et qualit. ordin.*

1887. Porrò ætas à canonibus requisita est pro primâ tonsurâ, ut saltem sit septennis et polleat usu rationis. Bened. XIV, Bulla *Inter sollicitas* (anni 1745, § 19). Pro ordinibus minoribus nulla in jure assignatur ætas; solent tamen conferri, ait idem Bened. XIV (*ib.*), ab anno 7 ad 14. Pro Subdiaconatu statuitur annus 22; pro Diaconatu 23; pro Sacerdotio 25. Ita in Concil. Tridentin. (sess. 23, cap. 22). Sufficit autem ut annus præscriptus sit inceptus, ut colligitur ex eod. Concil. (sess. 24, c. 12). Pro Episcopatu verò requiritur annus 30 (S. Liguor., lib. 6, nº 79); et quidem completus, juxta Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 60).

Ex Concordato autem inter Leonem X et Franciscum I inito, sufficiebat annus 27; sed ex lege organicâ (art. 14), annus 30 requiritur.

1888. Irregularitas orta ex defectu ætatis cessat statim ac advenit ætas requisita : unde Ordinatus, completâ ætate, illico potest hodie ordines exercere. Non autem ita olim : nam cum ante ætatem debitam scienter ordinatus sine dispensatione incidebat tunc ipso facto in suspensionem Papæ reservatam ab exercito ordinis suscepti, à quâ absolvere nequibant Episcopi, nisi esset occulte contracta, juxta tenorem c. 6, sess. 24 Conc. Trident.; exinde taliter ordinatus haud poterat ordinem susceptum exercere sine absolutione, etiam postquam ætatem compleverat : et, si exercebat, irregularis fiebat. Sed nunc, sublata suspensione (1751), nihil tale est timendum, ut patet.

Dixi *scienter :* nam si, ex ignorantiâ etiam crassâ, ordinaretur ante ætatem requisitam, non incurreret præfatam suspensionem, juxta communiorem et probabiliorem sententiam ; et sic ordinatus, completâ ætate, posset ordinem susceptum exercere; si verò antea exerceret peccaret quidem, sed non incurreret irregularitatem. — (S. Liguor., lib. 6, nº 799, *dub.* 1.)

1889. Episcopus autem ordinans scienter aliquem, ante ipsius legitimam ætatem, suspenditur à collatione omnium ordinum. Ita communiter ex cap. *Vel non est compos*, 14, *de temp. ordin.* — Sed hæc suspensio est ferendæ sententiæ. (Ferraris, vº *Ordo*, art. 4, nº 7.)

Si tamen laicum, ante septennium completum, clericali tonsurâ culpabiliter initiaverit, per annum à collatione ipsius tonsuræ jure ipso interdicitur : cap, fin. *de temp. ordin.*, in 6º. Hoc interdictum est suppressum à Pio IX.

1890. *Nota* quòd ætas computanda sit à die nativitatis, non verò baptismi ut constat ex cap. 3 et aliis, dist. 77.

1891. Quærit. An quis possit ordinari mane diei in cujus vesperâ complet ætatem ?

Resp. Quosdam affirmare, ap. S. Liguor. (lib. 6, nº 800) : quia, inquiunt, minimum pro nihilo reputatur; sed juxta eumdem, pluresalii probabiliùs negant, quia ex Concil. Trid. pro Subdiaconatu ætas debet esse 22 annus *inceptus*. et

sic de aliis : porrò qui nondum complevit annum 21, non potest dici 22 *incœpisse*.

1892. Certum est quòd, ætate non completâ, Episcopi nullo modo possint in hâc irregularitate dispensare, etiam ad exercendum ordines ante ætatem susceptos. S. Liguor., lib. 6, n° 80, v° *certum est*.

PUNCTUM V.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU SACRAMENTI SEU EX BIGAMIA.

1893. Bigamia in eo consistit quòd quis cum duabus vel pluribus uxoribus matrimonium contrahat, sive ante sive post baptismum; tunc adest irregularitas ex defectu sacramenti : quia is, qui duas duxit uxores, non potest aptè significare unionem Christi cum Ecclesiâ unicâ ejus sponsâ. Constat ex toto titulo *de Bigamiâ;* et infertur ex his Apostoli verbis, 1 ad Timoth., c. 3, v. 3 : « Oportet Episcopum unius uxoris esse virum. » Vide insuper *ibid.*, v. 13.

1894. Qui verò cum pluribus sponsalia contrahit et fornicatur, non ideo habendus est ut irregularis : quia sponsalia non signifiant unionem Christi cum Ecclesiâ per Incarnationem. Vide Collet (*Curs. complet.*, t. 17, col. 260). Item non fit irregularis conjugatus aut sacerdos adulterium committens cum aliis (*ib.*, col. 261).

1895. Triplex distinguitur bigamia, *vera* nempe, *interpretativa* et *similitudinaria*.

Vera est quando quis cum duabus successive verum contraxit matrimonium, modò utrumque fuerit consummatum, et quidem saltem probabiliter per utriusque seminis commixtionem (S. Liguor., lib. 6, n° 1075; et lib. 7, n° 442) : quia aliàs non potest dici cum pluribus carnem suam divisisse. (S. Liguor., lib. 7, n° 436.)

1896. *Interpretativa* dicitur de eo qui, quâdam juris interpretatione seu fictione, censetur duas habuisse uxores, quamvis reverà non habuerit : hocque quadrupliciter contingere potest :

Primus modus, quando quis viduam jam cognitam ducit,

etsi invalidè : cap. *A nobis*, ult., *de Bigamiâ*, quamvis non cognoverit. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 437 ; Collet, ap. *Curs. compl.*, tom. 17, col. 258, 3°.

1897. *Secundus modus*, quando quis ducit mulierem ab alio corruptam, etsi bonâ fide putasset virginem, et quamvis ipse eam non cognoverit. Ita communis et verior sententia, juxta S. Liguor. (lib., 7, n° 439) : ex cap. ultimo, dist. 51. Secus esset si quis duceret mulierem à se priùs cognitam. S. Liguor., *ib.*, n° 438.

Controvertitur an sit irregularis ex bigamiâ interpretativâ, qui cum corruptâ invalidè contrahit : sententiam affirmantem sequitur S. Liguor., lib. 7, n° 440.

1898. *Tertius modus* est, quando quis, etiam penitùs ignorans, cognoscit uxorem postquam illa adulterium commiserit : ex cap. *Si cujus* 11, et cap. *Si laici* 12, dist. 34 : etsi adulterium fuerit occultum et solummodo materiale, ut dicunt Tourn., Elbel, etc.; sed alii contradicunt. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 442.

1899. *Quartus modus* est, quando quis duo contrahit et consummat matrimonia, unum validum et alterum invalidum : id communiter DD. deducunt ex cap. *Nuper, de Bigam.* — Quid si duo matrimonia fuissent invalida? — contrahens essetne irregularis? — Probabiliùs talem esse, etsi fuisset bonæ fidei, putat S. Liguor. : ex cap. *A nobis*, *de Bigam.* — Sed oppositum tenent plures apud Salmantic., quia hic casus non est expressus in jure. — (S. Liguor. lib. 7, n^is 444-446.)

1900. *Nota* ex Collet (*Curs. compl.*, tom. 17, col. 258), quòd « nusquam ex matrimonio juris (seu validi), aut facti » (seu invalidi) nascitur bigamia vera vel interpretativa, » nisi ad copulam ventum sit; undè qui legitimo matri- » monio accipit virginem quam non cognoscit, eâque mor- » tuâ, ducit alteram quam cognoscit, non est bigamus; » sicut nec ille qui duceret uxorem alterius, nec ab eo nec » ab alio cognitam; quia nec ipse, nec illa, carnem suam » divisit in plures. Cap. 5, *de Bigamiâ.* »

1901. *Bigamia similitudinaria* est illa quæ contrahitur ex attentatione matrimonii, quamvis invalidi, post votum

solemne Religionis vel susceptionem Ordinis Sacri : tunc enim quasi duplex matrimonium attentatur, nempe matrimonium carnale post spirituale connubium cum Christo initum : communiter ad hoc requirunt DD. quòd matrimonium attentatum, etiam consummatum fuerit; quod deducitur ex verbis : *Si posteà uxori fuerit sociatus.* Cap. *Monacho* 32, c. 27, q. 1. (Vide S. Liguor., lib. 7, nº 448.)

1902. Irregularis non esset qui matrimonium contraheret post votum castitatis simplex. Item nec laicus qui monialem professam in uxorem duceret, quia jura loquuntur solummodo de contrahente post proprium votum. Ita S. Liguor., *ibid.*, nº 449. Contrarium tamen sentit Card. Soglia, *Inst. juris priv.*, § 65.

1903. Quæritur quomodo tollatur irregularitas ex Bigamiâ proveniens?

Resp. 1º Eam non tolli per Baptismum : cap. *Si quis viduam.* Ita communiter.

2º Tollitur per dispensationem S. Pontificis, non obstante institutione apostolicâ (1 ad Timoth., cap. 3, v. 3 et 13) : quia Apostolus jure humano, non divino, hanc instituit.

1904. — 3º In Bigamiâ verâ et interpretativâ Episcopi dispensare non valent, neque ad Sacros Ordines suscipiendos, neque ad ministrandum in eis, neque ad beneficia iis annexa : probat. ex cap. *Super eo, de Bigam.* — Nec obstat cap. *Lector* 17, dist. 34, falsò Papæ Martino tributum à Gratiano : cùm plures auctores probent illud fuisse à Martino Bracharensi collectum ex Conciliis particularibus, ac proinde jus non facere.

1905. An verò Episcopi dispensare valeant cum bigamo, quoad ordines minores et beneficia simplicia? — Affirmant S. Thomas et cum eo alii plures. Sed *veriùs*, inquit S. Liguor., plures alii negant; et probant ex Concil. Trident. (sess. 23, cap. 17), ubi vetatur assumere bigamos ad ministeria ordinum minorum; et clariùs patet ex declar. Sixti V (ap. Fagnan., lib. 1, in cap. *Super eo, de Bigamiâ*, in fine). S. Liguor., lib. 7, nis 450-452.

1906. In Bigamiâ *similitudinariâ*, Episcopi possunt dispensare etiam ad ordines sacros suscipiendos et ministran-

dos, ex cap. *Sanè* 4, *de cleric. conjug.*, et cap. *Qui cleric. vel vov.* : et hoc currit etiamsi crimen fuerit publicum: quia hæc irregularitas non provenit ex delicto, sed ex defectu. — (S. Liguor., lib. 7, n° 452.)

1907. — 4° Prælati autem regulares possunt dispensare cum suis subditis in omni Bigamiâ, ex privilegio Sixti IV. (S. Liguor., lib. 7, n° 453.)

PUNCTUM VI.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU BONÆ FAMÆ.

1908. Hæc irregularitas potiùs ex defectu quàm ex delicto vocari debet, cùm infamia non sit aliud quàm defectus bonæ famæ, et incurratur in quibusdam casibus ubi non est delictum proprium. Ita S. Liguor. (lib. 7, n° 362).

1909. Duplex distinguitur infamia : alia *juris*, altera *facti*.

« Infamia *juris* ea est, inquit Collet (*Curs. compl.*, tom. » 17, col. 251), quæ contrahitur, seu per sententiam judi» cis declaratoriam aut definitivam, seu per juridicam rei » confessionem...; infamia verò *facti*, ea est quæ contra» hitur ipso facto, et antè quamlibet sententiam; et hæc » duplex distinguenda videtur; alia est *legalis*, alia *popula*» *ris* : infamia *legalis facti* ea est quæ oritur ex solo facto, » sed cui annexa est (per legem) infamia...; infamia *popu*» *laris* ea est quæ incurritur ob crimen quod, licet infamiâ » non notetur in jure, tale tamen est ut ex prudentûm et » bonorum æstimatione, boni nominis amissionem pariat. »

1910. *Propositio.* — Omnes infames, sive juris etiam civilis, sive facti, irregulares sunt habendi.

Propositio constat ex cap. *Infames* 6, q. 1, in quo enumerantur « omnes quos *sæculi* aut *Ecclesiæ* leges *infames* » pronuntiant. »

Bonacina tamen cum Azor dicit infamiam *facti* inducere quidem irregularitatem ad non suscipiendos ordines, non verò ad non ministrandum in susceptis; *infamiam* verò juris ad utrumque. S. Liguor., lib. 7, n° 362.

1911. Dictum fuit *etiam civilis*: quia omnis infamia civilis habetur ut ecclesiastica.

Porrò infames sunt, ex nostro Codice pœnali, qui sequentibus pœnis plectuntur : « Art 7. Les peines afflictives et » infamantes sont : 1° la mort; 2° les travaux forcés à per» pétuité; 3° la déportation; 4° les travaux forcés à temps; » 5° la détention; 6° la réclusion.—Art. 8. Les peines infa» mantes sont : 1° le bannissement; 2° la dégradation ci» vique. »—Sunt insuper aliæ quæ *correctionnelles* dicuntur; de quibus vide art. 9 ejusdem Codicis; sed illæ pœnæ et plures aliæ, quas enumerat Lequeux (n° 497), non vocantur *infamantes* in jure nostro, undè saltem dubium est an ex iis oriri possit irregularitas.

1912. Imò, juxta D. Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 43), hodiè hæc regula *quòd omnis infamia civilis sit etiam ecclesiastica*, non ampliùs est admittenda : « Depuis que... » certains législateurs notent d'infamie des actions qui, » aux yeux de l'Eglise, ne pourraient jamais être crimi» nelles. » Reverà, qui ex judicio Ecclesiæ non sunt rei, infames esse non possunt, etsi infames ex lege civili reputentur; sed hæc ratio non videtur probare, nisi quoad casus quorum infamia à lege civili inusta, ab Ecclesiâ admitti nequit. Unde quoad alios casus regula non videtur rejicienda.

1913. Quidquid sit, id notatu est dignum quòd, ex lege civili nostrâ, nulla delicta ex se infament, sed solùm per damnationem ad pœnas supra enumeratas.

1914. Olim in Galliâ infames reputabantur qui erant *decrétés de prise de corps pour un crime dont on ne se justifiait pas;* sed res aliter se habet sub hodiernâ legislatione. Vide Compans, *Tr. des Dispenses*, n° 149.

1915. « Ad incurrendam hanc irregularitatem (ex defectu » bonæ famæ), requiritur, inquit S. Liguor., lib. 7, » n° 363, ut crimen, cui annexa est infamia, sit notorium » notorietate facti, vel juris; — *facti* per publicam famam..: » requiritur... ut factum... sit ita evidens majori parti » viciniæ seu collegii (ubi ad minus sint decem), ut nullâ » possit tergiversatione celari. Item, ait Viva..., requiri...

» ut crimen sit qualificatum, ut hæresis, parricidium, etc., » vel continuatum, ut concubinatus. » Idem exigere videntur Ferraris, v° *Irregularitas*, n° 11, *Sexto;* et Devoti; —econtra Reiffenstuel, lib. 2, tit. 20, n^is 31 et 36; Lequeux, n° 499, putant infamiam oriri posse ex omni peccato mortali; citant cap. *Illi qui* 6, q. 1: quod reverà id dicere videtur. Vide insuper Collet, loco supra citato.

« Juris (infamia, pergit S. Liguor., *ibid.*) habetur per » confessionem rei, vel per sententiam judicis, saltem cri- » minis declaratoriam.

1916. » Crimina autem, quibus de jure annexa est infa- » mia, sunt : homicidium, perjurium factum in judicio, » hæresis, simonia, sodomia, crimen læsæ majestatis, » adulterium, proditio, rapina, lenocinium, exercitium » usurarum, invasio Cardinalium vel Episcoporum : item » raptus mulierum seu ad illum cooperatio, duellum (non » tantùm duellantes sed ipsorum patrini, ex Concilio » Trid., sess. 25, cap. 19), paratio armorum contra pa- » rentes, etc.; » addictio ad pœnitentiam publicam. Cap. *Maritum*, dist. 33.

1917. « Item exercitium histrionis cum turpibus repræ- » sentationibus, ita ut non fiat sinè peccato mortali; non » autem Macellatoris, Carnificis[1], Lictoris et similis ge- » neris, cùm hæc officia benè exerceri possunt sinè pec- » cato. » Ita S. Liguor. (loco citato). Plures tamen alii secus sentiunt : vide Ferraris (v° *Irregularitas*, n° 12, in fine). Sed ab iis sicut ab officio tabernariorum se abstinere debent clerici; et si non desistant, tertiò moniti, vel si reassumant, privilegium clericale amittunt, ex cap. *Diæcesanis* 1, lib. 3 Clement. Vide dicta supra (1686).

1918. Incurri potest hæc irregularitas etiam ob infamiam alterius, « prout incurrunt filii eorum qui damnati » sunt ob delictum læsæ majestatis, filii nati ex matre me- » retrice..., filii hæreticorum (licet hoc neget Viva..., sicut » negat etiam de filiis illegitimorum), et etiam nepotes per

[1] Mores nostri non sinerent ad ordines admitti carnifices; sed aliundè, ex defectu lenitatis sunt irregulares.

» viam masculinam ab iis descendentes; modò tamen sit » notorium parentes fuisse hæreticos et in hæresi decessisse[1]. Vide Concil. Remense anni 1857, p. 60; et dicta » supra (1808, 1809). Ut autem omnes hi irregularitatem » contrahant, opus est ut nati sint post delictum. » — (S. Liguor., lib. 7, n° 363.) Et cf. App. VI.

1919. Irregularitas ex infamiâ proveniens tollitur, si sit infamia *facti*, per Baptismum vel per notoriam emendationem sinè dispensatione.

Ita colligitur ex cap. *Si duo*, causa 35, q. 6, modò emendatio, generatim loquendo, saltem per triennium duraverit. Si verò sit *juris*, non tollitur nisi per dispensationem : attamen Bonacina tenet hanc etiam tolli per baptismum, et Salmant. hoc non improbabile putant.—(S. Liguor., *ib.*, 364.)

1920. « Episcopus, pergit idem S. Liguor. (*ibid.*), non » potest dispensare, ut infamis infamiâ facti ad sacros » ordines ascendat : potest tamen ut in susceptis ministret, si crimina sint minora adulterio, et reus egerit pœ» nitentiam (Vide supra 1771)... Si verò infamia sit per » sententiam judicis, potest ab illo irregularitas tolli per » aliam sententiam quâ reo fama restituatur...

1921. » Irregularitas ob crimen parentum, vel ob officium infame tollitur per ingressum in Religionem... »

Regulares ex privilegio Pii IV et S. Pii V possunt « dispensare cum suis subditis in hâc irregularitate, sive » contractâ ante ingressum in Religionem, sive post : item » sive infamia fuerit *juris*, sive *facti*, nullâ exceptâ. »

1922. Si infamia sit inducta per legem civilem, tolli potest, quatenus talis, per principis sæcularis dispensationem. Vide Collet, ap. *Curs. complet.*, tom. 17, col. 256.

[1] Vide caput *Statutum* 15, *de hæreticis*. Sic habet Clemens VIII in suâ Constit. *Cùm ex injuncto*, 6 oct. 1593 : « Præcipimus... supra dictas » personas quascumque ab hæreticis per paternam lineam ultra secun» dum, et per maternam, ultra primum gradum, vel à Judæis originem » trahentes, à sacris ordinibus in posterum minimè excludas. »

« Pro eo verò, inquit Ferraris, v° *Capitulum* (art. 3, n° 11), quòd » Judæus exstiterit, ipsum dedignare non debes recipere in Canoni» cum. »

Sed ut cum hâc dispensatione ordines valeant recipi aut exerceri, requiri videtur ut reverà per hanc dispensationem recuperetur bona fama ad hujusmodi receptionem et exercitium necessaria.

1923. *Nota* quòd collatio beneficii ei facta qui infamis est infamiâ facti, est quidem illicita, prout etiam illicita est ejus electio et præsentatio; sed non est pleno jure nulla, sicuti est quando fuit facta infami infamiâ juris; est enim tantùm à judice irritanda. Vide Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 44.

PUNCTUM VII.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU LIBERTATIS.

1924. Defectu libertatis irregulares sunt :

1° Servi propriè dicti donec consequantur plenam libertatem. Cap. 1, distinct. 54.

Apud nos servitus quidem non existit : quia tamen in quibusdam locis extra Europam adhuc viget, pauca de hujusmodi irregularitate non inutiliter hîc inserentur.

« Servus, inquit S. Liguor. (lib. 7, n° 455), qui, sciente » et non contradicente domino, ordinatur etiam ad primam tonsuram, eo ipso liber manet : cap. *Si servus* et » cap. *Nulli*, dist. 54. Poterit tamen dominus eum manumittere cum conditione ut serviat in iis quæ statui clericali non repugnant : ex cap. *Nullus*, *de serv. non ordin.* » Si verò servus ordinetur, ignorante domino, remanet » servus, nisi constituatur in sacris, et nisi insuper domino » reddatur duplum ab Episcopo, vel ab aliis cooperantibus, vel ab ipso servo; qui, quando impotens est satisfaciendi, remanet servus, si est diaconus; si verò sit sacerdos, debet domino inservire in omnibus quæ statum » non dedecent et missas pro domino offerre, nisi dominus per annum sciens illum esse ordinatum, dissimulet, » eumque non revocet... »

1925.—2° Conjugati, nisi uxores consentiant et castitatem voveant: cap. *Conjugatus. de convers. conjug.* : non autem tenentur Religionem ingredi, nisi vir assumeretur ad

Episcopatum. Volunt tamen quidam ut Religionem profiteantur præsertim si sint juvenes. Vide Carrière, *De Matrim.*, nº 348; et Lequeux, nº 494; sed cap. *Conjugatus* non loquitur nisi de continentiæ professione.—Disputatur verò utrum, post mortem conjugis ad ordines sacros promoti, mulier, quæ simplex votum castitatis emisit, possit validè ad novas nuptias convolare.—Sententia negans habetur ut communior et probabilior à S. Liguor. (lib. 6, nº 812, *dub.* 2).

1926.—3º « Curiales, id est Curiæ sæculari obligati, acto » juramento, vel stipendio : ut judices, advocati, etc., » quandiù talia officia habent (in cap. 1, 2 et 3, dist. 51, » et cap. unico, *de Oblig. ad rat...).* Excipe tamen, nisi » habeant specialem dispensationem Papæ (aut tacitam » concessionem, aut adsit consuetudo), ut quidam clerici » in aulis principum, in causis civilibus, non autem cri» minalibus occupati. » S. Liguor., lib. 7, nº 456. Talem in Galliâ existere consuetudinem plurimi contendunt. Vide Theologiam Tolosanam, *de Irregul.*, c. 2, art. 3; Collet, ap. *Curs. compl.*, tom. 17, col. 249.

1927.—4º Milites, saltem quando juramento tenentur; item thesaurarii et depositarii publici, et qui rempublicam administrant; item apparitores et similes qui sæva, turpia exercuerunt. (S. Liguor., lib. 7, nº 456.)

1928. « Certum est illicitum esse clericis exercere offi» cium tutoris, curatoris (nisi ad id cogantur, ut in Galliâ, » à lege civili), aut procuratoris pupillorum, et qualecum» que aliud officium publici ministerii, ex quo teneantur » rationes reddere de justitiâ vel de bonis administratis. » Et ob hanc rationem tales clerici fiunt irregulares.... » Tamen... si à clerico suscipiatur administratio post ordi» nationem, non incurritur irregularitas, cùm hæc non » inveniatur expressa in jure...

1929. » Ut clericus qui hujusmodi officia exercuerit, » possit ordinari, sufficit quòd, depositâ administratione, » idoneam fidejussionem de gestis præbeat. Imò... quòd » reddat rationes, et administrationem deponat, etiamsi » debita non solveret... » (S. Liguor., lib. 3, 838.)

1930. Administratores autem locorum piorum, aut viduarum, aut pupillorum indigentium, qui causâ pietatis tale onus susceperunt, ordinari possunt, etiam ante redditas rationes: ex cap. 1, *Ne clerici*, c. 6, q. 1, et cap. *Pervenit*, causa 2, q. 3. (S. Liguor., *ibid.*)

Non licet clericis procurationem gerere personæ privatæ sæcularis non miserabilis, cum obligatione reddendi rationes, ut habetur ex cap. *Sed nec* 4, *ne clerici vel mon*... Non tamen dicitur quòd tunc clericus fiat irregularis. S. Liguor., *ibid.*

Quidam apud Collet (*Curs. compl.*, tom. 17, col. 249) excipiunt si « jàm ipsis actio seu lis mota fuerit, aut subsit » suspicio doli. » Alii dicunt quòd tunc irregularitas per Episcopum possit relaxari.—(S. Liguor., *ib.*)

1931. « Notat (autem) Bened. XIV *Quæst. canon.* 449, » S. Congr. Concil. declarasse eum qui solvendis credito- » ribus impar, cessit bonis suis, non esse ordinandum: » partim, ut videtur, propter quamdam infamiam, partim » quia si redierit ad pinguiorem fortunam, erit obnoxius » reddendis ratiociniis. » (Lequeux, n° 494 in fine.)

PUNCTUM VIII.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU LENITATIS.

1932. Duplici modo contrahitur irregularitas ex defectu *lenitatis*; qui modi explanantur in propositionibus sequentibus:

Propositio 1. — Irregulares sunt ex defectu lenitatis, qui manu propriâ in bello justo offensivo occidunt vel mutilant.

Probatur ex cap. *Petitio tua*, *de homicidio voluntario*: quia Ecclesia abhorret à sanguine.

1933. Dicitur 1° *Qui propriâ manu occidunt vel mutilant*: undè irregularis non esset clericus exhortans ad fortiter pugnandum in bello justo etiam offensivo; secus tamen si ad occidendum hunc vel illum in particulari, licet probabiliter in hoc contradicant Salmant., ap. S. Liguor.,

lib. 7, n° 460, quia cap. *Petitio tua*, *de homicidio*, loquitur tantùm de *occidente* vel *mutilante*, non verò de exhortante: idem est dicendum de duce exercitûs, tubicine, etc; sed, addit S. Liguor. (lib. 7, 459), *Clericus in sacris vel beneficiatus* militans in bello, fit irregularis si aliquando sclopum adhibuerit in aliquo conflictu, etsi juraret nullum læsisse. Vide Bened. XIV, *Notif.* 101, n° 19.

1934. Dicitur 2° *In bello justo*; nam, si bellum esset evidenter injustum, non tantùm qui propriâ manu occiderent vel mutilarent essent irregulares, sed omnis exercitus et quicumque huic fuisset cooperatus: sed illa irregularitas est *ex delicto*. Vide dicta supra (1816).

1935. Dicitur 3° *In bello offensivo*: si enim bellum esset merè *defensivum*, non fieret irregularis, etiam qui occideret. Ita Salmant. et alii communiter, ex cap. 2, *de Immunit. eccles.*, et Clement. unica, *de homicidio*. Dicitur *merè defensivum*: nam si ad prælium sponte milites venirent animo præliandi, bellum non esset merè defensivum, et incurreretur irregularitas. Ita Collet (in *Curs. compl.*, t. 17, col. 282), et Lequeux (n° 505, reg. 2, edit. 3ª).

1936. A fortiori non fit irregularis qui mutilat vel occidit in defensionem inculpatam honoris, vitæ, castitatis, et etiam proximi, cum de iis sileat jus irregularitatem constituens.—(S. Liguor., lib. 7, n° 458.)

1937. *Propositio* 2.—**Irregulares fiunt qui, in judicio justo, ad mortem vel mutilationem cooperantur voluntariè, activè, efficaciter et proximè, per actionem ex naturâ suâ ad id ordinatam.**

Probatur ex Clement. unicâ, *Si furiosus*, *de homic.*, etc., cap. *Clericis*, cap. *Sententiam*, *ne clerici vel mon.*, et cap. *Ex litteris*, *de excess. Prælat.*, etc.

1938. Dicitur 1° *In judicio justo*: si enim manifestè injustum esset judicium, irregulares ex delicto fierent qui modò enuntiato cooperarentur ad mortem aut mutilationem.

1939. Dicitur 2° *ad mortem aut mutilationem*: non enim sufficeret verberatio etiam usque ad sanguinem. Quid verò

hic intelligi debeat per mutilationem, vide dicta supra (1835-1837).

1940. Dicitur 3° *Qui cooperantur* : irregulares enim fiunt omnes qui ad sententiam sanguinis concurrunt, nempè :

1° Judices eorumque assessores, non autem domini temporales etiam ecclesiastici, aliis committentes hujusmodi causas : cap. ult., *ne clerici vel mon.*, in 6°, nisi ipsimet juberent ut judex aliquem determinatum ad mortem damnaret, vel sententiam exsequi facerent.

1941. 2° Testes voluntarii seu liberè se offerentes ad testificandum contra reum etsi protestentur se non intendere sententiam sanguinis. Si verò coacti sint ad ferendum testimonium (prout in Galliâ fieri solet), excusantur ab irregularitate; uti etiam advocati aut procuratores coacti ad tuendum accusatorem, in locis ubi accusatores adhibentur : judices verò et alii ministri justitiæ non habentur ut *coacti*, cùm saltem voluntariè officium suum susceperunt.

1942. — 3° Item irregulares fiunt accusatores vel denuntiatores petentes vindictam, si agatur de crimine digno sententiâ sanguinis. In Galliâ autem officium accusatoris impleri nequit nisi à Procuratore publico (seu Imperiali); privati crimen insequi non possunt nisi civiliter. Vide *Code d'Instr. crimin.*, art. 1, 2, 22, 29, 63, 66, etc. Undè, inquit Lequeux, n° 507, plures apud nos, ab irregularitate excusant denuntiatores etiam voluntarios : sed de iis idem videtur esse dicendum ac de testibus liberè se offerentibus, de quibus modò diximus (1941). Clerici autem in sacris aut beneficiati, si accusent sinè justâ causâ : aut si, cum causâ sufficienti, accusent sinè protestatione quòd non intendant pœnam sanguinis, præter irregularitatem quam incurrunt, peccant mortaliter.

1943. Minimè tamen irregularis efficitur accusator, sive laicus sive clericus, qui accusat ad præcavendum aut resarciendum proprium damnum, factâ præfatâ protestatione, etsi hæc sincerè non fieret, modò ante sententiam fiat. C. *Prælatis, de homicid.*, in 6°. De his vide Codicem *Instruct. Crimin.*, art. 1 et 2. Hujusmodi protestatio suffragatur tantùm in causâ propriâ, non alienorum, nisi sint propinqui usque

ad quartum gradum, vel nisi sit causa propriæ ecclesiæ.

1944. « Idem ait Concina si causa sit domesticorum;
» item si damna sint in futurum aliis inferenda, ita ut non
» possint aliâ viâ reparari : benè potest et quandoque debet
» clericus reum accusare post protestationem, imò etiam,
» protestatione omissâ, ut aiunt Salm., c. 9, n° 18, quia
» talis accusatio est mera defensio innocentis. » (S. Lig., lib. 7, n° 468.)

1945. Item irregulares fiunt : notarius sententiam scribens, quod tamen a quibusdam negatur; ministri exsequentes; lictores reum comprehendentes, etc. (S. Liguor., lib. 7, n° 461). — An verò *jurati* (in Galliâ) fiant irregulares disputatur : Lequeux (n° 507) dicit probabiliùs esse eos non fieri irregulares; secus videntur sentire Compans, *Tr. des Dispenses*, n° 164; et Vernier, n° 674 : sed cùm *jurati* ex art. 396, *Code d'Instruc. criminelle*, nequeant se abstinere, de iis est pronuntiandum sicut de testibus.

1946. Dicitur 4° *Voluntariè seu scienter et liberè :* undè furiosus, infans, dormiens, ebrius, etc., si occidant, non fiunt irregulares. — Clement. unica, *de homicidio.*

1947. Dicitur 5° *Activè* ex parte occidentium, non vero ex parte ejus qui occiditur, ut si confessarius hortaretur ad fatendam veritatem, aut ad acquiescendum sententiæ justæ; talis confessarius non esset irregularis. S. Liguor., lib. 7, n° 462.

1948. Dicitur 6° *Efficaciter :* undè assistens supplicio non fit irregularis, si suâ præsentiâ in illud non influat. Ita communissimè. Nec obstat cap. *Sententiam, ne clerici vel monachi*, ubi vetatur clericis interesse hujusmodi suppliciis; quia hic canon vel est abrogatus vel venialiter tantùm obligat, prout communiter docetur. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 463; Collet (*Curs. compl.*, tom. 17, col. 278), et infra dicenda (2066).

1949. Dicitur 7° *Proximè :* undè irregulares non fiunt qui gladios faciunt aut vendunt; legislatores leges capitales condentes; concionatores in genere dicentes malefactores esse puniendos; confessarius vel theologus si consul-

tus de reo, dicat in genere judicem debere suo munere fungi absque acceptione personarum.

1950. Fierentne irregulares ii qui facerent aut dicerent aliquid in particulari, ex quo mors aut mutilatio alicujus sequeretur vel acceleraretur, v. g., urgendo reum ut scalam ascendat, vel dicendo talem in particulari esse morte plectendum? — Nulla est in hoc difficultas si tanquam ministri publici illud faciant : secus, quæstio est controversa, et sententiam negantem valdè probabilem vocat S. Liguor. cum aliis pluribus (lib. 7, n[is] 464 et 465). Undè probabiliùs cooperatores in causâ sanguinis non sunt irregulares, nisi agant ut ministri publici justitiæ, sive ad causæ probationem, sive ad prolationem sententiæ, sive ad ejus exsecutionem. — (Theol. Tolos., cap. 2, art. 8, 4°.)

1951. Dicitur 8° *Per actionem ex naturâ suâ :* undè judices ecclesiastici degradatum tradentes brachio sæculari, non fiunt irregulares. (S. Liguor., lib. 7, n° 466.)

Ex cap. *Sententia sanguinis*, *ne cler. vel mon.*, vetitum est clericis in sacris constitutis, vel beneficiariis et omnibus regularibus, se intromittere in causam sanguinis, judicando, testificando, exsequendo, etc., ideòque mortaliter peccant si quomodolibet ad exsecutionem hujusmodi sententiæ adjuvent. — (S. Liguor., lib. 7, n° 467.)

1952. Veriùs Episcopi, in hâc irregularitate, licet fuerit occulta, non possunt dispensare : quia Concil. Trident. loquitur tantùm de irregularitate *ex delicto occulto.* — (S. Liguor., lib. 7, n° 468, *Quær.*)

« Prælati autem regulares benè possunt cum suis sub-
» ditis dispensare in hâc irregularitate, sive occultâ sive
» publicâ : quia... concessionem universè habent dispen-
» sandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio
» voluntario. » S. Liguor., lib. 7, n° 468.

1953. Irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur ex occisione vel mutilatione antè baptismum commissis; quia jura de solis baptizatis loquuntur : cap. 8 et 61, dist. 50. Ita communiter. Vide Theol. Tolos., cap. 2, art. 8, 4°.

ART. II.

DE CONDITIONIBUS POSITIVIS AD DIGNAM RECEPTIONEM VEL DIGNUM EXERCITIUM ORDINUM.

1954. Non tantùm à vitiis aut variis impedimentis immunes esse debent qui cupiunt ad ordines promoveri, sed etiam plures alias adimplere debent conditiones sive internas sive externas.

I. Conditiones internæ sunt præsertim vocatio divina, vitæ probitas seu sanctitas præcellens, recta intentio.

1955. 1° *Vocatio divina :* Quàm necessaria sit hujusmodi vocatio patet ex SS. PP. et ex ipsis Scripturis divinis : dicit enim Apostolus ad Hebræos, cap. 5, v. 4 : « *Nec quis-* » *quam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam* » *Aaron,* etc. » Vide insuper S. Joann., c. 15, v. 16. « *Non vos* » *me elegistis,* etc. » Vide S. Liguor., lib. 6, n° 802; auctorem *Prælect. S. Sulp.*, n^is 283-288.

1956. Anno 1829, aug. 27, Sacra Pœnitentiaria respondit non esse cogendum ad suscipiendos ordines clericum, qui licet à suis superioribus electus, et à suo confessario dignus judicatus sacro ministerio, obtemperare illorum monitis renuit, causâ humilitatis, vel timore periculorum; nec etiam cogendum censuit diaconum ad suscipiendum presbyteratûs ordinem, *etsi à superioribus eligatur tanquam aptissimus, et à confessario dignus judicetur.* Vide auctorem *Prælect. S. Sulp.*, n° 288.

1957. — 2° *Vitæ probitas seu sanctitas præcellens :* Non solùm status gratiæ requiritur in eo qui vult ad ordines ascendere, sed insuper necesse est ut in gratiâ sit jam probatus; unde habituatus alicui vitio, præsertim turpi, etsi sufficienter dispositus ad recipiendam absolutionem, non ideo esset dispositus ad ordines recipiendos. Vide hoc multiplici argumento probatum à S. Liguor. (lib. 6, n^is 64-77); vide etiam Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 10, cap. 2, n° 17).

Quapropter Concil. Trident., ordinantes alloquens (sess. 23, c. 12), sic ait : « Sciant Episcopi debere ad hos ordines

» assumi dignos duntaxat et quorum probata vita senectus
» sit ; juxta illud (Sap., c. 4, v. 9.), *Ætas senectutis vita im-*
» *maculata.* Hinc Apostolus (1 Tim., 3) prohibet ordinari
» neophytos, id est (ut explicat D. Thomas) qui non so-
» lùm ætate neophyti sunt, sed et qui neophyti sunt per-
» fectione. Quapropter idem S. Doctor... (*Suppl.*, q. 35,
» art. 1, ad 3) ait : *ad idoneam exsecutionem ordinum non*
» *sufficit bonitas qualiscumque*, *sed requiritur bonitas ex-*
» *cellens.* »—(S. Liguor., lib. 6, n° 802; vide etiam *ib.*,
n° 52.)

1958. Imò si ageretur de Episcopatu requiritur ut electus jam perfectionem acquisiverit : « Omnino asserendum est,
» inquit Suarez (*De Relig.*, tract. 7, lib. 1, c. 15, n° 5), Epis-
» copos, ratione pastoralis muneris, esse in statu perfec-
» tionis, non tanquam in viâ, sed tanquam in termino;
» qui propriè dicitur status perfectorum et perficientium.
» Ita docet S. Thomas; nec aliquis Scholasticorum dis-
» sentit. »

Communis et omnino tenenda est hæc doctrina, inquit D. Bouix (*De Regul.*, tom. 1, p. 19). « Attamen non est
» absolutè necessarium, inquit idem Suarez, ap. D. Bouix
» (*ibid.*), ut in re ipsa et in exsecutione, talis perfectio præ-
» cedat; sed satis est ut proposito et voluntate de se effi-
» caci habeatur, saltem quoad implenda omnia, quæ ex
» vi talis muneris necessaria sunt, et sub obligatione
» cadunt, quamvis perfectissima sint ; qualia sunt pro
» ovibus animam ponere, et pro earum salute vigilare et
» convenienter illas pascere. »

1959.—3° *Recta intentio :* « Nimirum, inquit S. Liguor.
» (*ibid.*), desiderium vacandi divinæ gloriæ et saluti anima-
» rum, non autem, ut ait D. Bernardus, *Declam. in Evang.*
» *Ecce nos*, etc., *honorem quærendi proprium*, *aut corpo-*
» *ris voluptatem*; *quæ sua sunt*, *non quæ J. C.* »—(S. Lig.,
ibid.)

1960. Quærit. An peccet qui primam tonsuram aut minores ordines suscipit animo effugiendi forum laicale, et posteà redeundi ad sæculum ?

Resp. Adesse tres sententias : *Prima* negat in hoc esse

peccatum etiam veniale; *Secunda* dicit hoc generatim esse mortale; *Tertia* distinguit, et asserit esse mortale si sit animus effugiendi aliquod judicium inceptum; secus esse veniale. S. Liguorius *secundam* sententiam habet ut probabiliorem, eò quòd Conc. Trident. dicat in hoc esse *fraudem*, nihil distinguendo; sic autem legitur in Concil. (sess. 23 c. 4): « Tonsurâ non initientur ii de quibus pro-
» babilis conjectura non sit eos, *non sæcularis judicii fraude,*
» *sed* ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus ele-
» gisse. »

1961. II. Quoad *conditiones externas*, quinque potissimùm requiruntur in promovendis ad ordines : 1° Ut a proprio Episcopo ordinentur ; 2° Ut habeant titulum ; 3° Ut ordinatè et non per saltum ordinentur; 4° Ut serventur interstitia, debita tempora et loca; 5° Ut ordinandi fuerint examinati et factæ præscriptæ proclamationes.

§ I.

Ordinatio fieri debet à proprio Episcopo.

1962. Regulariter Episcopus tenetur suos subditos per se ordinare, nisi sit impeditus ex causâ justâ; sic enim ait Concil. Trident. (sess. 23, cap. 3): « Episcopi per semet-
» ipsos ordines conferant; quòd si ægritudine fuerint im-
» pediti, subditos suos non aliter quàm probatos et exa-
» minatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant. »
Nullus Episcopus debet alterius subditos ordinare sinè expressâ illius licentiâ : præsumpta tamen ratihabitio, non de futuro sed de præsenti, probabiliter potest admitti, juxta S. Liguor. et alios, saltem sinè gravi culpâ. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 789.

1963. Quærit. 1° Quisnam sit proprius Episcopus quoad susceptionem ordinum?

Resp. Quadruplici modo Episcopum posse esse proprium quoad ordines conferendos: 1° ratione *originis*, 2° *domicilii*, 3° *beneficii*, 4° *commensalitatis*.

Pro tribus prioribus modis probat. ex cap. *Cùm nullus*

3, *de temporib. ord.*, in 6°, in quo Bonifacius VIII sic decernit : « Cùm nullus clericum parochiæ (intellige diœcesis) » alienæ, præter Superioris ipsius licentiam, debeat ordi- » nare, *Superior* intelligitur in hoc casu (1°) Episcopus de » cujus Diœcesi est qui ad ordines promoveri desiderat » oriundus; (2°) seu in cujus diœcesi beneficium obtinet » ecclesiasticum ; (3°) seu habet (licet alibi natus fuerit) do- » micilium in eâdem. »

Pro posteriori modo, probatur ex Concil. Trident. (sess. 23, c. 9, *de ref.*) : « Episcopus familiarem suum non sub- » ditum ordinare non possit, nisi per triennium secum » fuerit commoratus, et beneficium, quâcumque fraude » cessante, statim reipsà illi conferat. » Hæc omnia plenè confirmantur et explicantur ab Innocentio XII, in Constit. *Speculatores*, quæ legi potest integra apud Ferrarium, v° *Ordo*, art. 3, n° 11.

1964. Nota ex Cardin. Soglia, quòd « Episcopus nequit fami- » liari suo, super defectu natalium vel interstitiis, dispen- » sationem largiri... ut eum, ad recipiendam tonsuram aut » minores ordines aptum reddat, propterea quòd Episco- » pus erga suum familiarem auctus est privilegio confe- » rendi ordines, non dispensandi... » — (*Instit. jur. priv.*, § 47.)

1965. Sacra Congr. Concilii pluries declaravit fas esse Episcopo suum familiarem ordinare titulo pensionis vel patrimonii, quando expedire judicaverit bono suæ diœcesis, et familiarem servitio alicujus ecclesiæ ascribit; tuncque minimè requiri ut beneficium ei conferat. Ita Giraldi, ap. *Prælect. S. Sulpitii* (n° 146).

1966. Præfatam disciplinam circa Episcopum proprium quoad ordinationem, observatam fuisse etiam in Galliâ, constat ex Collatore Andegav. (*Confér. de mai*, 1709, q. 3) ubi legitur : « En France... l'Évêque du lieu de la nais- » sance... ne passe pas seul pour le propre Évêque, par » rapport à l'ordination; et l'on n'a point donné l'exclusion » à l'Évêque du bénéfice, ni à celui du domicile; » quod deinde probat multis Conciliis Provincialibus et Synodalibus Statutis.

1967. De Episcopo *commensalitatis* sic habet auctor operis *Mémoires du clergé* (tom. 14, col. 1085) : « Il y a » des cas où un Évêque peut ordonner son commensal » d'un diocèse différent... Le Concile de Trente... ne le » permet qu'à deux conditions : » *nisi per triennium*, etc. Vide supra (1963).

Reverà idem auctor (*ibid.*, col. 1083) asserit paulatim introductum fuisse in Galliâ usum, ut solus Episcopus originis haberetur tanquam proprius Episcopus quoad ordinationem; sed hoc non impedit quominus jus commune olim apud nos viguerit, et quin ad illud redire potuerint Episcopi, si voluerint. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 14[illegible].

In hoc reipsa ad jus commune rediit Provincia Remensis, anno 1849, uti videre est in actibus Concilii Suessionis ejusdem anni (p. 84).

1968. Quædam hic notanda sunt :

1° Quoad *Episcopum originis* : talis non est habendus Episcopus loci in quo quis natus est accidentaliter; v. g., occasione itineris, dum pater ejus alibi habebat domicilium : quia tunc proprius Episcopus est originis Patris, ut constat ex Constit. modò citatâ Innoc. XII *Speculatores*, § 9 [1], nisi pater posteà in loco ubi initiandus natus est, contraxerit domicilium (*ib.*, § 5).

1969. Non est ergo hodiè ampliùs attendendus Episcopus loci ubi quis baptizatus fuit, nisi tamen agatur de Judæis,

[1] Sic habet Constit. Innoc. XII, § 9 : « Dummodo... ibi natus non » fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, » mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ seu supermanentiæ » ejus patris in illo loco : quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nati- » vitas, *sed vera tantùm et naturalis patris origo* erit attendenda.

» Quod si tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti... » natus est, moram traxerit ut potuerit ibidem canonico aliquo impe- » dimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimo- » niales ut supra obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in » collatorum ordinum testimonio similiter recensendas, præsentare » teneatur. »

Generaliter autem Episcopus originis non tenetur ab ullo exigere litteras testimoniales. Ita Phillipps, tom. 1, p. 267. Contradicit auctor *Prælect. S. Sulpitii*, n° 301, et certè quidem saltem est excipiendus casus in Const. *Speculatores* modò relatus.

Turcis et Paganis, qui ordinandi sunt ab Episcopo loci in quo fuerunt baptizati, ut constat ex Constitutione *Cupientes* Pauli III, anno 1542. Vide Phillipps, *Droit ecclésiast.*, t. 2, p. 261 ; Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 44.

1970. Si illegitimus esset ordinandus aut si pater nullum haberet domicilium, aut domicilium haberet legitimo Episcopo destitutum, in his casibus Episcopus domicilii matris habendus esset ut Episcopus originis. Ita Phillipps (*ibid.*, p. 269), ubi plures refert secum sentientes.

Quoad expositos, ut originis haberi debet Episcopus loci ubi facta fuit expositio (Phillipps, *ib.*); vel loci nativitatis si sciatur. — Vide Ferraris, v° *Ordo*, art. 3, n° 21.

Illius verò, qui natus est in loco *Nullius*, Episcopus est qui est proximior. (Phillipps, *ib.*, p. 270.)

Ex Jure Romano ab Ecclesiâ admisso, domicilium in quo paternus avus natus est, potest esse domicilium originis nepotis, modò iste conceptus saltem fuerit, avo adhuc vivente. Vide D. Bouix (*De Judiciis*, tom. 1, p. 268).

1971. — 2° Ut Episcopus legitimè aliquem ordinare possit ratione domicilii, requiritur ut ordinandus, alibi natus, domicilium ità stabiliter in diœcesi ejus Episcopi statuerit, « ut vel per decennium saltem in eâ habitando, vel majo- » rem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis » ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insu- » per per aliquod considerabile tempus commorando, satis » superque suum perpetuò ibidem permanendi animum » demonstraverit » (quasi-domicilium ergo non sufficit ad ordines alicubi recipiendos) ; « et nihilominus ulterius » utroque casu, se verè et realiter animum hujusmodi ha- » bere jurejurando affirmet. » Ita Constit. Innoc. XII modò citata, § 5. Vide D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 150.

1972. Additur in eâdem Constit. (§ 6) : « Si quis tamen à » propriæ originis loco in eâ ætate discesserit quâ potuerit » alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam » Ordinarii suæ originis testimoniales litteras... afferre » debebit, ac de illis expressa... mentio in susceptorum » ordinum litteris facienda est. »

1973. Quando autem quis duplex domicilium habet, duplex est ejusdem Episcopus domicilii. Phillipps, *ib.*, p. 271; S. Liguor., lib. 6, nº 773.

1974. — 3º Ut quis possit ordinari titulo beneficii, requiritur ut beneficium *actu* possideat quod *de se*, detractis oneribus, sufficiat ad congruam ipsius sustentationem sinè supplemento patrimonii: et hoc quidem juxta taxam synodalem; sive, eâ deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines. (Constit. *Speculatores*, § 3.)

Dicitur ut beneficium *actu* possideat; non ergo sufficeret quòd beneficium, etiam statim, esset accepturus.

1975. — 4º « Initiatus tonsurâ vel minoribus à proprio Episcopo, non potest ulteriùs ordinari ab alio, titulo beneficii, nisi exhibitis priùs litteris testimonialibus Episcopi, tam originis quàm domicilii, super suis natalibus, ætate et moribus. » (S. Liguor., lib. 6, nº 770, II; ex Constit. *Speculatores*, § 3.) — Potest tamen ipsummet beneficium obtinere sinè litteris hujusmodi. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 153, prop. 5.

Item ordinans titulo familiaritatis debet exigere litteras testimoniales Episcopi originis et domicilii. (S. Liguor., lib. 6, nº 770, VI, ex præfatâ Const., § 6.)

1976. — 5º « *Episcopus originis* sive domicilii potest à
» suis subditis, etiam cum suâ dimissoriâ ab alieno Epis-
» copo ordinatis, petere ut intra aliquod tempus exhibeant
» ordinum susceptorum testimoniales, in quibus inseratur
» observata esse quæ in hâc Bullâ *(Speculatores)* præscri-
» buntur; aliàs potest eos suspendere ab exercitio suscepti
» ordinis.» S. Liguor., *ibid.*, VII, ex eâdem Bullâ, § 7.

1977. — 6º « Qui in unâ diœcesi est natus, in alterâ
» habet domicilium, in tertiâ beneficium, à quovis trium
» illorum Episcoporum potest ordines vel dimissorias acci-
» pere. » Busembaum, ap. S. Liguor., lib. 6, nº 771. « Dummodò non in fraudem fiat, » prout adjecit S. Congr. Conc., in *Fundanâ*, 27 febr. 1666 (Vide Ferraris, vº *Ordo*, art. 3, nº 98); aut nisi ascriptus fuerit Ecclesiæ, vel obtinuerit beneficium cujus servitium exigit personalem resi-

dentiam. Phillipps, *Du Droit ecclés.*, tom. 1, p. 267. Vide dicta supra (1006-1008).

1978. — 7° Episcopi *in partibus infidelium* non possunt aliquem ordinare ratione commensalitatis. (Conc. Trident., sess. 14, c. 2.)

1979.—8° Episcopus ordines conferens alienis, sinè proprii Episcopi licentiâ, suspenditur per annum à collatione ordinum sic collatorum, vel à collatione tonsuræ, si tonsura tantùm fuerit data; — ordinati verò suspenduntur, quoadusque cum eis dispensetur per proprium Episcopum, et si censuram violent, irregulares fiunt. Vide Phillipps (*ib.*, tom. 1, p. 265). Possunt insuper privari suis beneficiis. Vide Ferraris (v° *Ordo*, art. 4, n° 23); Trid. sess. 13, c. 8, *de ref.*

Scienter ordinatus cum falsis dimissoriis, incurrit ipso facto suspensionem Papæ reservatam. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 183. De his v. C. *Apostol. Sed.*, susp. III, in fine t. 1.

1980. Quærit. 2° Quis valeat litteras dimissoriales concedere?

Resp. Ultra Romanum Pontificem qui has litteras potest omnibus concedere, quilibet Episcopus, licet extra diœcesim existens, modò fuerit confirmatus et canonicè possessionem diœcesis inierit, potest etiam easdem concedere suis tamen subditis : « sive is sit Episcopus originis, » sive domicilii, sive beneficii, textu expresso, cap. *Cùm* » *nullus* 3, *de temp. ordin.*, in 6°... Potest etiam Episco- » pus dimissorias concedere suo familiari triennali... » Ferraris, v° *Ordo*, art. 3, n^is 36 et 37; S. Liguor., lib. 6, n° 787, *Not.* 3 et 4.

Quid autem in hoc valeant Vicarius Generalis et Capitularis, Sede vacante, diximus supra (1263-1270, 1174, 2°). Vide etiam Ferraris (*ib.*, n^is 39 et 40).

1981. Quædam hîc sunt notanda ex eodem Ferrari et aliis :

1° « Ultramontani (relativè ad Italiam) non possunt or- » dinari ab Episcopis Italiæ, nisi illorum dimissoriæ re- » cognitæ et approbatæ (fuerint) per Nuntios Apostolicos, » etiam regionum, ac per Vicarium Urbis (Urban. VIII, » Constit... *Secretis*); et hoc quamvis ordinandi permane- » rent in collegiis Italiæ, S. Congr. Conc. in *Bonon.*,

» 15 mart. 1692). Hoc tamen non procedit in ultramon-» tanis regularibus. » Ferraris (v° *Ordo*, art. 3, n[is] 64, 80.) Si ordinatio extra Italiam fiat, non necessariò requiruntur dimissoriales scriptis mandatæ, juxta Phillipps (*Du Droit ecclés.*, tom. 1, p. 279); sed sufficere posset licentia verbalis, si de eâ constaret.

1982.—2° « Commorantes in Urbe (Romæ) per quatuor » menses, non possunt ordinari extra Urbem cum litteris » dimissoriis proprii Ordinarii..; sed debent se præsentare » Emin. Cardinali Vicario, à quo debent ordines recipere, » vigore edicti... Clementis VIII anni 1603... ac Alexan-» dri VII anni 1664, etc. Aliàs contraveniendo incurrunt » suspensionem Papæ reservatam... » — (Ferraris, *ib.*, n° 83.) Servata est suspensio (C. *Apost. Sedis*, 7ª).

3° Ordinatos à Papâ nullus ad superiores ordines potest promovere sinè pontificiâ licentiâ.—(Ferraris, *ib.*, n° 86.)

1983. — 4° Dimissoriæ ab Episcopo concessæ non expirant per ipsius mortem, sed tantùm per revocationem, vel elapso tempore pro quo concessæ fuêre. Vide Phillipps, *ib.*, tom. 1, p. 288; S. Liguor., lib. 6, n° 787, *Not.* 2. Secundùm usum in Galliâ vigentem, ait Lequeux (n° 536), eæ durant per annum.

1984. An autem Episcopus suspensus aut excommunicatus vitandus possit dimissorias concedere. Probabiliùs hoc negari asserit S. Liguor. (lib. 6, n° 787, *Not.* 3). Unde in his casibus ordinandi ritè possent ordinari ab Episcopo viciniori (*ibid.*).

1985. « Ad Capitulum, Episcopo existente hæretico, spec-» tat facultas concedendi dimissorias; imò ipsas dimissorias » sufficit obtinere ab uno ex Canonicis, si Canonici propter » hæresim dispersi sint.., et nequeant convenire sinè dif-» ficultate. » Ita S. Congr. Concil., apud Ferraris (v° *Capitulum*, art. 3, n° 14). Vide quid actum fuerit in Ecclesiâ Lugdun. tempore perturbationis, ap. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 395, in fine.

1986. Quærit. 3° Quid exprimi debeat in litteris testimonialibus pro ordinibus suscipiendis?

Resp. Duplicis generis esse litteras testimoniales : alias

nempe quæ clericis iter facturis conceduntur, in quibus exprimitur quidem eos esse bonis moribus nullâque censurâ esse irretitos, sed in iis nihil dicitur de eorum idoneitate ad suscipiendos ordines quibus carent; alias econtrà in quibus insuper exprimitur illas dari intuitu ordinum recipiendorum ab impetrantibus: porrò quando de jure requiruntur litteræ testimoniales ut quis valeat ordinari, non sufficiunt litteræ prioris speciei, sed necessariæ sunt secundæ, prout constat ex declarat. S. Congr. Concil., 8 aug. 1733, à Ferrari relatâ, v° *Ordo*, art. 3, n° 89. —Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 155.

1987. Quærit. 4° An proprius Episcopus possit aliquando ordinationem et litteras dimissorias suo subdito recusare?

Resp. Affirmativè : et constat 1° ex Concil. Trident. (sess. 14, cap. 1, *de reform.*) ubi dicitur : « Ei cui ascen-
» sus ad sacros ordines à suo Prælato, ex quâcumque causâ,
» etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extra-
» judicialiter fuerit interdictus..., nulla contra ipsius Præ-
» lati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo
» suffragetur. » Vide infra dicenda (3203).

2° Ex pluribus S. Congr. Conc. Declarat. à D. Bouix relatis, *De Judic.*, tom. 2, p. 320, plures referemus infra (6012-6015).

Attamen Episcopus non debet hæc recusare absque justâ causâ, ut fusiùs dicturi sumus, eodem loco, loquendo de judiciis ex informatâ conscientiâ.

1988. Hæc autem praxis constanter Romæ fuit observata : ut quotiescumque Ordinarius recusaverit aliquem ordinare, tunc committatur Metropolitano vel viciniori Episcopo, « ut ab Episcopo causas exploret cur oratorem reje-
» cerit, iisque non benè cum justitiâ congruentibus, ut
» eumdem ad sacros ordines promoveat, petitâ priùs semel,
» iterum et tertiò (in debiti obsequii argumentum), à suo
» Episcopo veniâ. » S. Congr. Conc., 4 febr. 1786.

Imò aliquoties, licet rarissimè, hi recursus Romæ dirimuntur; tunc Secretarius Sacr. Congregat. scribit ad Episcopum ut non dedignetur causas denegationis ordinum Sacræ Congregationi pandere; quæ si fortè minus æquæ

reperiantur. conceditur recusato Pontificium Indultum ut à quocumque Episcopo catholico ordinari valeat. Ita D. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 170 et 171.

1989. Responsio præfata intelligenda est de *non arctatis ad ordines recipiendos;* nam *arctatis*, seu qui beneficium obtentum retinere non possunt, nisi intra certum tempus ordines sacros receperint, non tantùm non licet sinè justâ causâ denegare ordines, sed casu quo nihilominus denegarentur, iis liceret à tali denegatione propriè appellare ad Superiorem; denegare enim ordinationem ejusmodi clericis idem est ac eos beneficiis privare : porrò nullibi Episcopis data est potestas clericos suis beneficiis privandi, quin privatus ad Superiorem appellare valeat. Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 168; et infra dicenda (6020).

1990. Quærit. 5° A quonam regulares, ordines et litteras dimissoriales recipere debeant?

Resp. 1° *Quoad ordines*, vel agitur de tonsurâ et minoribus ordinibus vel de majoribus :

In *priori casu*, hæc tenenda sunt: Abbas regularis et benedictus potest, absque speciali privilegio, subditis suis *religiosis* (de novitiis controvertitur : V. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 194) tonsuram et minores ordines conferre. Constat ex multis capit. juris canonici, nempe cap. *Cùm contingat* 9, *de ætate* et *qualit.*, cap. *Abbates*, *de privil.*, in 6°; sufficiat referre Concil. Trid. (sess. 23, cap. 10) : « Abbatibus... non liceat in posterum... cuiquam qui *regularis subditus non sit*, tonsuram vel minores ordines » conferre. » Ergo *suis regularibus subditis*, hujusmodi ordines conferre possunt Abbates prout poterant ante Concilium. Ita omnes. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 193.

1991. Dictum 1° *Abbas regularis :* unde talem potestatem non habet Abbas sæcularis, nisi ex privilegio speciali. (*De Syn. diœces.*, lib. 12, cap. 10, n° 10.)

1992. Dictum 2° *benedictus ;* secus autem, quidquid dicat Ferraris (v° *Ordo*, art. 3, n° 2), si nondum esset benedictus, prout constat ex cap. *Cùm contingat* supra citato., et variis declarat. S. Congr. Conc., præsertim in causâ

Panormitanâ, 16 martii 1647. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 198.

Si tamen Abbas non benedictus habeat speciale privilegium, vel si ter ab Episcopo benedictionem postulaverit qui renuerit, potest tonsuram et minores ordines religiosis suis conferre. Probatur ex cap. *Statuimus*, *de suppl. negl. Prælat.* Ita Card. Petra et Fagnan., ap. D. Bouix (*De Episcopo*, tom. 2, p. 199, etc.).

1993. Dictum 3° *subditis suis religiosis :* constat ex Conc. Trid. supra relato (1990) et variis S. C. declarationibus. — Si subditus non religiosus sit Abbatis *nullius*, ordinari debet à viciniori Episcopo. (D. Bouix, *ibid.*, p. 201.)

Attamen si Abbas, cui competit facultas religiosis suis tonsuram et minores ordines conferendi, talia sæcularibus vel aliis non subditis conferat, sive cum legitimis dimissoriis sive sinè iis, collatio erit quidem illicita, sed valida erit, nec proinde iteranda. Ita sæpe decisum à S. C. refert Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 2, cap. 11, n° 12): quæ sic recessit à suis veteribus decisionibus. Ergo à fortiori valida dici debet ordinatio facta ab Episcopis non subditorum sinè dimissoriis : quod tamen à quibusdam fuit negatum. Vide Bouix (*ib.*, p. 202-204); S. Liguor. (*De Privil.*, n° 120).

1994. In *secundo casu*, si nempe quæstio sit de majoribus ordinibus, conferri debent ab insignitis caractere Episcopali. Quisnam verò debeat esse ille Episcopus quoad *regulares?* — De hoc sic statuendum:

1° A quocumque Episcopo catholico ordinari possunt religiosi, si ipsorum Ordini hoc privilegium post Concilium Trident. nominatim fuerit concessum; vel si post dictam Synodum in formâ specificâ fuerit confirmatum. Nec sufficit communicatio ordinum in privilegiis. Bouix (*De Episcopo*, tom. 2, p. 191); Ferraris (v° *Ordo*, art. 3, n° 76).

2° A quocumque Episcopo catholico ordinari pariter possunt religiosi, quorum Ordo tale privilegium non habet, quando Episcopus diœcesis, in quâ exstat monasterium, abest à suâ diœcesi, vel ibidem, solitis temporibus, ordinationem non est habiturus.

1995. — 3° His casibus exceptis, religiosi professi debent

saltem majores ordines recipere ab Episcopo diœcesis in quâ exstat eorum conventus. Hæc omnia constant sive Decreto Clementis VIII, 15 martii 1596; sive Decreto Innocentii XIII, 30 maii 1723; sive Const. *Impositi* Bened. XIV, 27 febr. 1746, quorum dispositiones referuntur à D. Bouix (*De Episcopo*, t. 2, p. 186-192).

1996. — 4° Novitii autem possunt ordines accipere ab Episcopo diœcesis in quâ adest conventus; sed vide infra dicenda, 2679: ad quem Episcopum, non ad Superiorem religiosum, pariter spectat dimissorias eisdem concedere: quia habetur ut Episcopus domicilii. V. Bouix (*ib.*, p. 187).

1997. Resp. 2° Quoad *litteras dimissoriales* religiosis professis concedendas, dari debent tantùm à Superiori regulari; nec tunc necessariæ sunt dimissoriæ ab Episcopo originis aut ab alio, uti constat ex Declar. S. C. Concil. 28 feb. 1654. *Subditis verò sæcularibus* litteræ dimissoriæ concedendæ sunt ab Episcopo diœcesis intra quam Abbas constituitur, vel à viciniori Episcopo, quando agitur de subditis in territorio propriè *nullius* commorantibus : constat ex Concil. Trident. (sess. 23, c. 10) et variis declarationibus S. C. — Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 207, etc.; Ferraris (v° *Ordo*, art. 3, n° 52).

1998. Observandum est autem quòd, in casu absentiæ Episcopi loci in quo stat monasterium, vel casu in quo non fiunt ibi solitæ ordinationes, litteræ ad Episcopum non diœcesanum directæ debent continere expressè quòd Episcopus loci absit aut non sit ordinationem habiturus, atque idipsum verum authenticè declarari debet à Vicario Generali, vel Cancellario ejusdem diœcesani Episcopi. — Hoc tamen minimè est necessarium quando Ordo speciale privilegium habet ut à quocumque Episcopo catholicò ipsius subjecti ordinentur : constat ex documentis supra (1995) indicatis. Vide Bouix (*De Episcopo*, tom. 2, p. 190).

§ II.

De necessitate tituli ecclesiastici in promovendis ad ordines.

1999. Per titulum intelligitur propriè Ecclesia cui ordina-

tus, etiam prioribus sæculis, ascribebatur, in quâ sustentationem habebat, quæque beneficium debuit esse, post eorum institutionem. V. Phillipps, *Du Droit ecclés.*, tom. 1, p. 438; et dicta supra (1002, etc.).

In defectu tituli hujusmodi, admissus fuit, sæculis Ecclesiæ posterioribus, titulus patrimonii pro sæcularibus et pro religiosis titulus paupertatis. Unde hæc statuuntur :

2000. Ad legitimam sacrorum ordinum susceptionem requiritur canonicus sustentationis titulus, nempè beneficium pacificè possessum, vel in ejus defectu patrimonium sufficiens ad honestam sustentationem, aut paupertas religiosa.

Ita communiter ex *Pontificali Romano*, de ordinatione subdiaconi, necnon ex Conc. Trident. (sess. 21, cap. 2), ubi datur ratio hujus dispositionis ; videlicet ne *cogantur clerici cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere.*

2001. Quoad *titulum beneficii*, notandum 1° illum debere esse sufficientem ad honestam sustentationem, detractis oneribus, licet pro missarum oneribus hoc conscientiæ Ordinariorum pro casuum diversitate relictum sit. Bened. XIV (*De Syn. diœces.*, lib. 12, cap. 9, n° 3). Constat ex Concil. Trident. (sess. 21, cap. 2) : « Ne quis... sæcu-
» laris... ad sacros ordines promoveatur, nisi priùs legitimè
» constet *eum beneficium ecclesiasticum* quod *sibi* ad victum
» honestè sufficiat, pacificè possidere. » — Requiritur ut beneficium sufficiens sit *per se* et non cum adjuncto aliquo patrimonio. (Const. *Speculatores*, § 3.) — Contrarium tamen dicit Phillipps (*Du droit ecclésiast.*, tom. 1, p. 435) qui cum Barbosâ, Riganti, Leuren., Berardi, restringit hunc § 3 dictæ Constit., ad solum casum quo extra suam diœcesim, quis beneficium recipit.

2002. Notandum 2°. Ad Episcopum pertinet determinare quid requiratur ad sufficientiam beneficii. — Si exstet in diœcesi taxa synodalis, sequenda est ; si verò non exstet, observari potest mos regionis qui, deficiente taxâ, censetur ab Episcopo approbatus.

Quando quis ad titulum beneficii ordinatur in alienâ

diœcesi, sufficientia beneficii determinanda est ex taxâ diœcesis ubi situm est beneficium, si residentiam exigat: secus, juxta taxam diœcesis in quâ ordinatus domicilium habet. Ita Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 12, cap. 9, nº 2).

2003. Notandum 3°. Ordinatus ad titulum beneficii nequit illud resignare, « nisi factâ mentione quòd ad illius be- » neficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admit- » tatur nisi constito quòd aliunde vivere commodè possit, » et aliter facta resignatio nulla sit. » (Concil. Trident., sess. 21, cap. 2.)

« On peut se démettre du titre d'ordination, inquit auc- » tor *Analect. jur. pontif.* (juillet 1855, col. 1489, nº 11), » lorsque le démissionnaire a d'autres moyens d'existence; » mais il faut exprimer cela dans la résignation.... sous » peine de nullité; il faut dire aussi que le bénéfice qu'on » résigne est le titre d'ordination. Le Concile de Trente exige » ces deux conditions, sous peine de nullité... » — « Or- » dinarius qui admisit resignationem factam ab aliquo pres- » bytero, qui nihil aliud præter illud beneficium habebat, » unde commodè sustentari possit, tenetur eum alere. » S. C. Conc. (Vide *ib.*, col. 1517). — Circa sufficientiam beneficii, vide S. Liguor. (lib. 6, nº 815, *Not.* 1°, usque ad finem numeri). — De sufficientiâ verò patrimonii, vide eumdem (*ib.*, nº 817).

2004. Quoad titulum *patrimonii* vel *pensionis*, observandum est 1° quòd sic ordinari nequeunt, « nisi illi quos » Episcopus judicaverit assumendos pro *necessitate* vel *com- » moditate* Ecclesiarum suarum; eo quoque priùs pers- » pecto, patrimonium illud vel pensionem verè ab iis ob- » tineri, taliaque esse quæ eis ad vitam sustentandam » satis sint. » (Conc. Trid., sess. 21, cap. 2.) — Non potest quis ordinari ad titulum propriæ industriæ. Vide S. Liguor. (lib. 6, nº 818).

2005. Observand. 2° Patrimonium illud vel pensio, sinè licentiâ Episcopi, alienari aut extingui, vel remitti nullatenus potest, etiamsi beneficium sufficiens postea sic ordinatus obtinuerit, nisi hoc beneficium titulo patrimonii subrogatus ab Episcopo fuerit (Ferraris, vº *Ordo*, art. 2, nº 94),

vel aliundè habeat unde vivere possit. Colligitur ex Conc. Trident. (*ibid.*), et firmatur variis Decis. S. Congr. Vide Bouix (*De Episcopo*, tom. 2, p. 159), et S. Liguor. (lib. 6, n° 824). — Ambigit auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 292) an saltem sit valida alienatio.

2006. « Examen de existentiâ et valore tituli competit » Episcopo originis, quando ipse clericum ordinat. Episcopus verò domicilii et beneficii tenetur solummodo inspicere litteras testimoniales datas ab Episcopo originis, » quando patrimonium assumitur in complementum beneficii. » Ita auctor *Prælect. S. Sulpitii*, n° 290 in fine.

2007. Quoad *titulum paupertatis religiosæ* dicendum quòd soli verè *professi* possint hocce titulo ordinari : unde Novitii et qui non sunt propriè religiosi professi, nequeunt ordinari sinè titulo beneficii, vel patrimonii aut pensionis: constat ex *Pontificali*, etc., ut supra (2000).

2008. Excipiendi sunt tamen scholastici et Patres formati Societatis Jesu, qui, absque titulo de licentiâ Generalis Præpositi ordinari possunt, licet sola vota simplicia emiserint, quibusque, si à Societate dimittantur, nulla debentur alimenta nec à Societate, nec ab Episcopo à quo ad sacros ordines fuerunt promoti. Vide Ferraris, v° *Ordo*, art. 2, n^is^ 104 et 105; S. Liguor., lib. 6, n° 814.

Pro aliis excipiendis, vide Phillipps (*Du droit ecclésiast.*, tom. 1, p. 451-453).

Sed præterea, quoad ordinationem religiosorum tum solemnium, tum simplicium votorum, etiam non perpetuorum, attendendum est recenti decreto S. C. Episc. et Regul. *Auctis admodum*, d. 4 novembris 1892, quod habes in App. VII.

2009. Quærit. 1° An in Galliâ et Belgio Episcopis liceat ordinare sæculares absque titulo canonico?

Resp. 1° Certum videri D. Bouix (*De Episcopo*, tom. 2, p. 177, etc.) Episcopos non posse in præfatis regionibus ordinare ad titulum beneficii: nam in iis non alia reperiuntur beneficia nisi Canonicatus et parochiæ propriè dictæ seu inamovibiles; porrò ad hujusmodi titulos, in nostris regionibus clerici nondum sacris ordinibus initiati promoveri

nequeunt : sive quia non consentiret Gubernium cujus consensus necessarius est ; sive quia injùstum videretur talia beneficia, quæ præcipua apud nos sunt officia, junioribus et simplicibus clericis, prætermissis sacerdotibus longâ experientiâ comprobatis impertiri. Ergo, etc. Cùm tamen, etiam missarum stipendia, si occurrant communiter modo sufficienti ad sustentationem, valere possunt ad titulum clericalem, prout asserere videtur S. Liguor. (lib. 6, n° 815), à fortiori ad hunc titulum constituendum valere poterunt, prout nobis apparet, parœciæ amovibiles, quales apud nos hodie existunt, modò teneatur Episcopus de iis ordinatis providere.

2010. Respondeo 2°. Maxima pars clericorum nequeunt hodie in Galliâ et Belgio ordinari cum canonico patrimonii aut pensionis titulo. Id experientiâ constat : paucissimi enim sunt apud nos qui patrimonium valeant afferre debitis conditionibus vestitum : exinde invaluit in Galliâ consuetudo ut Episcopi clericos absque titulo ad sacros ordines admittant, etiam sinè pontificiâ dispensatione. An hujusmodi consuetudo habeat nunc conditiones requisitas ut legitima dicenda sit, sapientiorum judicio decidendum remittimus. V. Bouix, *De Episcopo*, p. 78, qui pariter de hujusmodi consuetudinis legitimitate dubitat.

Quidquid sit de illâ pro aliis provinciis, in hâc Avenionensi sic fuit sancitum à Concil. Provinciali anni 1849 (p. 60) : « Nullus clericus sæcularis ad sacrum subdia» conatum promoveatur, quoad fieri poterit, sinè titulo » ecclesiastico, nisi priùs legitimè constet ab illo titulum » patrimonialem possideri. Si verò deficiat titulus prædic» tus, accedat ex Apostolicæ Sedis indulgentiâ, Episcopi » dispensatio. » Unde ex Apostolicæ Sedis indulgentiâ, Episcopi Provinciæ Avenionensis dispensare possunt in necessitate habendi titulum, quando ordines sacri recipiuntur.

2011. — Dicitur in *Prælectionibus S. Sulpitii* (n° 293), quòd, juxta *Rituale Paris.*, clerici titulum non habentes ordinentur sub titulo *obedientiæ*, eâ nempe lege ut ad diœcesis ministerium præstò sint Præsuli vocanti qui illis

de necessariis providebit : sed ille titulus est omninò incognitus in jure, et ad ea manifestè reducitur quæ modò diximus (2009, in fine).

2012. In art. 26 Legis Organicæ dicitur : « Ils ne pourront (les Évêques) ordonner aucun ecclésiastique, s'il » ne justifie d'une propriété produisant au moins un » revenu annuel de 300 fr. » Sed hic articulus fuit revocatus per artic. 2 decreti 28 febr. 1810.

2013. Quærit. 2° Quas pœnas incurrant tam ordinantes quàm ordinati absque vero titulo?

Resp. 1° Scienter Ordinantes, vel dimissorias concedentes sinè titulo *certo*, ipsorumque Successores, etiam Capitulum, Sede vacante, sic ordinatis providere tenentur donec obtineant beneficia ecclesiastica ad ipsorum sustentationem sufficientia : sic Innocent. III, cap. *Cùm secundum* 10, *de Præbendis*; vide insuper cap. *Recipimus*, *de ætate et qual. ordin.* — Imò, juxta Ferraris (v° *Ordo*, art. 4, n° 31) : « si » clericus sinè titulo fuerit scienter ordinatus à pluribus » Episcopis, domicilii videlicet et originis..., tunc quilibet » ipsorum tenetur in solidum sic ordinato providere de » necessariis alimentis. »

2014. Dicit Phillipps (*Du droit ecclés.*, tom. 1, p. 465) post Fagnan., præfatum onus ad hæredes Ordinantis, ratione habitâ hæreditatis, transire saltem subsidiariè, si nempe Successores implere non valeant; sed circa hoc, vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 291.

2015. Ad nihil autem tenentur Ordinantes : 1° si debitam diligentiam adhibuerint ut verus esset titulus; 2° si clericus possit aliunde vivere etiam ex honestis laboribus, vel si habeat patrem divitem : quia is, jure naturali, tenetur filium alere. S. Liguor., lib. 6, n° 813.

Examinatores, qui malâ fide titulum fictum approbaverunt, tenentur pro ratâ quisque, ad subministrandam ordinato sustentationem, et nonnisi eorum defectu, recursus ad Episcopum haberi potest. S. Liguor., *ib.*

2016. Præter has pœnas, Episcopus clericos sinè titulo ordinans, exacto ab eis juramento quòd à se non vindicabunt debitam sustentationem, incurrit suspensionem per

triennium à Gregor. IX impositam : cap. *Si quis ordinaverit* 45, *de Simoniâ*; imo etiam cum solo pacto. (*Apost. Sedis*, 2°.)

2017. Si quis ad sacros ordines promoveat Religiosum nondum professum absque titulo, etiam non exacto præfato juramento, ipso facto fit suspensus per annum à collatione ordinis sic collati. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 184. Sic verò ordinatus est suspensus ab exsecutione ordinum, donec habeat beneficium vel unde vivere possit. Ita S. Pius V, Const. *Romanus Pontifex*. Vide Ferraris, v° *Ordo*, art. 4, n° 87. Suspensio sic ordinati sublata est.

2018. Resp. 2° Pœnâ suspensionis feriuntur clerici sinè titulo vero ordinati, juxta saltem probabiliorem sententiam: de quo vide S. Liguor., lib. 6, n^is 820 et 821, qui tamen sententiam oppositam satis probabilem habet, et in eodem sensu loquitur auctor *additament.*, ap. Ferraris, v° *Ordo*, art. 4, n° 65, ubi citatur declar. S. Congr. Concil. Sed D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 124 et 159, ut certum tradit, in casu præfato, incurri suspensionem; et in probationem affert can. *Neminem* et can. *Sanctorum* 2, dist. 70, à Conc. Trident. (sess. 21, cap. 2) innovatos, et plures declarationes à Ferrario relatas, v° *Ordo*, art. 2, n° 91, et art. 4, n^is 36-39, ubi iste refert cap. expressum *Si quis ordinaverit, de simoniâ*, et Const. *Secretis* Urbani VIII.

2019. Clerici titulum post ordinationem alienantes, graviter quidem peccant, censuram tamen non incurrunt, quia de eo jus omninò silet. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 291.

§ III.

De necessitate Ordines recipiendi ordinatè et non per saltum.

2020. Inferior ordo ante superiorem recipiendus est; aliàs non solùm graviter peccatur, sed etiam incurritur suspensio ab exercitio ordinis suscepti, si sit sacer, quousque Episcopus dispenset : ex cap. unico, *de cleric. per saltum ord.*, et Conc. Trid., sess. 23, c. 14, in fine. Si autem minores ordines ante tonsuram reciperentur, adhuc mor-

taliter peccaretur, sed tunc non incurritur suspensio.

« Si verò quis reciperet Episcopatum ante sacerdotium, » invalidè susciperet, ut docent Suar., Sanch. et alii com» muniter. Si autem quis susciperet sacerdotium ante alios » ordines, posset quidem Episcopus fieri et validè hic » suum munus exerceret, non tamen licitè, ante suscep» tionem ordinis omissi. » S. Liguor., lib. 4, n° 793.

2021. « Cum promotis per saltum, si non ministrave» rint, Episcopus ex legitimâ causâ possit dispensare. » ait Trident., sess. 24, c. 14. Sed hodie pœna suppressa est.

Si ministraverint, irregulares effecti sunt. Vide Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 50, in fine.

§ IV.

De loco et statis ordinationum diebus ac de interstitiis.

2022.—I. *Circa locum.* 1° Episcopo licet ordines conferre tantùm in propriâ diœcesi, nisi licentiam habeat Ordinarii, vel Abbatis exempti : aut si locus exemptus intra aliquam diœcesim includatur, Episcopi illius diœcesis : nec etiam Romæ Cardinalis posset ordines conferre sinè Vicarii Urbis consensu.

2° In Cathedrali Ecclesiâ, vocatis præsentibus Canonicis, ordinationes sacrorum ordinum publicè celebrandæ sunt. Si autem in alio diœcesis loco peragantur, dignior, quantùm fieri poterit, ecclesia adeatur, et adsit clerus loci. (Trid., sess. 23, c. 8, *de reform.)*—« Scio tamen, inquit » S. Liguor., lib. 6, n° 798, plures Episcopos etiam ordi» nes sacros solere in privato sacello conferre. Forte hodiè » sic usus habet. »

2023. Ordines minores ex consuetudine conferri possunt, non tantùm in sacello Palatii, sed etiam extra diœcesim, et sinè vestibus pontificalibus. Ita Phillipps, tom. 1, p. 469. Non tamen de hoc omnes consentiunt. Vide dicta supra (1667-1668).

2024. — II. *Circa statos ordinationum dies.* 1° Prima tonsura conferri potest, quocumque die, horâ et loco. Vide *Pontificale*.

2025. — 2° Si ordines minores conferantur uni aut duobus aut saltem paucis, non per modum generalis ordinationis, conferri possunt singulis dominicis et diebus festivis (etiam suppressis) de præcepto, sed in mane tantùm. Ita ex Urbano VIII et Congr. Conc., Reiffenst., lib. 1, tit. 11, n° 55; Ferraris, v° *Ordo*, art. 2, n^is 2 et 4. Vide etiam Decis. S. C. Rit., 12 nov. 1851, apud Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 52; *Pontificale*, titul. *de min. ordin.*; S. Liguor., lib. 6, n° 794.

2026. — 3° Si minores ordines per modum generalis ordinationis conferantur, iisdem diebus conferri debent ac solent majores ordines. Vide id probatum ap. Ferraris, *ib.*, n° 6, etc. Ex consuetudine tamen, sat generaliter receptâ, etiam in generali ordinatione licitè conferuntur feriâ IV aut VI Quatuor Temporum, etiam vesperè; sed expedit ut illa consuetudo relinquatur, uti apud nos reipsà derelicta videtur. (Ferraris, *ib.*, n^is 7, 19, 20.)

2027. Non requiritur ut Ordinans et ordinati sint jejuni. (Ferraris, *ib.*, n° 8).—Conferri possunt hujusmodi ordines extra *missarum solemnia*. Ita *Pontificale*.

Si ordinatio fieri vel perfici non possit sabbato, inquit S. Liguor., lib. 6, n° 796, continuari potest die Dominicâ sequenti, modò servetur jejunium ecclesiasticum, non tamen naturale, id est, nullâ cœnâ factâ, tam ex parte Ordinantis quàm ex parte initiandi.

2028. — 4° Ordines majores conferendi sunt solummodo Sabbatis Quatuor Temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis et Sabbato Sancto, nisi obtenta fuerit à S. Sede licentia illos extra tempora à jure præscripta conferendi. Vide *Pontificale*, § I, *de ordin. confer.*

De institutione temporum ordinationum, vide Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 52.

2029. Intra missarum solemnia, quæ ab ipso Ordinante celebrari debent, conferendi sunt præfati ordines majores. Ita *Pontificale.* Si secus fiat, tam Ordinans quàm ordinati graviter peccant, gravique pœnâ plecti possunt sed nullam pœnam ipso facto incurrunt. Vide Ferraris, v° *Ordo*, art. 4, n° 42; et D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 184.

2030. Quando fit ordinatio extra tempora a jure præscripta, legi debet Mandatum Apostolicum vi cujus fit ordinatio. Ita *Pontificale,* et ita decisum legitur apud Gardellini, n° 4602, ad 2. Vide *Dictionn. des décrets* de M. Boissonnet, v° *Ordination.*

2031. — 5° Duo ordines sacri, eodem die, conferri nequeunt. (Conc. Trid., sess. 23, c. 13, *de reform.*)—Eâdem die conferri non possunt ordines minores et subdiaconatus, nisi adesset consuetudo, quam probare Episcopo incumbit ut pœnis non subjaceat. Ita D. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 164, post Ferraris, v° *Ordo*, *ib.*, n° 17. Ita pariter auct. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 296. Sed vide dicenda infra (2042).

2032. — 6° Episcopi consecratio fieri potest quâvis die Dominicâ, ex cap. *Ordinationis* et cap. *Quod die*, dist. 75. Diana addit, ex *Pontificali*, posse etiam fieri in Natalitiis Apostolorum. In aliis verò diebus festivis requiritur licentia pontificia, juxta Phillipps, tom. 1, p. 472. Collator verò Andegav., tom. 11, p. 181, asserit id esse permissum generaliter omnibus diebus festivis de præcepto.

2033.—7° Ordines conferri possunt extra tempora à jure præscripta, ex privilegio S. Pontificis; talique privilegio gaudent regulares; proinde absque indulto novo tutè possunt ordinari extra tempora à jure determinata; nititur hoc privilegium concessione factâ à Bened. XIII: sed ordinatio probabiliùs fieri debet diebus festivis de præcepto. S. Liguor., lib. 6, n° 797, *dub.* 3. Vide etiam *De Privilegiis,* n° 116, ubi utramque sententiam probabilem habet et dicit esse standum consuetudini; et Bouix, *De Regul.,* t. 2, p. 627. « An, pro *habentibus indultum* suscipiendi sacros or- » dines extra tempora, haberi valeant ordinationes diebus » festis, in quibus fideles, auditâ missâ, ex apostolicâ » dispensatione operibus servilibus vacare possunt, in » casu : » — S. Cong. Conc. respondit : *Affirmativè.* Apud *Analecta*, 48° et 49° livr., col. 1411.

Item regulares habent privilegium ut tribus diebus festivis continuis ordinari possint. Ferraris, v° *Ordo*, art. 2, n° 13. Sed hoc dicitur revocatum a Bened. XIV, Constit. *Impositi.*

(Ferraris, *ib.*, nº 139.) Imò quidam dubitant utrum omnes regulares privilegium habeant ut ordinentur extra tempora à jure præscripta. Vide Card. Soglia *Inst. jur. priv.*, § 48.

2034.—III. *Circa interstitia :* 1º Etsi jure inter minores ordines servanda sint interstitia, tamen non fuit determinatum quanta illa esse debeant : quidam putant sufficere intervallum de unâ ordinatione ad aliam ; alii dicunt sufficere de uno festo ad aliud. S. Liguor., lib. 6, nº 795.

2035. Conveniunt DD. levem sufficere causam ut Episcopus in hoc dispensare valeat : imò observari potest generalis consuetudo illos ordines eodem die conferendi. Vide Ferraris, vº *Interstitia*, nis 4, 17, 18.—S. Liguor., *ib.*, probabiliùs putat posse tonsuram simul cum aliquo minori ordine conferri, quia tonsura non est ordo.

2º Inter postremum minorem ordinem et subdiaconatum, annus interponi debet, *nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.* Concil. Trid., sess. 23, c. 11. — Ille annus intelligi potest de anno ecclesiastico, v. g., à Pentecoste ad Pentecostem. Vide Ferraris, *ib.*, nº 9.

3º Inter subdiaconatum et diaconatum, annus item interfluere debet, *nisi aliud Episcopo videatur.* (Trident., sess. 23, c. 13.)

4º Inter Diaconatum et Presbyteratum, annus pariter est interponendus, *nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur.* (Trid., *ib.*, c. 14.)

2036. Potest autem Episcopus in interstitiis dispensare, ex causis modò gravioribus modò levioribus, prout colligi potest ex verbis supra relatis Conc. Trident. ; sed dispensare tantùm potest cum suis subditis, non cum alienis, quibus à proprio Episcopo Ordinario dispensatio concedi debet, et de eâ mentio fieri debet in dimissoriis. Vide Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 51.

2037. Dispensare, etiam cum regularibus, ad Episcopum pertinet, non verò ad eorum Prælatos ; quorum tamen judicio stare tenetur Episcopus si Prælati asserant adesse justam causam omittendorum interstitiorum. Ita Bouix, citans plures S. Congr. Concil. Declarationes (*De Episcopo*,

tom 2, p. 211). Idem possunt Vicarius Generalis et Vicarius Capitularis, Sede vacante. Bouix, *ib.*, tom. 2, p. 166.

2038. *Nota* quòd adesse meritò censeatur *Ecclesiæ necessitas*, quoad omittenda interstitia, quando deest sufficiens presbyterorum numerus : *utilitas* autem, quando presbyteri jam ordinati, etsi numero sufficientes, parum tamen idonei sunt, dum promovendus vir est præstantis doctrinæ et maturæ ætatis, vel quando quis consecutus est beneficium quo adigitur ad suscipiendum infra annum aliquem ordinem sacrum. Vide Bened. XIV, *Inst.* 58; Bouix, *De Episcopo*, *ibid.*, propos. XX.

2039. Quærit. Quasnam pœnas incurrant tam Episcopus ordinans quàm ordinati, non observantes locum et tempus ordinationis, aut interstitia à jure præscripta?

Resp. 1° Episcopum qui in diœcesi alienâ ordines confert, ipso facto suspensionem ab exercitio pontificalium incurrere; ordinatum verò suspensione ab exercitio ordinis suscepti, ipso pariter facto constringi (Trid., sess. 6, c. 5). Hoc tamen rectè dicunt Salmant. cum Bonac., etc., non intelligi de collatione primæ tonsuræ, cùm hæc sinè pontificalibus conferatur. S. Liguor., lib. 6, n° 798. Idem asserit Phillipps (*Droit ecclés.*, tom. 1, p. 469) cum Hallier (*Cursus complet.*, tom. 24, col. 1381) de minoribus ordinibus. Vide dicta supra (2023).

2040. Resp. 2° Qui ordines extra tempora à jure præscripta, sinè licentiâ S. Pontificis confert, suspensionem ferendæ sententiæ à collatione ordinum sic collatorum simul et superiorum incurrit. Cap. *Sanè*, *de temp. et qual. ord.* Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 182, etc.

2041. Clericus *scienter* ad sacros ordines promotus extra tempora, sinè debitâ dispensatione, ipso facto fit suspensus, et si ministret, irregularis efficitur : a quibus pœnis absolvere vel in eis dispensare potest Episcopus, si delictum sit occultum; si verò sit publicum, an tunc sit recurrendum ad Sedem Apostolicam, controvertitur. Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 183; Phillipps, *ib.*, p. 472; Ferraris, v° *Ordo*, art. 4, n° 19.

Præfatam suspensionem esse tantùm *ferendæ sententiæ*

dicit Collator Andeg., tom. 11, p. 180 et 182; sed Ferraris, *ib.*, n° 16, meritò contradicit, ob Constit. Pii II, incip. *Cùm ex sacrament.*: « Unde, inquit, non sunt ampliùs » attendenda jura antiqua, in cap. *Sanè* 2, cap. *Quidam* » 8, *de temp. ord.* »; ex quibus colligebatur tales ordinatos suspendendos esse per sententiam, non verò esse ipso facto suspensos. De ea suspensione silet C. *Apost. Sedis.*

2042. Resp. 3° Qui duos ordines sacros confert eâdem die etiam regularibus, suspensionem à collatione ordinum incurrit. Sed disputatur an hæc suspensio sit latæ vel ferendæ sententiæ. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 184, 14°; Ferraris, v° *Ordo*, art. 4, n° 40. De ea etiam silet C. *Ap. Sedis*

Qui recipit duos ordines sacros, eodem die, vel duabus diebus continuatis extra tempora, sinè licentiâ, suspensus est ab ultimo; et plures DD. sustinent eum esse quoad utrumque suspensum. Vide Bouix, *ib.*, n° 15; S. Liguor., lib. 6, n° 796; *Ordonn. de Valence*, p. 336, 6°.—Suspensio hæc suppressa est à Pio IX C. *Apost. Sedis.*

2043. Qui, eâdem die, quatuor minores ordines simul cum subdiaconatu susciperet, peccaret quidem graviter, nisi adesset consuetudo in contrarium, sed probabiliùs suspensionem non incurreret, quia de eo jura silent. S. Liguor., lib. 6, n° 797: irregularis tamen fieret quoad superiores ordines suscipiendos: ex cap. 2, *De eo qui furt.*, S. Liguor., *ib.*

Conferens, eâdem die, ordines minores et subdiaconatum, nullas pœnas incurrit ipso facto. Ferraris, v° *Ordo*, art. 2, n° 17. Vide dicta (2031).

Non observans interstitia, peccat quidem graviter; sed probabiliùs suspensionem non incurrit. S. Liguor., lib. 6, n^is^ 795 et 796; Ferraris, v° *Ordo*, art. 4, n° 46.

§ V.

De examine et proclamationibus ordinandorum.

2044. — I. Quoad examen: 1° Certum est Episcopum, antequam subditos suos ordinet, teneri per se vel per alios, diligenter eos examinare, non tantùm circa doctrinam, sed

etiam quoad genus, personam, ætatem, mores et fidem, nisi sint saltem licentiati, ut dicit Phillipps, *Du droit ecclés.*, t. 1, p. 304; vel nisi aliunde sit certus de illorum idoneitate, per propriam notitiam vel communem opinionem, ut ait S. Liguor., lib. 6, n° 792.

2° Examen illud peragere debet non solus, sed sibi adscitis ad id peritis et idoneis viris, ut vult Concil. Trident. (sess. 23, c. 7).—Ad idem examen tenetur Episcopus, etiam casu quo per semetipsum subditos non ordinat, sed ad alium Episcopum eos dimittit ordinandos.

2045.—3° Quando verò Episcopus ordinat subditos alienos venientes cum debitis dimissoriis, ad præfatum examen non tenetur, quia ordinandi supponuntur sufficienter examinati et approbati; posset tamen eos iterùm examini subjicere, juxta S. Cong. Conc. 17 jan. 1693, ap. Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 12, c. 8, n° 7.

2046. —4° Certè, si velit, Episcopus potest religiosos, antequam illos ordinet, examinare (Conc. Trid., sess. 23, c. 12); sed potest etiam, juxta S. Liguor., lib. 6, n° 792, eos sinè examine ordinare, acquiescendo testimonio suorum Prælatorum. *Analect. jur. Pontif.* (mars 1857, col. 2769, n° 100) dicunt tamen Episcopum non posse se abstinere à præfato examine, ob dispositiones Concil. Trident., in loco citato, ubi dicitur : « Regulares... non sinè diligenti examine ordinentur : privilegiis quibuscumque, quoad hoc, » penitus exclusis. » Sed hæc verba non videntur impedire quominus Episcopus possit, si velit, assentire judicio Prælatorum quando est certus quòd benè judicaverint.

De quibusnam examinari debeant ordinandi, vide Phillips, *Du droit ecclés.*, t. 1, p. 302.

2047. « Regulares, si fuerint ab Episcopo diœcesano in » examine reprobati, non possunt à suis Superioribus mitti » ad alios Episcopos pro ordinibus suscipiendis; et si hoc » faciant, ultra pœnas in... Decreto Clementis VIII (15 mart. » 1595) quas incurrunt Superiores regulares, Episcopus » non diœcesanus sic eos ordinans, à collatione ordinum » per annum erit suspensus, et ordinati à susceptorum » ordinum executione suspensi erunt, quamdiù Episcopo

» diœcesano expedire videbitur..., ut S. Congr. respondit.., » 14 maii 1620... Sed, si rejiciantur, debent recurrere » per viam appellationis ad legitimum Superiorem. Ead. » S. Congr., 23 apr. 1604. » Ita Ferraris, v° *Ordo*, art. 3, n° 67. De his v. Const. *Apost. Sedis*, susp. III, etc.

2048. **Quærit. Qualis scientia requiratur ad susceptionem ordinum?**

Resp. 1° Promovendi ad primam tonsuram, fidei documenta edocti esse debent et scire legere et scribere. (Trid., sess. 23, c. 4, *de ref.*)

2° Initiandi ad minores ordines, saltem linguam latinam intelligere debent. (Trid., sess. 23, c. 11, *de ref.*)

3° Ad subdiaconatum et diaconatum assumendi, debent in litteris et in iis quæ ad ordinem exercendum pertinent esse instructi. (Trid., *ib.*, c. 13.)— Licitè autem potest ordinari subdiaconus, vel admitti ad beneficia, licet adhuc nesciat ordinare suum officium, si probabiliter præsumi potest de brevi ipsum instructum iri, et promittit. Ita S. Liguor., lib. 6, n° 790.

4° Pro initiandis ad sacerdotium, vult Conc. Trident., *ib.*, c. 14 et 25, *ut ipsi ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium ad salutem, ac ad administranda sacramenta diligenti examine... idonei comprobentur*. Quomodo hæc sint intelligenda, vide dictum ap. S. Liguor., lib. 6, n° 791.

2049. Circa hæc adverte « quòd esto Episcopus licitè » possit petentes ordinare, si eam afferant scientiam » quam Trident. requirit, per hoc tamen non ideo ei » prohibetur quominus majorem exigat scientiam à suis » subditis (nam pro alienis aliter sentiendum), maximè si » illi ordinentur ad ecclesiam amplæ civitatis : quia Con- » cilium... non prohibuit, quin Episcopi majorem scien- » tiam requirant, nisi necessitas loci aliud omninò pos- » tularet. » S. Liguor., lib. 6, n° 792.

2050. « Benigniùs... agendum est cum iis qui Religio- » nem professi sunt vitæ comtemplativæ, ut sunt Camal- » dulenses, Carthusiani et similes. »

« Commune est inter DD. sufficere quòd isti sciant

» legere (seu intelligere) linguam latinam et canere, ac » ea quæ pertinent ad sacrificium...

» Difficultas an idem dici valeat pro religiosis... qui sunt » ad vitam activam destinati? Negant Ledesma..; sed com» munissimè affirmant Salmant... Ratio quia si alia (ne» cessaria) ignorent, possunt postea ex suis ea addiscere. » S. Liguor., lib. 6, nº 791. Vide etiam D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 210.

2051. — II. *Quoad proclamationes ordinandorum*, hæc statuit Trident., sess. 23, c. 5, *de ref.:* « Qui ad singulos » majores (ordines) erunt assumendi, per mensem ante » ordinationem, Episcopum adeant, qui parocho aut alteri » cui magis expedire videbitur, committat ut, nominibus » ac desiderio eorum qui volunt promoveri publicè in » ecclesiâ propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, » ætate, moribus et vitâ à fide dignis diligenter inquirat : » et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam con» tinentes ad ipsum Episcopum quàmprimùm transmit» tat. »

2052. « Hæc publicatio, inquit auctor *Prælect. S. Sul» pit.*, nº 300, fieri debet in loco nativitatis ordinandorum, » et in eo loco ubi parentes, saltem ab anno, domicilium » habent. Si clericus sedem (domicilii) mutaverit, fieri » adhuc debet ubi plurimos annos commoratus fuerit, » juxta præscriptum Constit. Innoc. XII, *Speculatores*. »

2053. Præfatum statutum Concil. Trident. in desuetudinem devenisse asserit D. Phillipps opere jam citato, t. 1, p. 302. Observatur tamen in pluribus Galliæ diœcesibus, et innovatum fuit in recenti Concilio Avenioniensi anni 1849, sed tantùm *unâ vice pro subdiaconatu et alterâ pro presbyteratu:* nihil verò Concilium præcipit pro diaconatu. Vide acta ejus Concilii, p. 62.

Proclamationes non sunt faciendæ pro minoribus ordinibus; sed ad hos ordines promovendi, bonum à parocho et à magistris scholæ, in quâ educantur, testimonium habere debent, ex Concil. Trident., sess. 23, cap. 5.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

2054. « Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei » cultum assiduè instruat quàm eorum vita et exemplum » qui se divino ministerio dedicârunt; cùm enim à rebus » sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos » tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque » sumunt quod imitentur: quapropter sic decet omnino » clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos » omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, » aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum » ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, » quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones » cunctis afferant venerationem. »

Hæc sunt ipsissima Conc. Trid. verba, sess. 22, cap. 1, *de ref.*, ubi deinde innovantur antiquæ SS. Pontificum Constitutiones et canones Conciliorum de vitâ et honestate clericorum.

Quæ in hoc capite dicturi sumus, in duobus articulis comprehendemus : in 1° articulo agetur de vitandis à clericis : in 2° de iis quæ ab ipsis sunt præstanda.

2055. Notandum autem leges, aliquid clericis præcipientes vel prohibentes, intelligendas esse potissimùm de clericis in sacris constitutis vel beneficium possidentibus ; quoad cæteros verò clericos : vel ad eos hujusmodi leges non pertinent, vel saltem eos sub gravi non solent obligare, nec nisi sub pœnis ab iisdem determinatis.

ART. I.

DE VITANDIS A CLERICIS.

2056. A clericis vitanda sunt : 1° quædam professiones vel artes aut actiones quæ statum clericalem dedecent ; 2° oblectamenta quæ aliquid dedecoris vel periculi habent ; 3° quædam quæ scandalum aliis generare possunt, ut cohabitatio cum personis indebitis, luxus sæcularis, etc.

§ I.

Professiones et artes à clericis vitandæ.

2057. — I. Officia quæ clericis prohibentur, sunt judicis in causâ sanguinis, advocatorum, tabellionum seu notariorum, tutoris, curatoris aut procuratoris pupillorum, et qualecumque officium ministerii publici ex quo teneantur rationes reddere de justitiâ vel de bonis administratis. « Nemo militans Deo », inquit Apostolus, « implicat se » negotiis sæcularibus. » (2 ad Timotheum, cap. II, v. 4.)

2058. Possunt tamen esse administratores locorum piorum, aut viduæ aut pupilli indigentis: ex cap. *Pervenit* 1, c. 21, q. 1 ac cap. *Indicatum* 5, dist. 90.

Illicitum verò est clericis procurationem gerere personæ sæcularis privatæ non miserabilis, cum obligatione rationes reddendi : cap. *Sed nec* 4, *ne clerici vel mon.* Vide S. Liguorium, lib. 3, nº 838, qui tamen non *audet damnare de mortali clericum qui ob talem procurationem sua ministeria non negligit : maximè si id non faceret avaritiæ causâ, sed ad decentiùs statum suum et familiæ conservandum.*

Consuetudine autem inductum fuit, ut clerici officio Cancellarii, Consiliarii, imò et judicis in causis civilibus fungi possint. Vide S. Liguor., lib. 4, nº 190, et dicta supra (1926).

Auctor verò *Prælect. S. Sulpitii*, nº 320, « *non arbitratur contrarium esse disciplinæ ecclesiasticæ...,* si clerici » comitiis municipiorum, aut provinciæ interfuerint, » modò non assumant gestionem rerum temporalium, nec » cæteroquin desint officiis propriis sui statûs. »

2059. Etsi, ut diximus, officium advocatorum clericis prohibeatur, ipsis tamen advocare licet pro Ecclesiâ, vel pro personis conjunctis intra quartum gradum, aut pro miserabilibus personis, orphanis nempe et viduis qui defensorem non invenirent.

Clerici autem in minoribus licitè possunt, in quocumque foro, causas civiles tueri, et etiam reis in criminalibus patrocinari. Monachis permissum est, ex licentiâ Prælati

causas tueri monasterii. Vide S. Liguor., *Homo Apostol.*, tract. 13, n° 60.

2060. Olim clerici, in judicio (secus extra judicium), non poterant jurare laicorum more; sed nunc et ipsi jurant *de calumniâ*, modò cum veniâ S. Pontificis si Episcopi sint; cum veniâ autem proprii Antistitis, si sint clerici inferiores. —Hoc inter clericos et laicos discrimen est quòd isti tactis, illi verò propositis evangeliis jurant. Vide Devoti, t. 3, tit. 7, § 3. Observat autem Lequeux, n° 554, quòd à longo tempore hujusmodi legum observatio non urgeatur.

2061. — II. *Quoad artes:* prohibentur macellariorum, tabernariorum, joculatorum, quorum etiam ludis interesse vetantur. (Clement. *Diœcesanis*, *de vitâ et honestate clericorum.*)

Item medicorum aut chirurgorum, ubi opus est incisione aut adustione, nisi erga pauperes aut propinquos, aut in necessitate. (S. Liguor., lib. 4, n° 189.) « Nec ullam chi- » rurgiæ artem, subdiaconus, diaconus vel sacerdos exer- » ceat quæ adustionem vel incisionem inducat. » Ita Concil. Lateran. III (cap. *Sententiam* 9, *ne clerici*). Veriùs est juxta S. Liguor., lib., n° 385, in illo canone non comprehendi beneficiarios qui in sacris non essent: nec propriè in illam legem offendit qui consulit ut membrum abscindatur, imò qui opem præstat abscindenti. — Lequeux, n° 551. Vide supra (1838).

2062. Exercitium medicinæ, ubi incisione aut adustione non est opus, in jure canonico non vetatur, benè tamen à jure naturali ei qui satis non est peritus.

Studium tamen medicinæ uti etiam juris civilis, prohibitum fuit primùm ab Alexandro II, in Concilio Turonensi (cap. *Magnoperè*, *ne clerici*, etc.); deinde hæc prohibitio per Honorium III (cap. *Super speculam* , *ne clerici vel monachi*), extensa fuit ad omnes Archidiaconos, Decanos, Præpositos, cantores, presbyteros, sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ; in quâ tamen comprehendi non censentur clerici diacono inferiores, nec ii qui hujusmodi scientiis privatim et non publicè in Universitatibus vacant. Vide Phillipps, opere citato, tom 1, p. 504, etc.; S. Liguor.,

lib. 4, nº 132, versùs finem; Bouix, *De Judiciis*, **tom. 2**, p. 22. Sed excommunicatio nunc est suppressa.

2063. In exercitio autem medicinæ, cavendum est ut non offendatur in leges civiles illud prohibentes. Lex enim 19 ventosi an. XI, sic decernit: « Art. 23. Six mois après la » publication de la présente loi, tout individu qui conti- » nuerait d'exercer la médecine ou la chirurgie, ou de » pratiquer l'art des accouchements, sans avoir le diplôme » de réception, sera poursuivi et condamné à une amende » pécuniaire envers les hospices. »

Idem est dicendum de exercitio pharmaciæ : hæc enim habet lex 2 germinalis an. XI (11 apr. 1803) : « Art. 25. » Nul ne pourra préparer, vendre ni débiter aucun médi- » cament, s'il n'est reçu suivant les formes voulues...

»...Art. 35. Tout débit au poids médicinal, toute distri- » bution de drogues (etiam gratuita) et préparations mé- » dicamenteuses, sont sévèrement prohibés. » Vide *Journ. des Fabr.*, tom. 8, p. 346.

2064. Non autem censentur medicinam exercere parochi consilia et auxilia parochianis suis ægrotantibus præbentes : « pourvu » inquit decisio Consil. Statûs (30 sep. 1805) approbata à Napoleone, « qu'il ne s'agisse d'aucun acci- » dent qui intéresse la santé publique, qu'ils ne signent » ni ordonnances, ni consultations, et que leurs visites » soient gratuites..; puisqu'ils ne font que ce qui est per- » mis à la charité de tous les citoyens... » Vide Lequeux, nº 553, in *notâ*; *Prælect. S. Sulpitii*, nº 319, in *notâ*. »

2065. — III. Actiones clericis prohibitæ sunt : 1° *armorum gestatio :* « Clerici arma portantes et usurarii excom- » municentur. » Ita fert cap. *Clerici*, *de vitâ et honest. cleric.* Exhinc infert Abbas peccare mortaliter clericos arma prohibita deferentes (Apud Reiffenst., lib. 3, tit. 1, nº 118). — Excipitur tamen casus quo clericus justam haberet causam timendi; v. g. si iter faceret per loca latronibus infestata : *quia vim vi repellere omnia jura permittunt.* — Hodie tamen non videtur de se *sub gravi* clericis vetitum ne arma deferant : id non esset grave nisi ex adjunctis, v. g., ob scandalum aut alia hujusmodi : et hoc

deduci posse videtur ex iis quæ S. Liguor., dicit de venatione, lib. 3, n° 606.

2066.—2° *Participatio exsecutioni sententiæ sanguinis:* sic enim ait Conc. Later. III (cap. *Sententiam*, *ne clerici*, etc.): « Sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat, » sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur » intersit. Nec quisquam clericus litteras dictet aut scribat » pro vindictâ sanguinis destinandas. »

« Hic canon (quoad assistentiam suppliciis) vel est abrogatus (inquit S. Liguor., lib. 7, n° 463), vel tantùm venialiter obligat, ut docent Bonac., Salm..; ac Cont. Tourn. » testatur esse communem sententiam id non excedere » venialem culpam : imò Navarr. et Avila censent minimè » in hoc peccare clericos in minoribus. » Vide dicta supra (1948), et Lequeux, n° 550.

2067. — 3° *Negotiatio* : « Sub interminatione anathe» matis, prohibemus ne monachi, vel clerici causâ lucri » negotientur ; et ne monachi vel clerici à clericis vel » laicis suo nomine firmas (*fermes*) habeant. » Ita Ale» xand. III, cap. *Secundùm* 6, *ne clerici*. Juxta Bullam Clem. XIII mox citandam, excommunicatio et aliæ pœnæ ipso facto incurruntur. Sed suppressa fuit excomm., missionariis pro India tamen exceptis, juxta declar^m^. S. Officii 4 dec. 1872; approb^m^. à Pio IX.

Per negotiationem autem à canonibus vetitam, intelligitur *actus quo quis rem sibi comparat eo animo ut integram et non mutatam cariùs vendendo vel permutando, lucretur.* S. Liguor., lib, 3, n° 831.— Communiter docetur negotiationem prohiberi tantùm clericis in sacris constitutis, vel beneficiatis et religiosis *professis*, qui omnes peccant mortaliter si multam negotiationi dent operam, et incidunt in suspensionem et excommunicationem, juxta S. Liguorium; non verò peccaret graviter clericus bis vel ter exercens negotiationem non turpem, nec in magnâ quantitate; quia jura loquuntur *de exercente* : nec eum etiam peccare graviter tenent probabiliter quidam ap. eumdem etiamsi semel in materiâ gravi negotietur. — S. Liguor., lib. 3, n° 831.

2068. Plures affirmarunt graviter non peccare clericos per alios negotiantes, dantibus ipsis pecuniam, aliis verò industriam suam ponentibus; et hoc sat probabile putat

Lequeux, n° 555, in fine. Sed hodie oppositum est omninò tenendum ex Bullâ Bened. XIV *Apostolicæ*, in quâ pœnæ clericis illicitè negotiantibus inflictæ, extenduntur etiam *ad clericos illicitè* (verba Bullæ), *sub alieno laici nomine, quomodolibet negotiantes, perinde ac si per seipsos*, *ac propriè eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent.*

Idem constat ex Bullâ Clementis XIII *Cùm primùm*, 27 sept. 1759, ubi insuper statuitur quòd etiamsi familiæ adsit necessitas, clericus nequeat negotiari sinè dispensatione Sedis Apostolicæ, si sit intra Italiam; Episcopi verò, si extra Italiam. Præterea addit quòd, si de aliquo contractu exoriatur dubium an licitè possit à clerico iniri, expeditissimam esse viam scribendi ad S. Congreg. Concilii quæ dubium solvat. Declarat insuper clericis vetitum esse *cambium activum*. Apud S. Liguor., lib. 3, n° 833; Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 10, cap. 6, n^is^ 4 et 5.

Juxta *Analecta jur. pontif.* (mars 1857, 19e livr.), proposita fuit sequens quæstio S. C. Episcop. et Regul.: « Est-il » licite aux ecclésiastiques, élevés aux ordres majeurs et » possesseurs de bénéfices, d'acquérir les actions de la » banque commandite de *N*... dans le cas... » Et responsum fuit: *Non licere*. Nescio igitur quo fundamento dicatur in *Prælect. S. Sulpitii* (n° 325): « Si autem (clericus) pecu- » niam apud mercatores collocet, fructum fixum vel inde- » terminatum... recepturus; item si emat actiones in » societatibus quæ gallicè dicuntur *en commandite*, non repu- » tatur negotiari. » Hæc manifestè adversari videntur, sive modò dictæ declarationi S. Congreg. Episcop., sive supra relatæ Constitut. Bened. XIV, *Apostolicæ.*

Meritò igitur ex his (licet D. Bouix contradicat, *Revue des sciences ecclésiast.*, n° 11, p. 444, etc.) concludendum cum auctore publicationis *Revue théologique*, clericis in sacris illicitum esse emere actiones societatum negotiantium aut cambiorum : *Acheter des actions dans les compagnies de commerce ou de banque.*

2069. Quoad negotia à laicis incepta, si ad clericum quovis titulo deferantur, statim sunt dimittenda, juxta Bullam *Apostolicæ* modò citatam; si autem dimitti non possint sinè

detrimento, permittitur continuatio, sed solùm ad tempus, et per interpositam laici personam, de licentiâ tamen S. Congreg. Concilii intra Italiam, aut Ordinarii extra Italiam. Vide S. Liguor., lib. 3, n° 832.

2070. Item in gravi, propriâ vel suorum, necessitate, pro servandâ statûs decentiâ, non est illicitum clerico negotiari. S. Liguor. (*ib.*, n° 837).

Item, positis ponendis, licet eis negotiari propter curam pupillorum aut viduarum. Vide Reiffenst., lib. 3, tit. 1, n° 126.

2071. Non solùm clericis negotiatio prohibetur, sed, juxta Concil. Chalced. (Cap. *Pervenit*, causa 21, q. 3), certum est ipsis et religiosis illicitum esse conducere agros alienos ad vendendos fructus, quod quædam negotiationis species videtur. Non tamen illicitum est clerico emere agrum cum fructibus jam maturis, et illos vendere: quia tunc fructus proprii agri venduntur.

Juxta sententiam communem, licitum est clerico pecora vel porcos emere ut vendat saginatos, vel ut fœtibus, lacte, lanâ lucrum faciat, modò in prædiis propriis animalia alantur; si verò ad hoc conducerentur prædia aliena, hoc illicitum esset, ex præfato Concilio Chalcedonensi, nisi alicubi vigeret contraria consuetudo. Vide S. Liguor. (lib. 3, n° 835).

Non autem peccat clericus qui id, quod ad proprios usus emerat, postea, vel quia non indiget vel mutato consilio, cariùs vendit.

Item licet clericis emere ferrum ad vendendos gladios, lanas ad vendendum pannum, modò ipsi ea conficiant, non verò per operarios conductos : quia aliter hoc valdè ad negotiationem accederet. S. Liguor., *ibid.*, n° 836.

§ II.

Oblectamenta clericis prohibita.

2072. Oblectamenta clericis prohibita sunt : 1° *Venatio*, de quâ sic habet, cap. 1, *de Clerico venatore :* « Episcopum,

» presbyterum aut diaconum canes aut accipitres aut hu-
» jusmodi ad venandum habere non licet : quòd si quis
» talium personarum in hâc voluptate sæpiùs detentus
» fuerit; si Episcopus est, tribus mensibus à communione;
» si presbyter, duobus; si Diaconus ab omni officio sus-
» pendatur. » Cap. 2 ejusdem tituli prohibitionem extendit ad omnes servos Dei, id est ad omnes clericos et religiosos. Vide Concil. Trident., sess. 24, cap. 12.

2073. Duplex est genus venationis : una *clamorosa*, alia *quieta :* Illa magno armorum, canum, accipitrum apparatu et tumultu exercetur, ut apri, cervi et majores feræ capiantur; altera solis laqueis et retibus, aut etiam armis, sed paucis adhibitis canibus, ad occidendum lepores, vulpes aliasve minores feras, sinè ullo strepitu instituitur. Vide *De Syn. diœces.*, lib. 11, cap. 10, nº 8.

2074. Juxta communiorem sententiam, sola venatio clamorosa clericis est interdicta, et deduci posse videtur ex Concil. Trident. (sess. 24, cap. 1) Canonicis præscribente « ut ab *illicitis venationibus*, *aucupiis*, *choreis*, etc., absti-
» neant. » Unde à Concilio non omnes venationes illicitæ supponuntur; ergo saltem *quietæ* licitæ sunt : contradicit tamen Phillipps (opere jam citato, tom. 1, p. 509), juxta quem Concilium intelligi potest de omnibus venationibus; et licet sententia S. Liguorii communior sit, « opposita
» tamen, inquit Bened. XIV (*De Synodo*, lib. 11, cap. 10,
» nº 9), videtur certè juri conformior, si quidem allegati
» canones à venatione clericos arcent, quæ non armis, sed
» solis avibus venatoriis, puta falcone aut accipitre, ac
» propterea sinè ullo... strepitu exercetur, uti illos legenti
» est manifestum. » Ita Benedictus XIV, qui exinde (nº 10) concludit *non posse nimiæ severitatis notâ aspergi synodalem Constitutionem ablegantem clericos, præcipuè majorum ordinum, aut ecclesiasticum possidentes beneficium, a venationis exercitio.*

2075. Quidquid de his sit, venatio, etiam clamorosa, juxta S. Liguor. (lib. 6, nº 606), non vetatur sub gravi, nisi sit frequens, et insuper sit cum scandalo, vel magnis impensis. Ita Lessius cum aliis multis. Imò, juxta Layman,

talis venatio omni culpâ vacat, si sit rara, moderata, vel fiat causâ necessitatis vel exercitii.

2076. Strictiùs venatio clamorosa vetatur religiosis (Clement. I, § *Porrò*, *de statu monachi*); sed in iis, præciso scandalo, non est peccatum mortale, juxta Palaum; et hoc admittunt Salmanticenses, si bis vel ter contingat, sinè magno strepitu. S. Liguor., lib. 3, n° 606.

2077. Speciali capite clericis prohibetur venatio quæ armis fit; cùm iis, ut supra diximus (2065), illicitum sit arma deferre. Vide *Theol. Tolosan.*, tom. 6, *de obligation.*, pars 2, diss. 2, cap. 2, sect. 2; Lequeux, n° 559, qui ex Collatore Andegavensi, ait: « Secundùm præsentem Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam, venationem illam quæ fit cum sclopeto et uno aut altero cane, haberi ut clericis prohibitam, et scandalum parere quando eidem frequenter vacant clerici. »

2078. *Piscatio* autem nullo canone interdicitur [1]. Sic enim habet canon *Esau*, dist. 86: « Esau venator, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus, in Scripturis sanctis, Sanctum aliquem venatorem; piscatores invenimus sanctos. » Vide Lequeux, n° 559, in *notâ*.

2079. — 2° *Tabernarum frequentatio:* ut constat ex cap. *Clerici*, *de vitâ et honest.*, desumpto ex Concil. Later. IV, ubi Innocentius III sic decernit: « Clerici... tabernas prorsus evitent, nisi fortè causâ necessitatis in itinere constituti. »

Tabernarum nomine intelligitur locus ubi cuicumque adventanti, vinum, liquores, cibi, etc., venduntur, ibique sumuntur. Ita communiter, juxta Lequeux, n° 560.

Præter mortale peccatum quod clerici committunt, manducando vel bibendo in tabernis, extra casus à lege exceptos, suspensionem insuper in plerisque diœcesibus incurrunt ipso facto [2].

[1] Videntur ergo errare Statuta diœces. Valentin. contrarium asserentes, p. 8.

[2] Hæc disciplina viget in hâc diœcesi Valentinensi, ubi sub pœnâ suspensionis ipso facto incurrendæ, omnibus clericis in sacris constitutis prohibetur ne, sub quocumque prætextu, edant vel bibant in tabernis, cafeis etc., nisi sint in itinere, in loco unâ leucâ distante à loco domicilii, et itineratio non fuerit assumpta ad eludendam præfatam prohi-

2080. Non videntur existere leges generales convivia nuptiarum, natalitiorum vel funerum clericis vetantes. Consulenda sunt tamen de his statuta unicuique diœcesi propria. Pro nuptiis, vide etiam Concil. Agathens., canon *Presbyter*, dist. 34.

Cavere autem debent clerici ne alios ad æquales potus obligent: quod sub interminatione suspensionis in Concil. Lateran. IV prohibetur. Vide cap. *A crapulâ* 14 *de vitâ et honest.*, etc.

2081. — 3° *Alearum ludi :* sic enim habent can. 41 et 42 Apostolorum : « Episcopus aut presbyter aut diaconus » qui aleæ indulget vel desinito vel deponitor. »

« Subdiaconus, cantor, lector qui consimilia facit, vel » desinito, vel à communione sejungitor; similiter etiam » laicus. » Communiter autem dicunt DD. quoad laicos, huic canoni consuetudine derogatum fuisse. (S. Liguor., lib. 3, n° 885.)

Item in cap. *Clerici* 15, *de vitâ et honest.*, etc., extracto à Concil. Lateran. IV, sic ait Innoc. III : « Clerici ad aleas » et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. » —Per aleam autem intelligitur ludus qui soli fortunæ innititur.

2082. Advertendum quòd canones, ludos alearum vetantes, solos concernant clericos in sacris constitutos, beneficiatos ac religiosos : quia his legibus, quatenus alios clericos spectant, consuetudine derogatum fuit, uti etiam quatenus laicos concernunt. (S. Liguor., lib. 3, n° 835.)

2083. Idem S. Liguor. (lib. 3, n° 899, etc.) dicit 1° non peccare graviter clericos qui rarò, moderatè et privatim sinè scandalo aleis ludunt. Imò probabiliter, nec venialiter peccare, si, recreationis causâ, ludant in loco ubi præfati canones non rigidè observantur ; secus, si frequenter et per longum tempus, etsi in parvâ quantitate. Ita communis-

bitionem. Hujusmodi autem prohibitione non comprehenditur casus quo clericus manducaret vel biberet in domo patris, aut matris, aut proximorum qui parentum vicem tenerent; nec casus in quo clericus invitaretur à domino tabernæ, cafei, etc., modò mensa in eâ parte domûs non pararetur in quâ diversitores recipiuntur. (Vide *Ord.*, p. 5.)

simè. Neque consuetudo id excusare potest : quia Pontifex (cap. *Inter dilectos, de vitâ et honest.*, etc.) illam vocat *corruptelam*, proinde omni tempore reprobandam. (S. Lig., *ib.*, n° 897.)

Qualis frequentia ludi habenda sit ut mortalis, Bordonius putat esse ludere semel in hebdomadâ ; sed Roncaglia meritò id judicat nimis rigidum. (S. Liguor., *ib.*)

2084. Dicit 2° S. Liguor. (*ib.*) sententias quæ damnant de mortali clericos aleis ludentes, non procedere in ludis chartarum quæ non sunt merè sortis, nisi alicubi esset specialis prohibitio, aut adesset scandalum, secus si essent meræ fortunæ.

2085. In his etiam est pensanda ludentium qualitas : nam S. Liguor. (lib. 3, n° 902) putat Episcopum ludentem ludo meræ sortis, etiam semel, vel frequenter aliis ludis chartarum non omninò fortuitis, difficulter posse excusari à gravi scandalo, proinde à gravi peccato : plures tamen auctores a gravi excusant Episcopum qui semel luderet causâ recreationis.

2086. Item, juxta plures, faciliùs peccatum evadit mortale quando ludentes aleis sunt religiosi reformati; unde Roncaglia, De Lugo, etc., tenent quòd Capuccini, Jesuitæ, Discalceati et similes, graviter peccarent semel his lusibus ludendo, præsertim si in suis Religionibus viam his aperirent. Quoad religiosos non tam arctæ observantiæ, probabiliter ipsi non peccarent graviter, ludendo etiam frequenter, in modicâ tamen quantitate, loquendo de chartis non meræ sortis, imò nec venialiter, si facerent ad solandum infirmum aut socium tristem : non verò si tantùm recreationis causâ : quia talis recreatio est per se indecens in statu religioso, nec consuetudine talis indecentia cohonestari potest. (S. Liguor., lib. 3, n° 901.)

2087. Non tantùm aleis ludere prohibetur, sed etiam assistere ludentibus, ut vidimus supra in capite *Clerici* (2081) ; communiter tamen hujusmodi assistentia non habetur de se ut culpa gravis, nisi esset causa ludi mortalis, vel negligeretur lusorum correctio, etc. — Ita S. Liguor. (lib. 3, n° 903).

2088. Quoad ludos permissos, parùm decet clericos iis in publico ludere : unde Concil. Mexicanum ait : « Scachis (*échecs*) aut aliis ludis permissis ne ludant (clerici) » in locis publicis aut in domibus quò ad id multitudo » hominum convenit, veluti in domibus.... tonsorum. Si » autem in occulto ludos licitos hujusmodi exercuerint, numerosa pecunia in eis non intercedat; aliter enim pro » qualitate excessûs corrigantur. » Vide *De Synod. diœces.* (lib. 11, cap. 10, n° 4), et Statuta diœcesis Valentin., p. 7 et 8.

2089. 4° *Choreæ*, *spectacula :* « Non oportet ministros » altaris spectaculis aliquibus quæ aut in nuptiis, aut in » scenis exhibentur, interesse. » Ita cap. *Non oportet* 27, *de consecrat.*, dist. 5. Cap. verò *Clerici*, *de vitâ et honest.*, sic habet : « Clerici... mimis, joculatoribus et histrionibus non » intendant. »

Tandem Concil. Trident. (sess. 22, cap. 1, *de ref.*) : « Quæ aliàs à SS. Pontificibus et à sacris canonibus de... « comessationibus, *choreis*, aleis, lusibus, etc.., sancita » fuerunt, eadem in posterum, iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. »

Ratio cur hæc clericis sint prohibita est, quia talia agere aut spectare nequeunt absque populorum scandalo et proprio peccandi periculo, præsertim contra castitatem quam tanto studio colere debent. Vide Theol. Tolos., *de obligationibus*.

§ III.

Prohibita clericis ob scandalum quod inde oriri posset.

2090. Hoc titulo duo præsertim clericis prohibentur : videlicet : 1° cohabitatio cum mulieribus et illarum suspecta frequentatio ; 2° luxus sæcularis.

I. Clericis prohibetur *cohabitatio cum mulieribus*, etc. ; sic generatim habet canon *Hospitiolum*, 17, dist. 32, ex S. Hieronymo desumptus : « Hospitiolum tuum, aut rarò, » aut nunquam mulierum pedes terant... Femina cons» cientiam secum pariter habitantis exurit : feminæ nomen » tuum noverint, vultum nesciant. » Canon verò *Cleri-*

cus 20, dist. 81 : « Clericus solus ad feminæ tabernaculum » non accedat. » Cap. autem *Clerici* 32, *ibidem*, sic ait : « Clerici vel continentes ad viduas vel virgines, nisi ex » jussu vel permissu Episcoporum aut presbyterorum, non » accedant. Nec ipsi Episcopi et presbyteri soli accessum » habeant ad hujusmodi feminas ; sed ibi aut clerici præ» sentes sint, aut alii graves christiani. » Hic canon præcipuè respicit personas Deo dicatas.

2091. Circa cohabitationem cum mulieribus, nonnulli severiùs de Episcopis sentientes, tenuerunt eos nullam mulierem, nequidem matrem aut sororem, secum habitare posse; sed, inquit Schmalzgrueber apud Bouix (*De Parocho*, tom. 2, p. 607) : « Cùm nulla talis prohibitio » reperiatur facta Episcopis.., ideo dicendum, etsi omninò » honestiùs et magis consultum sit ut hujusmodi... con» junctas... in domo aliâ separatâ habeant..., casu tamen » quo suspicio incontinentiæ et scandali periculum abest, » licitè eosdem posse intra eamdem domum, sed in con» clavibus distinctis, cohabitare matri et aliis feminis in » primo et secundo gradu conjunctis, cum ipsarum ancillis » et pedissequis.» Regulæ ergo generales, circa cohabitationem clericorum cum mulieribus, Episcopis sicut aliis clericis applicandæ sunt.

2092. De hâc cohabitatione primùm Magna Synodus Nicæna sic statuit : « Interdixit per omnia Magna Synodus non » Episcopo, non presbytero, non diacono nec alicui om» nino qui in clero est, licere *subintroductam* [1] habere » mulierem, nisi fortè aut matrem aut sororem aut ami» tam, vel eas tantùm personas, quæ suspicionem effu» giant. »

Ad quasdam alias personas licentiam extendit Concil. Carthag. III, anni 397 : sic enim dicitur in canone 17 : « Ut cum omnibus omninò clericis extraneæ feminæ non » cohabitent; sed solæ matres, aviæ et materteræ, amitæ, » sorores et filiæ fratrum aut sororum et quæcumque ex » familiâ, domesticâ necessitate, etiam antequam ordina-

[1] De significatione hujus vocis, vide Bened. XIV, *De Syn. diœcesanâ*, lib. 11, cap. 4, n^is 4-5 ; et Collat. Andeg., *Sur les Etats*.

» rentur, jam cum eis habitabant; vel si filii eorum jam » ordinatis parentibus, uxores acciperent; aut servis non » habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere neces- » sitas fuerit. »

2093. Præfatæ licentiæ revocatæ fuêre, etiam quoad matrem et sororem à variis Conciliis particularibus, apud Bened. XIV relatis (*De Syn.*, lib. 11, cap. 4, n° 6), nempe Forojuliensi, anno 791, Moguntino 888, etc. Sed hanc novam disciplinam plus æquo rigidam æstimans Innoc. III, Nicænam restituit his verbis : « Cum clericis quoque non » permittas mulierculas habitare, nisi fortè de illis per- » sonis existant, in quibus naturale fœdus nihil permittit » sævi criminis suspicari. » (Cap. *A nobis* 9, *de cohabit. cler. et mulier.*) — Hanc Innocentii III Decretalem pro lege universali habendam tenent DD. communiter, uti asserit D. Bouix, *De Parocho* (tom. 2, p. 608). Unde juxta eumdem communiter dicitur:

2094. — 1° Clerico licitum esse, regulariter loquendo, habitare cum feminis sibi in 1° et 2° consanguinitatis gradu conjunctis, nempe cum matre, aviâ, amitâ, materterâ, sorore, nepte.

2° Idem dicendum est de cohabitatione cum affinibus in primo gradu, videlicet cum novercâ, nuru et uxore fratris defuncti, insuper cum affinibus in secundo gradu, quando alter alteri reverentiam debet, v. g., cum uxore patrui, vel avunculi defuncti, etc. : ratio est quia illæ omnes sunt personæ in quibus, prout vult Innoc. III, *naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari.*

2095. — 3° Quando clericus licitè habitat cum prædictis sibi conjunctis, etiam ipsi licet habitare cum earumdem ancillis et pedissequis... : permittendo enim cohabitationem cum prioribus, canones etiam cum posterioribus eamdem permittere debent, cùm priores posterioribus indigeant. Ita Schmalzgrueber à D. Bouix citatus (*De Parocho*, ib., p. 610).

2096. Omnia hæc intelligenda sunt semper cum hâc limitatione quòd non adsit periculum vel scandalum. « Inhibendum est, ait cap. *Inhibendum*, *de cohabit. cle-*

» *ric.*, etc., ut nullus sacerdos feminas de quibus suspicio » esse potest retineat : *sed neque illas quas canones conce-* » *dunt*, matrem, amitam et sororem. »

2097. — 4° Non prohibentur clerici, etiam extraneas feminas sibi assumere, modò sint provectioris ætatis, honestæ famæ et extra suspicionem. Est enim communis interpretatio Decretalis Innocentii III, quòd renovaverit disciplinam à Concil. Nicæno statutam : porrò à Concilio Nicæno permissum est clericis ut mulieres possint secum habere quæ *suspicionem effugiant*. Ergo, etc.

2098. Quærit. 1° Cujus ætatis esse debeant ancillæ clericorum ipsis consanguinitatis aut affinitatis vinculo non conjunctæ?

Resp. Id à jure communi non fuisse mathematicè determinatum; unde est in hoc recurrendum vel ad propriæ diœcesis statuta, vel ad consuetudinem.—In hâc diœcesi Valentinensi, ipso facto, suspenduntur clerici in sacris constituti, qui cum ancillâ nondum 40 annum complente cohabitant, matre, sorore, amitâ, nepte exceptis. (*Ordonn.*, p. 10 et 338, 6°.)

2099. Quærit. 2° An possit Episcopus prohibere ne sui clerici cum ullâ feminâ omnino cohabitent?

Resp. Negativè ; quia Episcopi non possunt tollere facultatem à jure communi concessam. Hinc deceptos putat Benedict. XIV (*De Syn.*, lib. 11, cap. 4, n° 7) aliquot Episcopos qui se juri communi institisse existimârunt inhibendo clericis, ne *cum ullâ prorsus feminâ*, licet arctissimo sibi *consanguinitatis nexu obstrictâ*, *cohabitarent*.

« Non propterea tamen, pergit doctissimus Pontifex, » Constitutionem improbamus, quâ Episcopus omnem cum » mulieribus cohabitationem clericis interdicat, nisi ipse » priùs earumdem qualitatibus examinatis, illam pravâ » suspicione vacare compererit. » (*De Syn.*, ib., ubi legi potest Statutum S. Caroli Borromæi in eodem sensu, et quid ipsemet Benedictus XIV statuerit dum esset Bononiensis Archipræsul.)

Quoad pœnas latas contra clericos cum mulieribus con-

tra vetitum commorantes, vide dicta supra (559) et infra dicenda (6239-6265).

2100. — II. *Luxus sæcularis.* De luxu à clericis vitando innumeri canones loquuntur; quosdam seligimus: sic habet cap. *Clerici* 15, *de vitâ et honestate*, etc.: « Clerici...
» clausa deferant desuper indumenta, nimiâ brevitate, vel
» longitudine non notanda, pannis rubeis aut viridibus,
» necnon manicis aut sotularibus consuticiis [1], frænis,
» sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam su-
» perfluitatem gerentibus non utantur... Fibulas omnino
» non ferant [2]; neque corrigias auri vel argenti ornatum
» habentes; sed nec annulos, nisi quibus competit ex offi-
» cio dignitatis. »

Item cap. *Clericus* 8, dist. 41, ex Concil. Carthag. IV, anni 397 desumptum: « Clericus professionem suam et
» habitu et incessu probet, et ideo nec vestibus nec calcea-
» mentis decorem quærat. »

Idem Concilium de Episcopis ait (Cap. *Episcopus* 7, ib.):
« Episcopus vilem supellectilem et mensam ac victum pau-
» perem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide et vitæ
» meritis quærat. » Vide etiam *Cæremon. Episcoporum*, lib. 1, cap. 3.

Hi canones à Concil. Trident. (sess. 22, cap. 1, *de reform.*) confirmati fuère. Vide Reiffenst., lib. 3, tit. 1, n° 48, *in fine*.

2101. Vitandus tamen abjectus sordidusque habitus, tenendaque est regula à S. Ambrosio tradita (*De Offic.*, lib. 1): « Honestati et necessitati nihil desit: nihil accedat
» nitoris. » Vide Lequeux, n° 565.

Omittuntur plura alia quæ vitam honestatemque clerico-

[1] Juxta Du Cange, vox *sotulares* vel *subtalares* significat *souliers*. Vox autem *consuticii*, juxta eumdem, indicat *certam* rationem quæ vanitatem redolet; unde manicæ vel sotulares *consuticii* sunt verisimiliter *des manches* ou *des souliers brodés*.

[2] Multis argumentis demonstrat Bened. XIV non esse concludendum ex his verbis, prohibitum esse *usum fibularum* in calceis, quales hodie communiter in pluribus locis adhibentur. (*De Syn.*, lib. 11, cap. 4, n° 2.)

rum commaculant, quæque propterea sunt etiam ab ipsis sedulò fugienda.

ART. II.

DE IIS QUÆ A CLERICIS SUNT PRÆSTANDA.

2102. Jure divino forma omnium virtutum elucere debet in clericis: cùm, juxta Christum, sint *lux mundi* (S. Matth., c. 5, v. 14); juxta Principem Apostolorum, debeant esse *forma gregis* (1 Petr., c. 5, v. 3); et juxta S. Paulum, debeant esse *exemplum fidelium* in omnibus bonis operibus (1 Timoth., c. 4, v. 12; Tit., c. 2, v. 7).

Jure verò positivo, ad multa astringuntur, sed potissimùm ad tria: videlicet ad *delationem habitûs clericalis*, ad *continentiam et Horarum* recitationem. De duobus duntaxat prioribus hîc sermonem faciemus; de Horarum verò recitatione dicemus in lib. 2, tractando *de Officio divino.*

§ I.

De habitu et tonsurâ clericali.

PUNCTUM I.

DE HABITU CLERICALI.

2103. Quinque prioribus Ecclesiæ sæculis, discrepasse non videtur à laicali clericalis habitus: sic enim, anno 428, Papa Cœlestinus I, scribendo ad Episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis, quosdam sacerdotes arguebat qui, relicto habitu communi, *pallium* assumpserant philosophis proprium : « Discernendi à plebe vel cæteris sumus *doctrinâ*, non *veste; conversatione*, non *habitu; mentis puritate*, *non cultu.* » Vide *De Synodo,* lib. II, cap. 8, n° 1.

Mox tamen cœperunt clerici à laicis discerni exteriori corporis cultu; etenim S. Gregor. Turonensis qui sæculo VI vixit, eam mutationem in vestibus clericorum innuit in suâ Francorum historiâ, lib. 3, c. 14, inquiens : « Merevechus tonsuratus est, mutatâque veste, quâ clericis uti mos est, presbyter ordinatur. »

Idem potest colligi pro Ecclesiâ Orientali ex Synodo Trullanâ anni 688: « Nullus eorum qui in cleri catalogum

» relati sunt, vestem sibi non convenientem induat...; sed » utatur vestibus quæ eis, qui in clerum relati sunt, attri- » butæ fuêre. » (Can. 27.)

2104. Nondum tamen, juxta Thomassinum, colore, sed formâ tantùm discrepabant à laicalibus habitus clericales. Isti enim erant oblongi, ad talos usque ferè producti, ut deduci posse videtur ex variis Conciliis; siquidem vocantur *tunica sacerdotalis* à Synodo Romanâ anni 743, *casula* à Synodo Leptinensi [1] ejusdem anni: quæ utræque erant vestes talares.

Nota quòd hæc Concilia non videantur loqui de vestibus in sacris cæremoniis tunc adhibendis, sed de vestibus clericorum in usibus communibus usurpatis. (*De Synodo*, lib. 11, cap. 8, n° 1.)

In Concilio Martini Papæ, in fine canonis penultimi, distinct. 23, jubentur clerici *secundùm Aaron, talarem vestem induere.* (Est canon Martini ep. Bracarensis).

2105. A tempore autem Concilii Tridentini, Provincialia Concilia ferè omnia « clericos adegerunt ad gestandam ves- » tem talarem, et quidem *nigri coloris*, ad quem, ut Tho- » massinus observat, non erant antea certâ lege adstricti; » sed poterant, alio quolibet modo, decenti et modesto » uti. — S. Carolus Boromæus, in suo Concilio Provinciali » Mediolanensi I..., ait: *In omni vestitu color tantùm niger » adhibeatur:* Externa vestis simplex ac talaris erit. » — Ita Benedictus XIV, *De Synodo*, ibid., n° 3.

2106. Habitûs clericalis formam non omnino determinavit jus commune; sed in cap. *Clerici* 15, *de vitâ et honestate*, etc., dicitur tantùm: « Clerici... clausa deferant desuper in- » dumenta, nimiâ brevitate vel longitudine non notanda. »

Concilium verò Tridentinum (sess. 14, cap. 6) ait ad Episcopum pertinere ipsius formam assignare; vult enim ut clerici deferant « honestum habitum clericalem, illorum » ordini ac dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi » ordinationem et mandatum [2] ».

[1] *Leptines*, seu *Liptines* : « Maison royale en Hainault », juxta *Dictionnaire des sciences ecclésiastiques*, de Richard.

[2] Statuta diœcesis Valentinensis sic vestem talarem definiunt:

Et reverà « Sacra Congregatio Concilii, consentaneè ad » Conciliarem hanc Sanctionem, consuevit rata habere » Episcoporum decreta... quibus talaris vestis gestatio fue- » rat clericis injuncta. » Ita in causâ *Bisacciensi*, 1 martii 1738, apud Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 334.

2107. Non debent tamen Episcopi formam vestis clericalis decentem, consuetudine generaliter receptam, sinè justâ causâ immutare; unde D. Bouix (*ibid.*, p. 335) non approbaret prohibitionem illius ornamenti apud nos à longo tempore usitati, quod vocatur *rabat*, nec innovationes in formâ petasi qualis in Galliâ adhibetur.

2108. Sed non est improbandus Episcopus qui, ea quæ Prælatitiæ Dignitati propria sunt (caudam, v. g., in veste talari), clericis non Prælatis vetaret (*ib.*). De quo legendus est canon 2 Concilii Toletani anni 1324, ubi dicitur: « Nullus » clericus supertunicale, vel tabardum[1] deferat ita longum » quòd si ad pedes contingat, nullatenus tamen per terram » trahatur; cùm hæc non honestas, sed superfluitas et in- » decentia censeatur. » (Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 11, c. 8, n° 2.)

2109. Quærit. 1° Quasnam pœnas incurrant clerici vestem talarem juxta formam ab Episcopo præscriptam non deferentes?

Resp. Episcopum posse clericos, per suspensionis pœnam, imò per officiorum et beneficiorum privationem, si semel correpti non obtemperaverint, adigere ad servandas suas circa clericalem habitum ordinationes. Illud constat ex Concilio Tridentino (sess. 14, c. 6), ubi dicitur: « Omnes ecclesiasticæ personæ, quantumcumque exemp- » tæ, quæ aut in sacris fuerint.., aut... officia aut benefi- » cia... obtinuerint, si, postquam ab Episcopo suo, etiam » per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habi- » tum clericalem, illorum ordini et dignitati congruentem, » et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non

« Quand nous disons la soutane, nous entendons parler de l'habit long » connu sous ce nom, qui se prolonge jusqu'aux talons, et se ferme » par devant avec des petits boutons. » (*Ordonnances*, p. 5.)

[1] *Tunica*, juxta Du Cange.

» detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio et » beneficio..., necnon, si semel correpti, denuò in hoc » deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum hujusmodi coerceri possint ac debeant. Constitutionem Clementis V, in Concilio Viennensi editam, » quæ incipit *Quoniam*, innovando et ampliando. »

2110. Cavendum tamen est à nimio rigore, præsertim à censuris *ipso facto* decernendis. Unde Sacra Congregatio Concilii, in causâ *Spoletanâ*, 16 januarii 1764, declaravit: « Ab Edicto Episcopi delendas esse contra inobedientes: » videlicet quoad sacerdotes, pœnas suspensionis ipso » facto incurrendæ; quoad clericos, pœnam quòd non » possint promoveri ad Ordines Sacros, nec admitti ad » beneficia...; et loco prædictarum pœnarum mulctandos » esse... et in subsidium pœna suspensionis et interdicti » ferendæ sententiæ. » (Apud D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 337.)

2111. Quærit. 2° An graviter peccent clerici habitum clericalem non deferentes?

Resp. 1° Juxta sententiam communiorem, non peccant, etiam venialiter, clerici minores, sed privilegium fori amittunt, si tonsuram et vestem clericalem gestare negligant, juxta dicta supra (1680 et 1681).

2° Constituti verò in ordinibus sacris, aut beneficiati certè peccant graviter: uti potest colligi ex verbis Concilii Tridentini modò relatis et multis aliis. (Vide Theologiam Tolosanam, *De Obligat.*, pars 2, dissertatio 2, art. 3, statut. 1°.)

Limitant tamen DD. et quidem probabilissimè: 1° si id fiat ad breve tempus: nisi quis ideo habitum dimitteret vel occultaret ad alios decipiendos, vel ut liberè per plateas deambularet: unde Diana non excusat à mortali clericum qui in bacchanalibus excurreret larvatus per urbem.

Limitant 2° si adsit justa causa, v. g., ad vitandam mortem, vel grave damnum. (S. Liguor., lib. 6, n° 825)

Limitant 3° si sit in itinere, modò habitus sit decens; sed, etiam in itinere, non debet sacerdos celebrare sinè veste talari. Vide Theologiam Tolosanam citantem Concilium Mediolanense 1568, Aquense 1585 (*ibid.*, q. 2°).

2112. In suâ *Institutione* 71, sic ait Benedictus XIV : « Si rus proficiscantur (clerici), vestitum diversi coloris » suscipiant eò quòd pulvis et cœnum nigro colori adver- » sentur. Quòd si ruri sacrum facere volunt, nigri coloris » vestitum induant necesse est. » — Ita etiam Concilium Mediolanense I, et Aquense anni 1582. Vide Lequeux, n° 570, et infra dicenda (3694).

PUNCTUM II.

DE TONSURA.

2113. « Tonsura clericorum antiquitùs fiebat raso de- » super capite in modum sphæræ, et inferiùs quoque : ita » ut, patentibus auribus, sola capillorum corona circa » caput remaneret (Can. *Prohibitæ* et can. penult., » dist. 23), ad eum videlicet modum quo hodie monachi » regulares capita sua radere consueverunt....

» Tractu... temporis introductum fuit, atque hodie ab » Ecclesiâ generaliter receptum ut, memoratâ coronâ ca- » pillorum à monachis aliisque regularibus, necnon à » Romano Pontifice retentâ [1], reliqui sæculares, loco ejus- » dem coronæ, solummodo circulum aliquem modicum » in superiore parte capitis abrasum gerant. Et de tali » coronâ procedit textus in cap. *Clerici* 15, huj. tit., ubi, » loquendo de clericis sæcularibus, dicitur : coronam et » tonsuram habeant congruentem. » — Ita Reiffenstuel, lib. 3, tit. 1, n[is] 85 et 86.

« Per tonsuram, olim intelligebatur capillorum brevi- » tas; per coronam verò, forma coronidis servata in modo » capillos tondendi. » *Prælectiones S. Sulpitii*, n° 309.

2114. Obligatio tonsuram servandi restituta fuit à Concilio Lateranensi V, sub Leone X. Sic enim legitur in sessione 9 : « Clerici in sacris constituti, (nec) barbam nec » comam nutriant, *sed tonsuram ferant*. Si quis contra » fecerit, excommunicationem incurrat. » Jam præiverant Concilia Romana sub Zachariâ et Gregorio XI, in quibus

[1] Sed hodie à Romano Pontifice hujusmodi corona non retinetur.

dicebatur : « Si quis ex clericis comam relaxaverit, ana-
» thema sit. »

Controvertitur utrum sub gravi tonsuram gestare teneantur clerici, etiam in sacris constituti : plures hanc obligationem assimilare videntur obligationi vestem talarem deferendi : probabiliter tamen, juxta S. Liguorium (lib. 6, nº 826), faciliùs mortaliter peccaretur non deferendo habitum, quàm coronam non gestando. Quis enim, ait Croix, de mortali arguet sacerdotem si per sex aut octo hebdomadas coronam non deferat, etiamsi nullum de eâ vestigium appareat? —Vide etiam Lequeux, nº 570; et auctorem *Prælectionum S. Sulpitii*, qui tamen dicit (nº 309) esse obligationem sub gravi tonsuram deferendi.

2115. Quoad comam deferentes, hodie propter usum universalem (modò coma sit moderata), non videtur ampliùs vigere pœna excommunicationis. (S. Liguor., lib. 6, nº 826.)

2116. Circa coronæ amplitudinem, hæc habet Benedictus XIV (*Institutio* 96, nº 12) : «Corona clerici, qui nondum
» sacerdotio initiatus fuit, Sacræ Particulæ comparari de-
» bet. Corona sacerdotis divinæ Hostiæ similis decernitur;
» tandem corona Episcopi et Cardinalis ejusdem Hostiæ
» amplitudinem tantisper debet excedere. »

Quid sit dicendum de usu pileolum vel comam fictitiam deferendi, dicemus infra (3688-3693).

§ II.

De obligatione cœlibatûs.

2117. Ætate SS. Epiphanii et Hieronymi, in utrâque Ecclesiâ Orientali et Occidentali, vigebat et verisimiliùs, etiam à primordiis, viguit lex cælibatûs ecclesiastici, ipsosmet subdiaconos obligans.

Sic enim habet S. Epiphanius, *adversùs hæreses* (*Hæres.*, 59, IV) : « Qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat
» operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen
» ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi aut *Hypodiaconi* ordi-
» nem admittit (Ecclesia), sed eum duntaxat qui ab unius

» uxoris consuetudine sese continuerit, aut eâ sit orbatus ;
» quòd in illis præcipuè fit, ubi ecclesiastici canones ac-
» curatè servantur. » Ergo tunc ecclesiastici canones continentiam etiam subdiaconis præcipiebant ; nam per *Hypodiaconos*, subdiaconi sunt intelligendi.

Sanctus autem Hieronymus adversùs Vigilantium sic loquitur : « Proh ! nefas ! Episcopos sui sceleris dicitur ha-
» bere consortes, si tamen Episcopi nominandi sunt qui
» non ordinant diaconos, nisi priùs uxores duxerint....
» Quid facient Orientis Ecclesiæ ? Quid Ægypti et Sedis
» Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut con-
» tinentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desis-
» tunt ? »

Eadem leguntur apud S. Leonem à D. Phillipps relatum (opere citato, tom. 1, p. 513).

2118. Legem cælibatûs longè ante hos Sanctos viguisse, saltem quoad diaconos et superiores ordines, clarè constat ex Concilio Carthaginensi II anni 251, sancti Cypriani ætate, in quo dicitur, can. 2 : « Episcopos, Presbyteros et
» Diaconos ita placuit, ut condecet Sacrosanctos Antistites..,
» continentes esse in omnibus.. : ut quod Apostoli docue-
» runt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custo-
» diamus. »

Non tamen adamussim hæc lex ubique fuit observata ; clerici enim matrimonio conjuncti, etiam ad sacerdotium admissi fuêre, nunquam tamen ad Episcopatum, ut constat ex facto Synesii (Apud Phillipps, tom. 1, p. 529).

2119. Hæc legis cælibatûs relaxatio invaluit præsertim in Ecclesiâ Orientali ; severior autem permansit Occidentalis Ecclesia : et quamvis S. Gregorius Magnus à subdiaconis Siciliæ sinè voto cælibatûs ordinatis exigere noluerit ut nihilominus continentiam servarent, attamen ipsemet decrevit ut nullus in posterum clericus ad subdiaconatum promoveretur, nisi priùs emisso voto castitatis : « Nullum
» facere subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui vic-
» turum castè promiserit, quia nullus ad ministerium al-
» taris accedere debet, nisi hujus castitas ante susceptum
» ministerium fuerit probata. » (Dist. 28, cap 1.)

2120. Quæ disciplina ab Ecclesiâ Tarraconensi primùm amplexata, deinde in omnem Hispaniæ regionem extensa fuit, ut constat ex Concilio Toletano VIII anni 658 (Phillipps, tom. 1, p. 533). — Magis autem anceps fuit Gallia, ut patet ex variis ipsius Synodis, quarum aliæ clericos ad subdiaconatum admittebant sinè voto castitatis, aliæ verò sinè eodem voto aditum ipsis præcludebant. Tandem, aut per introductionem vitæ canonialis, S. Chrodogangi tempore, aut per edicta Caroli Magni et Ludovici Pii, regula firma remansit, quòd ad subdiaconatum non admittendi forent nisi clerici voto castitatis constricti : quæ tamen regula, sæculis X et XI, propter hujus ævi corruptionem in oblivionem fuit quidem dedita; sed eam restauravit Leo IX, cujus vestigia secuti sunt Stephanus IX et Nicolaus II; eorumque decreta S. Gregorius VII denuò, anno 1074, in Concilio Romano confirmavit, ac strenuè exsecutionem promovit.

2121. Non tamen omnino constat ex tunc matrimonium à clericis in sacris contractum, habitum fuisse ut prorsus nullum (Vide Phillipps, *ibid.*, p. 536). — Sed tale certè declaratum fuit à Concilio Lateranensi IV (*ibid.*), et demùm à Concilio Tridentino (sess. 14, can. 9), his verbis : « Si quis » dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regu- » lares, castitatem solemniter professos, posse matrimo- » nium contrahere, contractumque validum esse, non ob- » stante lege ecclesiasticâ vel voto..., anathema sit. »

Quid autem in variis Ecclesiæ seculis præscriptum fuerit relativè ad continentiam de clericis in minoribus constitutis, vide expensum apud citatum Phillipps. Quidquid sit, à Bonifacio VIII sancitum fuit quòd vir conjugatus nec ad primam tonsuram foret admittendus, nisi expressè habuerit animum Ordines Sacros suscipiendi, proinde non permanendi cum suâ uxore, quæ tamen invita non potest derelinqui, nisi in casibus à jure permissis.

2122. Etsi lex cælibatûs sit juris ecclesiastici, fundamentum tamen habet in Scripturâ, ut sequentibus patet : *dicitur* enim in Epistolâ 1ª ad Timotheum (cap. 3, v. 2) : « Oportet Episcopum esse pudicum; » et *ibid.*, v. 8 :

« Diaconos similiter pudicos; » et *ibid.*, cap. 5, v. 22 : « Teipsum castum custodi. » Fundatur item exemplo Christi, S. Joannis, S. Pauli et cæterorum Apostolorum.

Sed quidquid nonnulli dixerint, illa lex non est tamen propriè de jure divino, ut communiter (præciso voto) sentiunt Doctores. Ideoque in eâ dispensare potest Ecclesia, prout reverà sæpe dispensavit : nempe tempore Mariæ Anglorum Reginæ : et post Concordatum 1801, inter Pium VII et Napoleonem I initum. — Vide infra (4253).

2123. Sed quæritur utrum obligatio cælibatûs sit immediatè ex præcepto Ecclesiæ, vel mediatè per votum ordinatorum?

Resp. Duas esse sententias, quæ ambæ probabiles dicuntur à Sancto Liguorio, lib. 6, nº 808.

Probabilior tamen et communior sententia, juxta eumdem Sanctum, ea est quæ tenet cælibatûs obligationem oriri ex voto, quia illud est expressum in jure, cap. *Cùm olim, de clerico conjug.*, ubi dicitur : « Non igitur attendentes quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit. » Ergo admisit Occidentalis Ecclesia.

2124. Unde probabiliter contra Salmanticenses et alios plures, dici potest eum non teneri ad continentiam qui receperit ordines sacros, invincibiliter ignorans votum castitatis ipsis esse adnexum, modò tamen reverà ipsius ignorantia invincibilis fuerit; excipe eum qui hujusmodi ordines susceperit cum eâdem obligatione quâ alii suscipiunt. (S. Liguor., lib. 6, nº 809.)

2125. Si quis ordines vellet suscipere expressè nolendo vovere, teneretur tamen ad castitatem, non ex voto sed ex præcepto Ecclesiæ illum obligante ex motivo religionis : unde etiam sacrilegium committeret castitatem violando, taliterque ordinatus ad emittendum votum astringeretur.

2126. Certum est, juxta S. Liguorium (lib. 6, nº 810), quòd ille qui ordinatus esset ante usum rationis, etsi ipsius ordinatio valida esset, non teneretur tamen ad continentiam, sed posset validè et licitè matrimonium inire.

2127. Dubium est an ad cælibatum teneatur qui ordi-

natus est ob metum gravem injustè incussum, sed cum animo ordinis suscipiendi.

Probabiliùs dicunt plures eum non teneri, sed validè posse matrimonium contrahere (non posse tamen in Ordine ministrari, contracto matrimonio, neque privilegiis clericatûs gaudere) : quia veriùs est votum ex gravi metu initum non valere. Non autem talis ordinatus debet matrimonium contrahere, inconsulto Episcopo : qui etiam pœnis canonicis potest hujusmodi matrimonium prohibere, non expectatâ suâ sententiâ. — Vide *Prælectiones S. Sulpitii*, n° 306.

Præfatam sententiam limitant Salmanticenses, etc., si postea, remoto metu, ordinationem ratificaret, aut verbis, aut actu in Ordine ministrando, modò sciat et advertat per hujusmodi actum, tali obligationi se subjicere. Consultum est autem in hoc casu ut dispensatio obtineatur.

Si metus justè incuteretur, meliùs sentiunt qui dicunt talem ordinatum ad continentiam tunc esse obligatum. — S. Liguor, lib. 6, n° 811.

SECTIO TERTIA.

DE PERSONIS VEL AD NEUTRAM HIERARCHIAM PERTINENTIBUS, VEL PERTINENTIBUS QUIDEM, SED EXTRA HAS HIERARCHIAS CONSIDERATIS.

2128. Illæ personæ sunt præsertim qui ad varias Clericorum Scholas, Universitates, Seminaria, Collegia, Capitula pertinent, iisque etiam accensendi sunt regulares et laici. De his omnibus est igitur tractandum in præsenti Sectione.

CAPUT I.

DE SCHOLIS, SEMINARIIS, COLLEGIIS ET UNIVERSITATIBUS.

2129. *Scholæ* Ecclesiasticæ seu loci ad dispensandam doctrinam in Ecclesiâ destinati, pertingunt : vel ad totius Ecclesiæ universitatem, et tunc *Universitates* dicuntur ; vel ad unius diœcesis tantùm clericalem juventutem, et tunc *Scholæ Diœcesanæ* aut communiùs *Seminaria* vocantur; vel ad integræ civitatis clerum, et tunc *Scholæ Theologales* seu *Theologicæ* nuncupantur ; vel demùm ad unius oppidi pueritiam christianam educandam, et tunc simpliciter nominantur *Scholæ*, quæ, apud nos, sunt vel *Primariæ* vel *Secundariæ*, prout in eis prima litterarum et scientiarum rudimenta, aut altior doctrina traduntur. — De regimine scholar. legendæ sunt *Syllabi* pr. 45, 46, 47 et 48, in fine t. 1.

Jam supra (924-936) de Seminariis diximus; superest ergo ut hîc disseramus tantùm de *Universitatibus* et aliis *scholis*.

ART. I.

DE UNIVERSITATIBUS.

2130. Per *Universitatem* intelligitur corpus seu collegium auctoritate publicâ institutum, ad docendum omnes scientias erga omnes.

Si Universitas auctoritate ecclesiasticâ instituatur, ecclesiastica est; si civili, civilis est; si ab utrâque, tunc est mixta. — (*Institut.*, R. de M., p. 240.)

2131. Juxta D. Lequeux (nº 571), initia Universitatum propriè dictarum ad sæculum XIII referri possunt. Universitatis Parisiensis, quæ celebritate primum locum obtinuit, statuta approbata fuêre ab Innocentio III, anno 1215.

2132. Scientiæ in plures *Facultates* distributæ fuerunt, seu in varias disciplinas à se invicem distinctas, ut faciliùs et ordinatiùs à magistris explanarentur. Initio duæ duntaxat Facultates agnitæ fuêre: *Facultas* nempe *Artium*, et *Facultas Theologiæ*.

Facultas Artium complectebatur septem artes liberales duplici nomine seu *classe* comprehensas, videlicet: 1º *Trivii*, quo nomine intelligebantur Grammatica, Rhetorica et Dialectica; 2º *Quadrivii*, sub quo designabantur Arithmetica, Musica, Geometria et Astronomia.

2133. Postea duæ aliæ Facultates successivè adjectæ fuêre, scilicet: primùm, *Facultas Juris*, tàm canonici quàm civilis; deindè, labentibus sæculis, *Facultas Medicinæ*, seu ut dicebatur *Physicæ*: unde quatuor erant Facultates. Non tamen in omnibus Universitatibus æqualiter floruerunt quatuor dictæ Facultates: in unâ enim, uti Parisiensi, præsertim excelluit Facultas Theologica; in aliâ, ut Bononiensi, Facultas Juris; vel Medicinæ, ut in Universitate Montepessulanâ, etc. — Imò in quibusdam Universitatibus, quædam tantùm Facultates exstabant, quæ proinde forsan immeritò vocabantur *Universitates*, saltem *in stricto sensu;* sed, juxta R. de M. (*ibid.*, p. 236), etiam in hoc casu, saltem *sensu latiori*, hoc nomine decorari poterant.

2134. In Universitatibus, præsertim Parisiensi, erant Scholæ et Collegia (*Colléges d'Harcourt*, *de Montaigu*, *de Navarre*, *Mazarin*, etc.): priores, nempe Scholæ, unicè ad docendum erant destinatæ; posteriora verò non ad hoc solùm instituta fuerant, sed etiam ut in eis alerentur et hospitio reciperentur studentes. — Vide Lequeux, *Dissertation*

sur le Droit public français, tom. 4; — et R. de M., *Institutiones juris canonici*, tom. 2, p. 248.

2135. « Universitates, inquit Lequeux (n° 572), conferebant *gradus* scholasticis. *Graduum* nomine intelligebantur litteræ authenticæ quibus singulæ Facultates declarabant aliquem tempus studiorum explevisse, et satisfecisse examinibus et tentaminibus requisitis, ideoque hunc vel illum titulum rectè assumere.

2136. » Gradus de quibus loquuntur Canones, sunt: *Magisterium* seu *Doctoratus*, *Licentia*, et *Baccalaurea*. *Magistri* nomine venit is qui in quâvis Facultate supremum gradum et hujus insignia et jura legitimè fuit consecutus. Sæpè, in jure canonico, confunditur cum *Doctoratu*, ut in Clementinâ *Cùm sit nimis*, 2, *de Magistris*. » (Ordinariè qui in artibus, proindeque in Philosophiâ, summum gradum erant assecuti, dicebantur *Magistri in Artibus;* in cæteris Facultatibus, dicebantur communiùs *Doctores,* præsertim in sæculis recentibus; quibusdam tamen Universitatibus nomen *Magistri* magis arridebat.) « *Licentiatorum* nomine veniebant illi qui, post condigna tentamina et examina, ritè acceperant Facultatem capessendi, quando vellent, supremum gradum Doctoratûs; proinde iis, qui creati fuerant *Licentiati*, nihil aliud deerat quàm solum titulum et insignia Doctoratûs cum debitâ solemnitate recipere : quod plures differebant metu expensarum. Nam cæteroquin actus à Licentiatis præstandi, jam non habebantur ut probatorii. *Baccalaurei* seu *Baccalarii* nomine intelligebantur ii qui in Facultate aliquâ sui profectûs primum testimonium primumque gradum erant assecuti. »

Videri potest, apud eumdem, quibus conditionibus et formâ gradus olim Parisiis conferebantur. — (*Ibidem*, et tom. 4, p. 580, etc., 3ª editio.) — Quænam verò jure communi erant requisitæ, vide dictum apud R. de M., *Institutiones*, tom. 2, p. 254, ubi dicitur quòd præcipua fuerit examen rigorosum, et quidem eò magis quò altior gradus conferendus erat, supremo tamen, seu Doctoris, excepto, quia Licentia dat jus ad Doctoratum; requiritur insu-

per professio fidei ex Bullâ Pii IV *Injunctum* (*Ibidem*).

2137. Suâ Constitutione *Quamvis*, S. Pius V revocavit et irritas fecit omnes facultates à Sede Apostolicâ antea concessas doctorandi extra Universitates. Postea tamen Sixtus V, suis Litteris Apostolicis februarii 1586, facultatem Collegio Protonotariorum concessit Doctores creandi; sed ex Litteris Summi Pontificis Pii IX 9 februarii 1853, Protonotarii hanc facultatem exercere non possunt nisi erga quatuor duntaxat personas per annum, in Facultate Theologicâ, et alias quatuor, in utroque vel in alterutro jure.— Vide *Institutiones*, R. de M., tom. 2, p. 257-259.

2138. Cæterùm Graduati in tres classes distinguuntur : 1° In *Graduatos juxta formam præscriptam*, de quibus modò diximus; 2° in *Graduatos gratiæ*, qui, requisitam doctrinam possidentes, obtinuerunt dispensationem in tempore studiis adhibendo et in quibusdam exercitiis aliàs observandis; 3° in *Graduatos ex privilegio* à S. Pontifice, aut ejus Legatis, aut aliis hujusmodi Facultate donatis, insignitos, cum dispensatione temporis studiorum, examinum et aliorum ordinariè observandorum. — Vide D. André, *Cours de droit canon*, v° *Gradués*.

2139. Privilegia graduatorum sunt: 1° Ut specialiter ad Dignitates et Prælaturas promoveri possint; quænam autem sint Dignitates et Officia quæ gradus academicos requirant, diximus supra (472). — 2° Constituuntur in Dignitate (Cap. *Quantò*, *de Magistris*, Clement. 2, *eod.*) quatenus saltem fiant apti ad excipiendas et exsequendas Litteras Apostolicas (Vide *Institutiones*, R. de M., tom. 2, p. 259): circa quod notandum est quòd, etsi in favorabilibus, nomine *Doctorum* et *Magistrorum* veniant etiam *Licentiati*, hoc tamen locum non habet quoad exsecutionem Litterarum Apostolicarum quas *Doctori* vel *Magistro* inscriptas, aperire et exsequi non potest qui est tantùm *Licentiatus*. Ita Reiffenstuel, apud D. Bouix, *De Regularibus*, tom. 2, p. 60. — 3° Olim, saltem in Galliâ, jus habebant Graduati ut ipsis solùm, juxta graduum suorum præcellentiam, conferrentur beneficia per menses januarii, aprilis, julii et octobris vacantia: sic enim habebat Concordatum Leo-

nem X inter et Franciscum I initum : « Præterea volumus » quòd Collatores Ordinarii et patroni ecclesiastici Digni- » tates, officia ac beneficia, in mensibus assignatis vacan- » tia, illis graduatis conferre *aut ad illa eos duntaxat* » præsentare teneantur qui per tempus competens in Uni- » versitate famosâ studuerunt. Tempus autem competens » decennium, in Magistris seu Licentiatis aut Baccalaureis » in Theologiâ; septennium verò, in Doctoribus seu Licen- » tiatis in jure canonico, civili, aut medicinâ, cum rigore » examinis à Logicalibus, etc. » — Vide insuper Concilium Tridentinum (sess. 24, cap. 12), ubi hortatur ut quantùm commodè fieri poterit, Dignitates omnes et dimidia pars Canonicatuum *Graduatis* conferantur, etc.

2140. Porrò jura et privilegia modò dicta non conferebant gradus academici, nisi quatenus in Universitate ab Ecclesiâ approbatâ obtenti fuerant. — « Quis enim, inquit » Lequeux (n° 573), dicet Ecclesiam velle ut qui in Facul- » tatibus Protestantium gradus academicos reciperent, » participent suis privilegiis? » Non autem sufficit quòd Universitas sit ab Episcopo diœcesano approbata, sed approbari debet à S. Pontifice : cùm jura Graduatorum non restringantur ad unam vel alteram diœcesim, sed totam Ecclesiam respiciant. Vide hoc probatum pluribus argumentis apud *Institutiones*, R. de M., tom. 2, p. 240; et clarè confessum in Decretis Concilii Avenionensis anni 1849, tit. X, cap. 3, sub fine.

2141. Olim, in Galliâ, non admittebantur ordinariè gradus apud Universitates extraneas assecuti ; id fundatum contendebant nostri jurisperiti, juxta Lequeux, ipsomet Concordato inter Leonem X et Franciscum I inito.—(V. n° 573.)

2142. Quærit. 1° An Universitates de scriptis et doctrinis judicare valeant? — Et cujus naturæ sit de talibus earum judicium?

Resp. Ad Universitates pertinere, non *judicialiter* quidem, sed *doctrinaliter*, judicare de scriptis et doctrinis in lucem editis, quæ fidem et mores concernunt ; hoc constat praxi per innumera sæcula constanter servatâ, et naturâ ipsarummet Institutionum.

Diximus *doctrinaliter*, et non judicialiter; seu per modum expositionis doctrinæ, et non per modum auctoritatis, saltem erga extraneos seu ad Universitatem non pertinentes : « Quia Universitates nullam jurisdictionem possi- » dent etiam in materiâ doctrinæ, » solique eam possident Episcopi, utpote *positi à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*. — Vide Decretum Gratiani, dist. 10, in principio.

Secus tamen dicendum de Universitatibus erga sua membra : vi enim privilegiorum ipsis à Sede Apostolicâ concessorum, quamdam habent jurisdictionem in personas quæ suo subsunt regimini, in Graduatos nempe et scholares.— Vide R. de M., *Institutiones*, tom. 2, p. 262.

2143. Quærit. 2° Quid sit Universitas quæ nunc in Galliâ existit? — Valetne conferre gradus privilegiis ecclesiasticis gaudentes?

Resp. Suppressis sub fine ultimi sæculi diversis Universitatibus quæ in Galliis olim florebant, Napoleo I, anno 1808, unicam et generalem instituit pro toto Galliæ Imperio Universitatem, cui commisit universum *Publicæ Instructionis Ministerium*. Porrò in quinque Facultates distributa fuit hæc nova Universitas, ratione doctrinæ tradendæ, nempe : *Theologiæ, Juris civilis*, *Medicinæ, Scientiarum Physicarum* aut *Mathematicarum*, et *Litterarum*.

Ratione verò administrationis, in 22 Academias divisa fuit, in quibus variæ Facultates diversas habebant cathedras. Gradus in eis non conferuntur nomine uniuscujusque Facultatis, sed Magistri Primarii (*Grand-Maître*) Universitatis : hodie Ministri Instr. Publ. seu potiùs Imperatoris. Nec Ecclesiæ, etiam pro Theologiâ, sed potestatis sæcularis auctoritate Magistri instituuntur : unde manifestum est gradus in hujusmodi Academiis obtentos nullatenus privilegiis ecclesiasticis frui posse.

Sat stupendum videri debet quòd Universitas, solâ sæculari potestate erecta, jus sibi arroget Theologiam docendi et gradus academicos in hâc Facultate conferendi; indubium enim est hoc esse anticanonicum, et ut tale etiam ab Episcopis nostris haberi; nec caret periculo pro fide hujusmodi

usurpatio laicalis, uti demonstrat D. André, *Cours de droit canon*, v° *Facultés*.—Solent tamen in singulis hujusmodi Academiis, à respectivis Episcopis diœcesanis approbari Professores Theologiæ ac juris canonici[1].

ART. II.

DE SCHOLA THEOLOGIÆ CATHEDRALIS.

2144. Cùm idem videatur esse loqui de Scholâ Theologiæ Cathedralis ac de Canonico Theologali, de quo opportuniùs dicendum erit ubi de Capitulis, ideo ad hanc *Manualis* nostri partem, quæstionem tractandam remittimus (2196-2217): ibidemque loquemur de Theologali, in ecclesiis Collegiatis et monasteriis sicut in Cathedralibus instituendo, juxta præscriptum Concilii Tridentini (sess. 5, cap. 1, *de reformatione*).

2145. Solummodo hîc notandum est 1°: Quòd, ex eodem Concilio Tridentino (*ibid.*), « ecclesiæ, quarum annui » proventus tenues fuerint, et ubi tam exigua est cleri et » populi multitudo ut Theologiæ lectio in eis commodè » haberi non possit, saltem magistrum habeant ab Epis» copo cum consilio Capituli eligendum, qui clericos alios» que scholares pauperes, grammaticam gratis edoceat; » ut deinceps ad ipsa Sacræ Scripturæ studia, annuente » Deo, transire possint. »

2146. — 2° Quòd ex Constitutione *Apostolicæ servitutis* Pauli V, instituendæ sint in monasteriis scholæ linguarum hebraicæ, græcæ, latinæ et arabicæ: « Hæc enim conver» sioni infidelium opportunissima esse dignoscuntur », inquit Bulla, quæ postea sic pergit: « Hâc nostrâ perpetuò

[1] Neminem latet hujusmodi Facultates theologicas nunc suppressas esse; ast, Deo favente, erecta sunt in catholicis Universitatibus veræ et canonicæ Facultates, accedente non modo Episcoporum protectione et benevolentia sed etiam Sanctæ Sedis auctoritate. Quæ canonicos gradus nempe Baccalaureatum, Licentiam et Doctoratum seu Magisterium tum in sacra Theologia, tum in jure ecclesiastico, tum etiam in philosophia scholastica rite conferunt Sunt autem illæ, ut quisque novit, Parisiensis, Lugdunensis, Insulensis, Tolosana et Andegavensis.

» valiturâ Constitutione sancimus..., ut in cujuscumque
» Ordinis et Instituti regularium, tam mendicantium quàm
» non mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum,
» et Apostolicæ Sedi immediatè subjectorum, studiis om-
» nibus trium linguarum hujusmodi, hebraicæ videlicet,
» græcæ et latinæ; in majoribus verò ac celebrioribus
» etiam arabicæ, doctores, regulares quidem..., qui illas
» actu et diligenter doceant, habeantur, si studia in urbi-
» bus et locis existunt ubi linguarum prædictarum peritos
» conducendi facultas est; studiis verò locorum, ubi hu-
» jusmodi doctores desunt, cùm primùm in aliis studiis
» ubi linguæ hujusmodi docebuntur scholares tantùm
» profecerint ut docendis aliis idonei sint, de iisdem scho-
» laribus provideatur. » Vide alia ejusdem Constit., apud *Inst.*, R. de M., p. 301, tom. 2.

ART. III.

DE SCHOLIS IN GRATIAM LAICÆ JUVENTUTIS.

2147. « Religiosæ juventutis educatio, inquit postremum
» Concilium Lugdunense (*Decret.* 25, nº 1), ad Ecclesiam
» utpote christianorum Matrem et Magistram, ex ipsâ Dei
» constitutione spectat, et omnis sexus, omnis ætas, in
» his Christi verbis : *Docete omnes gentes...* (S. Matth.,
» c. 28, v. 19), ita includitur, ut, nonnisi conculcatis et
» pastorum et familiarum sacratissimis juribus, asseri queat
» docendi ea omnia quæ ad disciplinam christianam con-
» ferunt, et ideo omnium doctrinarum magisteriis invigi-
» landi, potestatem Ecclesiæ competere ex merâ consti-
» tutione humanâ. »

Hoc Ecclesiæ jus declaratur in cap. *Quoniam, de Magistris :* « Quoniam, inquit, Ecclesia Dei, sicut pia mater,
» providere tenetur ne pauperibus qui parentum opibus
» juvari non possunt, legendi et proficiendi opportunitas
» subtrahatur, per unamquamque cathedralem Eccle-
» siam, Magistro, qui clericos ejusdem et scholares pau-
» peres gratis doceat, competens aliquod beneficium con-
» feratur. »

Et specialiùs in cap. *Quia nonnullis* et cap. *Prohibeas*, *de Magistris*, ubi dicitur : « Sanè si quis distulerit magis» tros in locis congruis instituere, tibi liceat, appellatione » postpositâ, ibi aliorum instructioni præficere viros » providos, honestos et discretos. » Vide alios textus apud *Inst.*, R. de M., tom. 2, p. 303.

2148. De modo autem servando in institutione et regimine scholarum, cùm nihil à legibus Ecclesiæ generalibus determinatum fuerit, observandæ sunt leges et consuetudines locales legitimè introductæ aut constitutæ. Vide de his ap. *Inst.*, jam citatas, R. de M. (p. 304), Concil. Burdigalense.

CAPUT II.

DE CAPITULIS.

2149. Quæ de Capitulis hîc dicturi sumus, in quatuor dividemus articulos : in 1° quid sit Capitulum ; in 2° a quo sit et quis Canonicatus et Dignitates instituere et conferre valeat ; in 3° ad quid canonici teneantur seu quænam sint ipsorum obligationes ; in 4° quid valeant Capitula seu de ipsorum prærogativis inquiremus. Jam diximus de Capitulis, Sede vacante. Vide supra (1212-1286).

ART. I.

QUID SIT CAPITULUM.

2150. Hoc à nobis est investigandum sive quoad ipsius antiquitatem, sive quoad ipsius essentiam et varias species, sive quoad ipsius membra, sive tandem quoad ipsius temporalia : unde quatuor erunt paragraphi.

§ I.

De antiquitate institutionis Capituli.

2151. « Quisque Episcopus, inquit Nardi (ap. D. Bouix, » *De Capitulis*, p. 3), etiam dum viverent Apostoli, sibi

» clerum efformavit quem in sacro munere adjutorem ha-
» beret... Clerus ille, tribus prioribus sæculis ferè ubique
» constabat duodecim sacerdotibus (Collegii Apostolici
» formam exhibentibus, ipso verò Episcopo Christi Do-
» mini personam referente), et septem diaconis ad instar
» eorum qui in Actibus Apostolorum commemorantur:
» addebantur pro variâ locorum necessitate ministri infe-
» riores... è quibus assumerentur presbyteri et diaconi.
» Illi... 12 presbyteri et 7 diaconi soli efformabant sena-
» tum Ecclesiæ et Consilium Episcopi. » — Vide hoc multis monumentis probatum à D. Bouix (*ib.*, p. 18, 23, 39, etc.). *Consiliares Episcopi* et *Ecclesiæ coronam* vocant *Constitutiones Apostolicæ* (lib. 2, cap. 23). « Assistant autem judi-
» cio Diaconi et Presbyteri » (*Const. Apost.*, ib., c. 47). — Concilium dictum Carthag. IV ait, can. 23 : « Episcopus
» nullius causam audiat absque præsentiâ clericorum suo-
» rum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi clerico-
» rum sententiâ firmetur. »

« .... Sedes Apostolica, pergit Nardi (*ibid.*)..., ita exi-
» gente multiplicitate negotiorum, et ad majorem qui tali
» Ecclesiæ decebat splendorem, duplum habebat Presby-
» terorum Cardinalium numerum, id est, 24 cum Archi-
» presbytero. »

« Quanquam, ait Thomassinus (*Vet. et nov. discipl.*,
» pars 1, lib. 3, c. 7), nulla esset communis vitæ societas
» inter clericos Cathedralium... per quinque priora sæcula,
» nec inter se nec cum Episcopo coalescebant; illi tamen
» in unum quoddam veluti corpus cum eo, et in partem
» sollicitudinis atque imperii sacri quamdam societatem
» veniebant. » Huic presbyterio successerunt Capitula, juxta eumdem Thomassinum : libro enim 11, cap. 9, loquens de Capitulis qualia exstabant sub Carolo Magno :
« Implebant, inquit, certissimè Capitula eumdem locum,
» idemque præstabant ministerium quod et antiquissimus
» ille singularum Ecclesiarum clerus, quo inconsulto,
» nihil gerebatur. » Vide apud D. Bouix (*De Capitulis*, p. 7).

Unde Capitula, etsi institutionis ecclesiasticæ tantùm,

non autem divinæ existant, originem tamen ducunt ab Apostolis.

Diximus supra (1296) nullum exstitisse parochum in Ecclesiâ ante quartum sæculum : tunc ea quæ hodie per parochos fiunt, Episcopus explebat vel per seipsum, vel per suum presbyterium seu Capitulum Cathedrale, tum in civitate, tum extra.

Quinto verò sæculo, constituti sunt ruri, præcipuis in locis, plebani seu rurales parochi, iique non tantùm Episcopo, sed et Capitulo Cathedrali remanebant subjecti[1].

Per mille autem annos, nullus, ut supra diximus (1296), exstitit parochus in civitatibus Cathedralibus; in iis totum munus parochiale per Episcopum et Capitulum exercebatur; unica in eis erat parochia nempe Cathedralis; cæteræ Ecclesiæ Collegiatæ erant, vel duntaxat oratoria. (Bouix, *De Capit.*, p. 16.)

2152. In suo opere *Dei parochi*, Nardi demonstrat Cardinales nihil aliud fuisse quàm Collegium Cathedrale, et Canonicos nihil aliud quàm cujuslibet Ecclesiæ Cardinales: pluribus id probat; inter alia insigne istud monumentum refert: « Sanctæ Bergamensis Ecclesiæ *Cardinalibus Canonicis* presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, quos Dominus nunc in *sede ipsius ordinis gubernat.* » Agitur hìc de iis qui degebant in *sede ipsius ordinis*, seu in Cathedrali quæ *Ordo* appellabatur: ideoque clerici Cathedrales dicebantur *de Ordine*, seu *Ordinarii*. Porrò in præfato textu iidem dicuntur *Cardinales Canonici*. Ergo, etc.

In diplomate quodam anni 859, reperitur: « Reginaldus Archipresbyter *Cardinalis* civitatis Placentinæ et Præpositus Xenodochii in loco et fundo Lucianæ. » Ergo, etc. — Vide Bouix, *ib.*, p. 20, 22, etc., ubi plura alia monumenta referuntur.

Ex præfatis patet prærogativas Capituli respectivè ad totam diœcesim, similes fuisse prærogativis Cardinalium Romanorum respectu ad Ecclesiam Universalem.

[1] A Papâ Zachariâ refertur canon Neocesariensis, quo sancitur *quâ observantiâ prosequi debeant agrestes (presbyteri) presbyteros urbanos*, seu Canonicos. Vide apud D. Bouix, *De Capitulis*, p. 20.

2153. Observandum tamen jampridem statutum fuisse à SS. Pontificibus ut sicut nomen Papæ, olim Episcopis commune, soli nunc Romano Pontifici, ita nomen Cardinalium solis Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus tribueretur. Excipiendi sunt verò Canonici S. Jacobi Compostellæ et quidam alii, quibus ex indulto speciali nomen illud retinere permissum est. — Vide Bouix (*ibid.*, p. 22).

§ II.

De essentiâ et variis speciebus Capitulorum.

2154. Cùm rerum essentiæ dignoscantur præsertim ex earum definitione, dicendum est hìc quomodo Capitula sint definienda: et primò quidem quid intelligatur per ipsam vocem *Capitulum.*

Varias significationes habet vocabulum istud: usurpatur enim 1° pro distinctione unius materiæ ab aliâ: ex quo dicuntur *Capitula Decretalium;* 2° pro Collegio certarum personarum ecclesiasticarum, alicui ecclesiæ aut monasterio ascriptarum: sicque vocatum quòd Capitula ibi legantur. (Bouix, *De Capitulis*, p. 50.)

In hoc secundo sensu vox Capitulum accipitur in capite præsenti, sed sic acceptum non est valdè antiquum, cùm non reperiatur in Conciliis Aquisgranæ et Moguntiæ noni sæculi, in quibus tamen agitur de Canonicis (*ibid.*).

2155. Quoad rem, vox *Capitulum* aliquando designat certas regularium Congregationes, sive particulares in unoquoque monasterio, sive generales plurium monasteriorum seu potiùs deputatorum à pluribus monasteriis, alicubi singulis annis adunantium, pro tractandis totius Ordinis vel alicujus provinciæ ipsius negotiis. De Capitulis sic intellectis non agitur in præsenti capite.

Per Capitula autem hìc intelliguntur: *Collegia clericorum qui sub Prælato constituti, unum corpus efficiunt, et ab Ecclesiâ cultui divino publico addicuntur.*

2156. Capitula dividuntur 1° In *Cathedralia* et *Collegiata : Cathedralia,* sunt illa quæ *in Ecclesiâ, in quâ Sedes Episcopi defixa est, instituta fuère ad auxiliandum et sup-*

plendum Episcopo in diœcesis suæ regimine. His posterioribus verbis designatur unus è præcipuis finibus Capitulorum : non enim Capitula Cathedralia præcisè instituta fuêre ad vitam communem agendam, cùm etiam primis Ecclesiæ sæculis hoc vivendi genus in eis non servabatur; nec solùm ad cantandum divinum officium, cùm antiquitùs, non quotidiè, sed statutis duntaxat diebus, divinum officium à Capitulis celebrabatur; si enim eruditis fidamus, à Chrodogangi tempore tantùm, mos invaluit ut Capitula ad quotidianam divini officii celebrationem astringerentur. (Bouix, *ib.*, p. 41.)

2157. De institutione autem primariâ Capitulorum ad *auxiliandum et supplendum Episcopo in diœcesis regimine,* constat ex iis quæ modò attulimus § 1 (2151) : quam destinationem nunquam immutatam fuisse demonstrant Thomassinus et alii apud D. Bouix (*ib.*, p. 43); et adhuc eam perstare patet ex Concil. Trident. (sess. 24, c. 12, 15; sess. 5, cap. 1; sess. 23, c. 18). Sic insuper habet Pius VII in suâ Constit. *Ecclesia Christi*, 18 kal. septembr. 1801 : « Cùm verò tum clericorum institutioni, tum Episcoporum » *consilio, suæque Ecclesiæ administrationi consulere ne-* » *cesse sit*, illud non omisimus, ut iidem Episcopi unum » habeant in Cathedrali Ecclesiâ *Capitulum*, unumque se- » minarium. »

In Concordato autem quod SS. Noster Pius Papa IX iniit cum Hispaniâ, anno 1851, sic dicitur : « Art. 15, Cathe- » dralia Capitula Archiepiscoporum et Episcoporum *Sena-* » *tum Consiliumque constituere.* »

Capitula verò *auxiliantur* Episcopo, Sede plenâ; *supplent*, Sede vacante.

2158. *Collegiata* sunt *Capitula quæ in ecclesiis non Cathedralibus constituuntur.*

Canonici Collegiatarum nullam episcopalem jurisdictionem habent, etiam defuncto Episcopo, nec sunt de jure ipsius *Consiliarii* : sed instituti sunt tantummodo ad decorem cultûs publici in aliquâ ecclesiâ celebrandi.

2159. Dividuntur 2° Capitula in *sæcularia* et *regularia*;

3° in *exempta* et *non exempta ;* 4° in *numerata* et non *numerata :* quæ distinctiones suo loco explicabuntur.

2160. Collegiatæ autem distinguuntur in *insignes* et *non insignes.* Jure canonico non explicatur quænam ecclesia dicenda sit *insignis :* talis attamen haberi debet quæ hâc qualitate à Papâ decoratur, vel talis habetur ex famâ et communi plebis æstimatione, vel quæ est in loco non parùm conspicuo.

2161. — In collegiatis insignibus, Primæ Dignitates tantùm Doctoribus aut Licentiatis in theologiâ aut jure canonico conferri debent (Concil. Trident., sess. 24, c. 12, *de reform.*). Ita etiam decisum à Rotâ refert Scarfantonius, apud D. Bouix (*De Capit.*, p. 56).

Item obligatio ad quotidianum in choro officium, non rigorosè astringit nisi Capitula Cathedralia et Collegiatas *insignes.* Collegiatæ autem non insignes ad illud quidem etiam tenentur, sed in triplici casu eximuntur : nempe, 1° si ecclesia sit ruralis; 2° si talis vigeat immemorabilis consuetudo; 3° si redditus sint valde tenues.—Vide apud D. Bouix, *De Capitulis*, p. 57.

Cæterùm ecclesiæ Collegiatæ, etiam non insignes, secundo loco veniunt post Cathedrales, et digniores sunt quâlibet simplici ecclesiâ parochiali; proinde per ipsum Episcopum visitandæ sunt post Cathedralem, dum parochiales visitari possunt etiam per alios Episcopo inferiores. Vide apud D. Bouix, *ib.*, p. 55.

§ III.

Quid sit Capitulum quoad ipsius membra.

2162. Dicendum hîc de ipsius Capite; de iis qui verè dici possunt de ipsius gremio; de ipsius Dignitatibus, Personatibus aut aliis ipsius Officiis; tandem de iis, qui non sunt quidem propriè de ipsius gremio, sed ad illud tamen aliquo modo pertinent.

PUNCTUM I.

DE CAPITE CAPITULI.

2163. Capituli Caput duplex est : 1° *Principale* seu Episcopus aut alius Prælatus habens territorium et jurisdictionem quasi-episcopalem ; 2° *Numerale* quale est qui est primus inter eos quibus Capitulum constat.—Sub diverso respectu sunt illa duo Capita: Capitulum enim consideratur, vel quatenus est *Senatus* Ecclesiæ et *Consilium natum* Episcopi, quo ipse utitur in administratione diœcesanâ : et sub hoc respectu Episcopus est Capituli-Caput, pars ipsius nobilissima, et verè de ipsius corpore : vel consideratur prout corpus habens jura et officia sibi propria, et ab Episcopo distincta, et sub hoc respectu, Episcopus non est de ipsius gremio nec caput, nec habet vocem decisivam in Capitularibus negotiis, sed alius est ipsius Caput.

2164. Quisnam verò sit istud Caput *numerale*, quæstio est cujus solutio non invenitur apud auctores : etenim si dicatur esse præcipuam Dignitatem, Archidiaconum nempe, vel Præpositum, difficultas est quòd, juxta Canonistas, Dignitates de jure non sint de Capitulo, ut infra dicturi sumus (2173), nisi hoc obtineant ex locali statuto, aut consuetudine, aut nisi sint simul Canonici; si ergo non sint de Capitulo, quomodo possunt esse ipsius Caput *numerale?* Quomodo illud convocare valent et præesse? « In praxi » quidem, ait D. Bouix (*ib.*, p. 71), evanescit prædicta » difficultas, quando Primæ Dignitati assignatur non tantùm stallum in choro, sed insuper locus in Capitulo; » quia per talem installationem certum est acquiri plenum » jus canoniæ, ac proinde etiam vocem activam et passivam, unde tali modo installata Prima Dignitas, erit procul dubio de corpore Capituli et ipsius Caput. » Si secus contingat, idem auctor non invenit quomodo solvenda sit proposita difficultas.

2165. Non est autem de essentiâ Capituli actu habere Caput numerale; sufficit quòd illud habeat in potentiâ : unde, eo defuncto, vel absente, remanet Capitulum, et antiquior Canonicus tunc Caput evadit. V. Bouix (*ib.*, p. 71).

PUNCTUM II.

DE IIS QUI VERÈ DICI POSSUNT DE GREMIO CAPITULI.

2166. Cùm illi sint præsertim Canonici, aliquid hîc est præmittendum de hujusmodi vocabuli etymologiâ et de variis speciebus Canonicorum. Porrò — I. Variæ sunt opiniones circa etymologiam vocis *Canonicus:* duas duntaxat referemus:

2167. Alii vocem hanc, à *Canone*, sumpto pro regulâ, desumunt, et dicunt usurpatam fuisse eo tempore quo vitam regularem et communem ducebant Canonici : hoc sensu eam accepisse videtur Alcuinus in homiliâ *de zizaniâ*. Yvo autem Carnutensis, in suâ epistolâ 203, sic habet : « Canonici appellati estis quòd canonicas regulas » vos velle observare cæteris arctiùs devovistis. »

2168. Alii verò rectiùs sentire videntur, dum dicunt illam vocem derivari à *canone*, sumpto pro catalogo in quo scripti erant clerici ecclesiæ inservientes : quòd multis argumentis probatur à Sarnelli apud D. Bouix (*ib.*, 10, 12 et 58); sufficiat duo referre ; Can. 16 Concil. Nicæni, sic habet : « Sacerdotes, aut diaconi, aut generatim quicum» que sunt *in canone recensiti*. »

Balsamon verò, auctor græcus, de S. Basilio asserit : « Canonicos eos dicit qui *in canone* numerantur, scilicet » clericos, monachos. » Vide alia (*ibid.*), et ap. Ferraris (v° *Canonicus*, art. 1, n[is] 11-18).

In hâc secundâ acceptione, vox *Canonicus* majorem antiquitatem habet, et ad plures quàm hodie fuit olim extensa : attamen, juxta dictum Sarnelli, primitùs hæc vox non designabat sacerdotes et diaconos qui propriè *Presbyterium* seu *Consilium* Episcopi efformabant, sed alios clericos inferiores qui officium divinum cantandi munus speciale habebant : assertum hoc deduci posse affirmat ex decreto S. Gregorii Magni, cap. *In Sanctâ Romanâ*, dist. 92. Vide ap. Bouix (*ibid.*, p. 60).

Si vera sit hæc secunda etymologia, omnino evanescit difficultas apud auctores discussa, quomodo Canonici dici

potuerint: alii *regulares* et alii *non regulares*. In priori autem opinione, canonicus regularis idem sonaret ac *regularis regularis*. (*Ibid.*, p. 61.)

2169. — II. Distinguuntur Canonici 1° in *Cathedrales* et *Collegiales*

2° In *præbendarios* qui præbendam habent, et *simplices canonicos*, qui præbendâ carent.

3° In *numeratos* et *supranumerarios*; *supranumerarii* dicuntur qui determinatum numerum excedunt : cæteri sunt numerati, quando numerus Canonicorum est determinatus.

Hi supranumerarii triplicis speciei sunt : vel cum *expectativâ* primæ præbendæ vacaturæ à S. Pontifice creantur; vel sinè eâ et tantùm ad honorem : unde Canonici *honorarii* nuncupantur; vel superadduntur cum fundatione novæ præbendæ, et hi non differunt conditione à cæteris Canonicis præbendariis.

4° Olim Canonici distinguebantur præcipuè in *regulares* et *sæculares*; sed hodiè vix existunt Canonici regulares : de quibus vide, si lubet, Bouix (*ib.*, p. 64); et Ferraris (v° *Canonicatus*, art. 11).

His explicatis :

2170. Quærit. 1° An Episcopus, Abbas, Vicarius Generalis, Decanus, aliæque Dignitates, vel beneficiarii verè sint de Capitulo?

Resp. 1° Propriè et rigorosè loquendo, nec Episcopum, nec Abbatem venire nomine Capituli, sed ab eo distinctos esse. Ita Leuren. plures alios citans. In largo tamen sensu et in materiâ favorabili, nomine Capituli, etiam Prælati velut ipsius Caput principale comprehenduntur. Bouix (*ib.*, p. 66).

2171. Resp. 2° Si Vicarius Generalis est Canonicus, tunc certè est de Capituli gremio, vocemque in eo habet; sed sedere et dare votum debet suo loco, ratione *antianitatis*, ut vulgò dicitur, non verò Dignitatis Vicarialis. — Si autem non sit Canonicus, de Capitulo non est, eidemque intervenire nequit, etiam absente Episcopo, nisi consentientibus Canonicis, aut nisi fortè consuetudine vel alio

speciali jure id ipsi competeret, vel tandem nisi necessaria esset ipsius interventio ad sedanda scandala tumultuantium in Capitulo : in quo casu Canonici tenentur illum admittere, licet ipse tunc nullum possit ferre suffragium.

2172. Resp. 3° Quoad Decanum scinduntur Canonistæ : eum esse de Capitulo contendit Leurenius cum Pirrhing et Reiffenstuel. Fagnanus verò et Barbosa hoc negant, nisi simul sit Canonicus, aut nisi sic habeat consuetudo. Vide Bouix (*ib.* 66).

2173. Resp. 4° « De jure communi, inquit Leurenius (ap. D. Bouix, *De Capitulis*, p. 67), « Dignitates non sunt » de Capitulo, nisi in earum erectione exprimatur conces- » sio stalli in choro et vocis in Capitulo, vel nisi statuto » vel consuetudine disponatur quòd sint de Capitulo. » Idem asserunt Canonistæ omnes, inter quos Cardin. Petra et Scarfantonius (*ib.*, p. 84) ; à quo sequens regula traditur : « Dignitates reputandæ sunt de corpore Capituli, » si in traditione possessionis fuerit eisdem Dignitatibus » assignatum capitulariter stallum in choro et locus in » Capitulo ; cum talis installatio importet concessionem » pleni juris Canonici. »

De Capitulo etiam non est Coadjutor Episcopi, nisi simul sit Canonicus.

2174. Mirandum quidem est quòd Dignitates quæ Canonicos præcedunt et stalla habent in choro, quarum Prima etiam Præses est et Caput Capituli, non sint tamen de ipsius gremio, nisi quando ipsis hoc tribuit jus, privilegii vel consuetudinis ope. Rationem quam affert Thomassinus est quòd in principio illæ Dignitates nihil aliud erant quàm officia temporanea extraneis commissa, de quibus ratio Capitulo reddenda erat : ut verò de iis liberiùs deliberarent Canonici, ii qui tales commissiones impleverant, in capitulari cœtu non admittebantur : quæ exclusio perseveravit etiam postquam illi administratores, stabiles et Dignitates devenêre. (Vide ap. Bouix, *De Capit.*, p. 84.)

2175. Resp. 5° Uno verbo, juxta Rotam, de jure communi est quòd Capitulum constituant soli Canonici, et non portionarii, nec Cappellani, vicarii aliique benefi-

ciarii non Canonici, etiam nec ipsi Canonici supernumerarii. Hanc opinionem DD. communiter sequuntur. Excipitur semper casus in quo secus, statuto vel consuetudine, disponeretur.

2176. *Nota* autem quòd communiter Dignitates soleant esse de Capitulo, sive statuto sive consuetudine. Id in Italiâ generaliter locum habet; in aliis verò regionibus, frequenter. Vide Bouix (*ib.*, p. 68, 69).

2177. Quærit. 2° Quot numero esse debeant Canonici? —Et utrum valeat eorum numerus augeri vel minui?

Resp. 1° Hunc numerum non determinari à jure, sed relinqui judicio S. Pontificis, ad quem solum pertinet erigere Capitula Cathedralia.

Attamen nec ipsæ Collegiatæ institui possunt, si non habeant saltem tres Canonicos; licet semel erectæ, subsistere possint, etiam cum uno.

2178. Resp. 2° Capitulum esse vel numeratum vel non numeratum: si numeratum sit (et tale est quando aliquo modo determinatus fuit numerus Canonicorum, ita ut nequeat augeri, quod triplici modo contingere potest: 1° à Papâ, 2° ab Episcopo de consilio Capituli, 3° à consuetudine), tunc à solo Papâ augeri potest determinatus Canonicorum numerus in triplici casu: 1° si hic numerus ab ipsius decreto fuerit determinatus; 2° si à diuturnâ consuetudine; 3° etiamsi fuerit determinatus per Episcopum et Capitulum, si Canonici coram Papâ emiserint juramentum de non augendo statuto numero: extra tres illos casus numerus augeri potest per Episcopum cum Capitulo. Vide infra dicenda (2266).

Si numeratum non fuerit Capitulum, nihil videtur obstare quominus possit augeri etiam ab Episcopo, modò sustentationi Canonicorum congruè provideatur et consentiat Capitulum. Vide infra dicenda (2266).

2179. Quoad diminutionem Canonicorum, sic habet Concil. Trid (sess. 24, c. 15, *de ref.*): «In Ecclesiis Cathedralibus et
» Collegiatis insignibus (non ergo decretum est non insigni-
» bus applicandum), ubi frequentes adeoque tenues sunt
» præbendæ simul cum distributionibus quotidianis ut

» sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et per- » sonarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis (non » autem Prælatis Collegiatarum etsi exemptis et jurisdic- » tionem quasi-episcopalem habentibus) cum *consensu* (non » *consilio* tantùm) Capituli, vel aliquot simplicia benefi- » cia, non tamen regularia, iis unire; vel si hâc ratione » provideri non possit, aliquibus ex eis suppressis cum » patronorum consensu, si de jure patronatûs laicorum » sunt, quarum fructus et proventus reliquarum præben- » darum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad » pauciorem numerum reducere: ita tamen ut tot super- » sint quæ divino cultui celebrando et dignitati Ecclesiæ » commodè valeant respondere. »

2180. Facultas autem hæc non transit ad Capitulum, Sede vacante : juxta D. Bouix, *De Capitulo*, p. 78.

In Galliâ, juxta eumdem (*ib.*), Capitula uti numerata haberi non debent, quia etsi determinatus tantùm numerus Canonicorum pensionem à Gubernio recipiat, tamen nullum existit statutum ecclesiasticum de non augendo eorum numero : unde non solùm à Papâ, sed etiam ab Episcopo simultaneè cum Capitulo, ipsis Canonicis addi possent Canonici, qui non essent dicendi *supranumerarii* : sufficeret fundatio facta ab aliquâ familiâ piâ.

2181. *Nota* quòd ex Concil. Trident. (sess. 24, cap. 12), « in omnibus Ecclesiis Cathedralibus (non autem Colle- » giatis tantùm) omnes Canonicatus (non verò Dignitates) » et portiones habeant annexum ordinem Presbyterii, » Diaconatûs vel Subdiaconatûs. Episcopus autem cum » *consilio* Capituli (*consensus* enim non requiritur) designet » ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque » ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat : ita » tamen ut dimidia saltem pars presbyteri sint, cæteri verò » Diaconi aut Subdiaconi. » (V. decisiones de hoc relatas à Ferraris, v° *Capitulum*, art. 2, n° 20.) « Ubi verò consue- » tudo laudabiliter habet ut plures vel omnes sint presby- » teri omnino observetur. » — Hujusmodi consuetudo hodie viget in Galliâ. — Vide D. Bouix, *De Capit.*, p. 72-75.

In posteriori casu, Canonici eligi non possunt, nisi in

eâ ætate quâ infra annum ad presbyteratum possint promoveri ; cæterùm quâ ætate quis possit Canonicus eligi : vide dicta supra (467).

2182. Qui culpabiliter ordines requisitos intra annum non recipiunt, privantur dimidiâ parte distributionum , ex Clement. *Ut ii*, *de ætate et qualit.* ; etc., et Concil. Trident., sess. 22, cap. 4, *de reform.*—Vide Ferraris, v° *Canonicatus* art. 3 , n° 18.

PUNCTUM III.

DE DIGNITATIBUS ET VARIIS GRADIBUS HONORIFICIS IN CAPITULO.

2183. Antequam sigillatim de singulis gradibus honorificis in Capitulo disseramus, quædam sunt præmittenda circa Dignitates, Personatus et officia ecclesiastica in genere.

I.

DE DIGNITATIBUS, PERSONATIBUS ET OFFICIIS ECCLESIASTICIS IN GENERE.

2184. Quærit. 1° Quid sit Dignitas et quomodo à Personatu et Officio differat?

Resp. Juxta primitivam significationem, *Dignitas* erat titulus beneficialis annexam habens præcedentiam cum jurisdictione.

Personatus est titulus beneficialis annexam habens præcedentiam sinè jurisdictione.

Officium verò ab utroque differt, prout colligi potest ex cap. *Quia sæpe* , et cap. finali *de Præbendis*, in 6°; et est titulus beneficialis absque jurisdictione et præcedentiâ.

2185. Sed à pluribus sæculis tituli quibus olim jurisdictio cum præcedentiâ competebat, velut Archidiaconatus et Archipresbyteratus, hâc jurisdictione spoliati sunt, et tamen tanquam Dignitates adhuc habentur : sunt insuper diversis in locis aliæ Dignitates , quæ tales reputantur statuto aut consuetudine. Igitur Dignitates definiendæ sunt:
« *Tituli beneficiales quibus olim annexa erat jurisdictio* ,
» *vel qui ut Dignitates statuto vel consuetudine habiti sunt ;*
» et sic Dignitates hodie de facto et in se non differunt à

» *Personatu*, sed differunt in jure, et etiam in eo quòd » olim aliquæ ex ipsis habuerint annexam jurisdictionem, » et ex eo quòd cæteræ per statutum aut consuetudinem » fuerint in gradu Dignitatum constitutæ, quales sunt in » pluribus locis Decanatus, Præpositura, Primiceriatus, » etc. »— (Bouix, *De Capitulis*, p. 81.)

2186. Quinam verò sint illæ Dignitates? — Tales, certè et jure communi, inquit D. Bouix, (*ib.*, p. 83), sunt: « 1° Archidiaconus et Archipresbyter (Vide supra, 1195, » 1200); 2°.. Caput et Præses Capituli quocumque nomine » nuncupetur; 3° Nulli alii Dignitates sunt, nisi tales » probentur, vel per decretum creationis..., vel per con- » suetudinem et æstimationem loci, vel per jurisdictionem » perpetuò annexam titulo suo. » Bouix (*ib.*).—De Vicario autem Generali, vide dicta supra (1179).

2187. Quærit. 2° Quænam sint prærogativæ Dignitatum?

Respondet Bouix (*ib.*, p. 85): « 1° Etiam ubi (Dignitates) » non sunt de Capitulo, antecedunt Canonicos, tum in » choro, tum in processionibus, tum in aliis actibus extra » Capitulum... Si sint de Capitulo, præcedunt etiam in » actibus Capitularibus.

2188. » 2° Ad ipsas pertinet, impedito Episcopo, exer- » citium functionum quæ dicuntur *Pontificales*, sivè sint » sivè non sint de Capitulo; ita ut, ait Scarfantonius.... » vel ad Primam Dignitatem, vel ad sequentem in gradu » (vel ad antiquiorem Canonicum : S. Rit. Congr., ap. Fer- » raris, v° *Canonicatus*, art. 5, n° 85), non ad Canonicum » hebdomadarium spectet; neque per Episcopum alteri, » nec ipsi suo Generali Vicario, committi possit. Eodem » modo quo, impeditâ Primâ Dignitate, non potest eadem » pro libito alium subrogare in ejus locum; sed in illam » subintrat Dignitas subsequens... Concordat... *Cæremo-* » *niale Episcoporum*, lib. 1, c. 26 et resolvit S. Rit. » Congr. 11 febr. 1702.

» Suffragari non posset... contraria consuetudo, ut de- » crevit S. Rit. Cong...., 26 sep. 1682...; consuetudo im- » memorialis videtur suffragare posse. » Vide etiam Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 5, n° 86.

2189. — 3° Ad Primam Dignitatem vel, eâ impeditâ, ad sequentem pertinet administrare sacramenta Episcopo decumbenti, eoque defuncto, celebrare funebre officium.

2190.—4° Item fungi officio Presbyteri assistentis Episcopo in Pontificalibus celebranti. (*Cæremon. Episcop.*, *de Offic. Presbyt. assist.*, c. 7.)

2191. — 5° Ad eam pariter pertinet Capitulum convocare (Gardell., n° 3926). Item dare inchoandi officii signum, etsi ex localibus statutis alteri commissa fuisset directio chori (*ib.*, n° 3139), et generatim ordinare quæ directionem chori spectant (*ib.*, 3286).—Quoad eum verò qui debet incipere officium, S. Congr. Rit. respondit servandum esse *Cæremoniale*, lib. 2, c. 6, ubi dicitur inchoandum esse officium ab eo qui est missam celebraturus. — (Gardell., n° 3209.)

2192. — 6° Potest Prima Dignitas, si talis usus alicubi existat, habere presbyterum assistentem cum pluviali, dum celebrat pro Episcopo (Gardell., 737, 851); sed (n° 3224) idem Gardellini asserit decisum fuisse à S. Congr. Rit. Primæ Dignitati deberi tantùm assistentiam duorum Canonicorum tanquam Diaconi et Subdiaconi. (Bouix, *De Capitulis*, p. 103.)

2193. Diximus supra (2°) *ad Primam Dignitatem pertinere, impedito Episcopo, exercitium functionum Pontificalium.* Porrò « S. (Rit.) Congr.... declaravit : *functiones* » *Pontificales* esse festum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, » Ascensionis, Pentecostes, Apostolorum Petri et Pauli, » Assumptionis B. M. Virginis, Omnium SS., Dedicationis » Ecclesiæ Cathedralis, Titularis ejusdem Ecclesiæ, Pa- » troni Civitatis, necnon Commemorationem Omnium » Defunctorum, distributionem candelarum, cinerum, » palmarum, celebrationem officii feriæ V in Cœnâ Domini, » feriæ VI in Parasceve, Festum Paschatis..., diem solem- » nem Corporis Christi cum processione..., 3 dec. 1672 »; additis nunc festis S. Joseph et Imm. Conc. B. M. V.

His ergo omnibus diebus, impedito Episcopo, Prima Dignitas et aliæ subsidiariè tenentur ad celebrationem missæ capitularis, proinde ad ejus fructum applicandum

benefactoribus Ecclesiæ in genere. Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 87.

2194. Si Dignitas Prima velit functiones pontificales obire, debet etiam missam canere ; aliàs pertinent ad subsequentes Dignitates cum eâdem conditione. Ita S. Congr. Rit. in *Aretinâ*, 30 januar. 1612 : ap. Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 5, n° 88.

Quoad dotes requisitas in Dignitatibus, diximus supra (466, etc.).—*Nota* quòd Concil. Trident. non exigat quòd sacro ordini annectantur (sess. 24, c. 12, *de reform.*). Vide decis. S. Congr. Conc. in hoc sensu (19 decemb. 1648 : ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 166).

II

2195. DE DIGNITATIBUS, PERSONATIBUS ET OFFICIIS IN SPECIE.

—

DE ARCHIDIACONIS.

De iis diximus supra (1190-1198).

DE ARCHIPRESBYTERIS.

De iis etiam diximus, vide supra (1199-1201).

DE THEOLOGO ET THEOLOGALI PRÆBENDA.

2196. In Concilio Lateranensi IV decretum fuit Theologum, in quâlibet Ecclesiâ Metropolitanâ, eligi debere ad interpretationem Sacrarum Scripturarum, atque ad edocendum quæ ad animarum salutem spectant (Cap. *Quia nonnulli, de Magistris*). Hanc dispositionem Concilium Basileense extendit ad omnes Cathedrales Ecclesias ; eamdem Galli Pragmaticæ Sanctioni inseruerunt ; suâque auctoritate eam firmavit Leo X, in Concilio Lateranensi V, anno 1516, in quo fuit statutum quòd, in Galliæ et Delphinatûs Ecclesiis Cathedralibus et Metropolitanis, addiceretur præbenda Theologalis Doctori sive Licentiato in theologiâ, ut bis saltem in hebdomadâ Scripturas legeret. Vide Cardin. Petra, apud D. Bouix, *De Capitulis*, p. 107.

2197. His dispositionibus inhærens Concil. Trident. (sess. 5, cap. 1, *de ref.*) hæc sancivit : « Eadem Sacros. Sy-

» nodus statuit et decrevit quòd in illis Ecclesiis, in qui» bus præbenda aut præstimonium, seu aliud quovis no» mine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacræ » theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archiepis» copi... et alii locorum Ordinarii, eos qui præbendam, » aut præstimonium seu stipendium hujusmodi obtinent, » ad ipsius Scripturæ Sacræ expositionem et interpretatio» nem, per se ipsos si idonei fuerint, alioquin per ido» neum substitutum ab ipsis Episcopis... et aliis... Ordi» nariis eligendum, etiam per substractionem... fructuum » cogant... De cætero verò præbenda, præstimonium, aut » stipendium... nonnisi personis idoneis et quæ per seip» sos id munus explere possint, conferantur; et aliter » facta provisio nulla sit et invalida.

» In Ecclesiis autem Metropolitanis, vel Cathedralibus, » si civitas insignis vel populosa, ac etiam in Collegiatis » existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diœ» cesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla Præbenda » aut Præstimonium seu stipendium hujusmodi deputatum » reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex » causâ resignationis, primò vacatura.., ad eum usum, » ipso facto perpetuò constituta et deputata intelligatur. Et » quatenus in ipsis ecclesiis nulla vel non sufficiens præ» benda foret.., Episcopus... per assignationem fructuum » alicujus simplicis officii.., vel aliàs.., de Capituli consi» lio, ita provideat ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio habea» tur... Statuit eadem S. Synodus... neminem ad hujus» modi officium... admittendum esse qui priùs ab Episcopo » loci, de vitâ, moribus et scientiâ examinatus et appro» batus non fuerit. »

2198. Consentaneè his Tridentini verbis, « Sacra Congr. » Concil. censuit, approbante Sanctissimo, ad erectionem » præbendæ theologalis requiri actualem deputationem; » et ideo, si in provisione Præbendæ non fuerit facta ac» tualis deputatio, non posse provisum cogi obire munus » lecturæ. » Ex Card. Petra, ap. Bouix, *De Capit.*, p. 110.

2199. **Quærit. 1° An Theologalis debeat esse necessariò Canonicus?**

Respondet affirmativè D. Bouix (*ib.*, p. 109) : « Pugnat, » inquit, in terminis quòd Canonicus Theologalis non » sit Canonicus. Ergo... non potest facere Episcopus ut qui » Canonicus non est, sit Canonicus Theologalis. » Et reverà fortè sic hodie est dicendum, ubi Præbenda Canonialis Theologali assignatur. Sed cùm ex Concil. Trident. supra relato, alio modo posset ipsius sustentationi provideri, non videtur cur is qui Canonicus non est, *Theologalis* esse nequiret. Imò juxta cap. *Quia nonnullis*, *de Magistris*, etiam Theologalis cui præbenda à Capitulo assignatur, « non propter hoc efficitur Canonicus, sed tandiù solùm » redditus ipsos percipere potest quamdiù perstiterit in » docendo. »

2200. Quidquid sit de hâc quæstione, « si Præbenda » Theologalis vacat, inquit Ferraris (v° *Canonicatus*, art. 9, » n^{is} 23 et seq.), poterit Episcopus applicare fructus alicui » personæ extra Capitulum, quæ suppleat munus legendi. » S. Cong. Conc., in *Camerinâ*, 8 febr. 1593. Et hæc per» sona extra Capitulum debet, si reperiatur idonea, eligi » in clericis sæcularibus (S. C. Episc., 5 oct. 1573); si » verò sæcularis idoneus non reperiatur..., donec invenia» tur Theologus sæcularis... (nam Canonicatus Theologalis » clerico sæculari, nunquam verò regulari conferendus est, » ex S. Rit. Cong., apud Gardell., n° 74) omnes (fructus » Præbendæ) tradendi sunt Superiori alicujus ordinis qui » curet ut aliquis ex suis regularibus publicè in Cathedrali » Ecclesiâ doceat Sacram Scripturam, prout, etc. »

2201. Quærit. 2° Utrum Theologalis ab Episcopo possit ad nutum revocari ?

Respondet negativè idem Bouix (*De Capitulis*, p. 109), quia, inquit, *Episcopus non potest Canonicatum Theologalem creare, nisi per decretum erigendo in Theologalem Canonicatum aliquem determinatum, et illi Canonicatui in perpetuum annectendo munus Theologi :* ita ut ipsius Titularis teneatur in perpetuum Theologi officium implere. Sed hæc ratio non videtur omnino convincens : etenim non videtur necessarium quòd Episcopus per decretum erigat Canonicatum in Theologalem : cùm ex Concil. Trident. supra re-

lato, ipso facto, *Præbenda primò vacatura in perpetuum constituta et deputata ad talem usum intelligi debeat;* sed requiritur ut Episcopus in provisione deputet actualiter electum ad hanc præbendam, prout declaravit S. Congreg. Concil.: vide supra (2198). Re quidem verâ talis Deputatus est inamovibilis, cùm sit Canonicus; nec proinde potest hujusmodi Theologalis, pro arbitrio, suo munere privari[1]; sed si Theologalis non esset Canonicus, prout fieri posse videtur ex responsione ad præcedentem quæstionem, argumentatio D. Bouix non probaret hujusmodi Theologalem amoveri pro arbitrio non posse.

2202. Sed tandem, inquies, possetne tunc pro arbitrio Episcopi talis Theologalis amoveri? — Hoc æquum certè non videtur; nullatenus tamen debet affirmari quòd Episcopus haud posset hunc destituere casu quo suum munus non valeret adimplere, modò aliunde provideret ipsius necessitatibus.

2203. Quidquid sit de hâc quæstione, in Galliâ, casu quo Episcopus aliquem Canonicum deputavit *actualiter* per provisionem ad munus Theologalis, certè videtur quòd non possit eum amovere nisi eum privando juridicè suâ Theologali Præbendâ. Excipe tamen si Episcopus, prout in Diœcesi Diniensi, à S. Sede obtinuisset facere permutationem præbendarum *quando utilitas* postulare videretur[2].

Si verò Episcopus, per provisionem, Canonicum non deputet actualiter ad munus Theologi, talis Canonicus non est reverà Theologalis, nec proindè privilegiis et juri-

[1] Imò obtinens Præbendam Theologalem non potest illam dimittere et aliam optare ad instar aliorum canonicatuum. S. C. Conc., 7 jun. 1601. Potest tamen resignare in manibus Ordinarii et obtinere pinguiorem, mediante optione cum retentione sui stalli in choro. S. Congr. Rit., 2 sept. 1597. Vide Ferraris, vº *Canonicus*, art. 9, nº 8.

[2] Statuta Diniensis Capituli à S. Sede approbata sic habent, cap. 3, sect. 5 : « Officia Theologi et Pœnitentiarii, tanti momenti semper » habuit Ecclesia ut ab ipsâ Canonicali præbendâ, cui adjuncta fuerunt, nunquam separanda statuimus : ita ut neuter possit derelinquere officium, nisi Præbenda derelinquatur.

» Nobis tamen reservamus permutationem præbendarum permittere » cùm utilitas postulare videbitur. »

bus huic muneri annexis frui valet, prout, v. g., abesse à choro eo die quo legit; nec censuris compelli posset ad suum munus implendum.

2204. Quærit. 3° A quo eligendus sit Theologalis et à quo conferri debeat præbenda ad ipsius vitæ subsidium deputata?

Resp. 1° Regulariter Theologalis electionem ad Episcopum spectare, nisi præbenda vacaret in mensibus quibus electio ad S. Sedem reservatur: excipiuntur Italia et insulæ adjacentes ubi præbenda dari debet per concursum, quod extensum fuit ad Sabaudiam, ex Bullâ Leonis XII, ut videre est apud *Analecta jur. pontif.* (nov. 1855, col. 1817); et ibi electio pendet à judicio examinatorum, juxta Bullam *Pastoralis officii* Benedicti XIII.

Ubi verò simul erigi non possent Theologalis et Pœnitentiarius, sed alteruter solùm, præferri deberet Theologalis. (Ferraris, v° *Canonicus*, art. 9, n° 63.)

2205. Resp. 2° Collatio Præbendæ Theologalis fit nihilominus ab iis qui cæteras præbendas conferunt, videlicet *ordinariè* ab Episcopo simul et Capitulo, licet ex speciali jure fieri possit, vel à solo Episcopo, vel à solo Capitulo. Decisum à S. Congr. referunt plures ap. Ferraris (v° *Canonicus*, art. 6, n^is 10-14).

2206. Quærit. 4° An in statu præsenti Galliæ et regionum quæ ex Concordato 1801 reguntur, obligatoria permanserit Theologalis institutio?

Resp. Affirmativè: etenim in Concordato 1801 nihil est ex quo deduci possit, vel impossibilitas hujusmodi institutionis, vel extinctio ipsius obligationis. Vi autem Concordati Leonis X vigebat olim hæc obligatio in Galliâ; porrò denuò inculcata fuit à Pio VII in Bullâ *Commissa divinitùs* anno 1817, § 25, ubi sic loquitur Pontifex: « Curent præ-» terea, ut in unoquoque Capitulo, duo adsint Canonici, » quorum alter Pœnitentiarii, alter *Theologi officio* fun-» gatur. » Ergo, etc.

Objici nequit consuetudo in contrarium existens: nam, si alicubi talis consuetudo existat, dotes requisitas non

videtur habere, cum præsertim Sedes Apostolica assentire non videatur, prout necesse est ut legitimè fiat.

2207. Quærit. 5° Quænam qualitates requirantur in Canonico Theologali?

Resp. 1° Eligendum debere esse habilem ad Sacram Scripturam explicandam; ita ut per se munus suum congruè implere valeat: alioquin collatio nulla esset ex Tridentinâ dispositione (loco supra relato).

2° Non tamen absolutè requiritur ut sit Doctor, uti censuit S. Congr. Conc. (in *Astensi*, 3 febr. 1646), declarando posse non doctorem obtinere Præbendam Theologalem, *si non adsit Doctor æqualis idoneitatis :* contrarium quidem statuit Bened. XIII in suâ Bullâ *Pastoralis officii;* sed in ipsâmet Bullâ dicitur *id decerni pro Italiâ et Insulis adjacentibus*, de quo Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 9, n[is] 16 et 17) admonere negligente, indè in errorem plures videntur fuisse inducti.

2208. — 3° De jure communi, collatio Præbendæ Theologalis non necessariò fit per concursum; secus est dicendum, ex variis Bullis à D. Bouix citatis (p. 113), de Italiâ, Insulis adjacentibus et Hispaniâ.

Jus commune Galliæ est applicandum, etiam in Insulâ Corsicâ, ob Bullam *Qui Christi Domini*, quæ statum antiquarum Ecclesiarum et Capitulorum hujus Insulæ, sicut totius Galliæ omninò extinxit.— Vide Bouix, *De Capitul.*, p. 114.

2209. Quærit. 6° Quomodo sit implendum munus Theologalis?

Resp. 1° Materia legenda debet esse Scriptura Sacra, juxta Concil. Trident., et potest esse Theologia scholastica seu dogmatica, juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 9, n° 17): « Dummodo hæc talis sit qualem Melchior Canus » tradendam... suadet, in suo libro 8 de locis theologicis : » quæ scilicet circa quæstiones gravis momenti et utili» tatis versetur, easque pertractet, allatis divinæ Scrip» turæ testimoniis, Conciliorum decretis et Patrum aucto» ritatibus. »

2210. Satis etiam concors est Doctorum opinio, ait R.

de M. (p. 294, *Instit. jur. can.*), idque pariter laudat Bened. XIV (*ibid.*), muneri Theologalis satisfieri per lectionem theologiæ moralis (quod videtur approbasse S. C. Conc., in *Pharensi*, 13 apr. 1595 : ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 117.

2211. Controvertitur autem utrum sit idem dicendum de expositione juris canonici : affirmant plerique antiquiores DD.; negant non pauci moderni, inquit supra laudatus R. de M. (*ib.*). — « In casibus tamen particularibus » Bened. XIV (*ib.*) dicit videri posse, an expediat... Præbendam (Theologalem) alicui Sacrorum Canonum Magistro conferre, qui scilicet cum juris canonici lectione » ea quoque conjungere valeat quæ pertinent ad theologiam » moralem : quod sanè ab aliquibus magnâ cum laude » præstitum fuisse..., dignoscitur. »

2212. — 2° Ad Episcopum pertinet determinare lectionum theologalium tempus, materiam et modum (S. Congr. Conc., 15 mart. 1710, in *Amerinâ*) : non tamen suo arbitrio abuti debet Prælatus, sed debet hæc omnia regulare ex rationabili consuetudine ipsius Ecclesiæ et aliarum circumpositarum. S. Congr. Conc., 15 jul. 1645.

Ex decreto Bened. XIII, in Italiâ, Theologalis tenetur habere in Ecclesiâ saltem 40 lectiones publicas per annum. (Bouix, *De Capit.*, p. 118.)

2213. — 3° Locus ubi haberi debet lectio Theologalis est Cathedralis Ecclesia, etsi justis de causis, permittente Episcopo, fieri alibi possit, v. g. in Palatio Episcopali (Ferraris, v° *Canonicus*, art. 9, n^{is} 28-37) : modò fiant in loco publico, ubi non clerici tantùm, sed omnes fideles de lege divinâ instrui possint. (Bouix, *ib.*, p. 119.)

2214. — 4° Legitimâ causâ subsistente, per substitutum ab Episcopo approbatum Theologalis inservire potest (Rota, Decis. 1294). Si tamen brevi tempore impediretur, ad hoc non esset cogendus, cùm non sit disparis conditionis ac cæteri Canonici, qui ex causâ à residentiâ excusantur; nec tenetur lectiones facere tribus mensibus æstivis, nempe julio, augusto et septembri : imò, juxta Ferraris (v° *Canonicus*, art. 9, n° 26), Theologalis gaudet vacatione in die-

bus quibus eâ gaudent Doctores Universitatum, scilicet à festo S Thomæ Apostoli ad diem post Epiphaniam, à Dominicâ Septuagesimæ ad primam Quadragesimæ Dominicam, à Dominicâ Palmarum ad totam Octavam Paschatis, à festo S. Joannis Baptistæ ad diem 5 novembris. Ita respondit S. Congr. Concil., in *Assis.*, 24 jan. 1629.

2215. Totâ die quâ lectionem habet Theologalis eximitur ab obligatione assistendi choro, et ex concessione Gregor. XIII, etiam distributiones quotidianas eâ die lucratur (Gardell., n° 3448). — Aliis verò diebus etiam festivis, potest quidem se à choro abstinere causâ studii, sinè amissione fructuum præbendæ; sed tunc non lucratur distributiones quotidianas. (Bouix, *ib.*, p. 120.)

2216. Quærit. 7° Quomodo procedere possit Episcopus contra Theologalem rectè munus suum non implentem?

Resp. cum S. Congr. Conc., in *Placentinâ*, 29 mart. 1607, ap. D. Bouix (*ib.*, p. 116): « Theologalem Præbendam obtinens potest compelli ut per se, non per substitutum, muneri suo satisfaciat, qui, si in residendo se præbuerit contumacem, debet Episcopus adversùs eum procedere, ad præscriptum cap. 12, sess. 24 (Conc. Trid.) et pro tempore quo, cessante legitimâ causâ..., abfuerit, idem Episcopus alium, ejusdem Canonici sumptibus, substituere. » Non tenetur tamen Theologalis legere, si ejus antecessores nunquam legerunt, eò quòd non adesset necessitas. S. Congr. Episc., 8 maii 1637 (ap. Ferraris, v° *Canonicus*, art. 9, n° 32). Procedere autem debet Episcopus primùm per comminationem pœnarum, et successivè, si sit necessarium, per sequestrationem fructuum, assignationem portionis de iisdem fructibus alteri qui ipsius loco legat; crescente autem contumaciâ, potest ad censuras et privationem muneris devenire, et alium idoneum substituere. Vide Card. Petra, ap. Bouix (*De Capitulis*, p. 116).

Quod potest Episcopus in suâ Ecclesiâ Cathedrali, potest etiam in aliis ecclesiis ordinariis inferioribus sibi subjectis, in quibus sunt Præbendæ Theologales erectæ, si illarum Prælatus in hujusmodi curâ negligentem se osten-

derit, modò tamen ille non sit Prælatus *nullius* propriè dictus. — (Bouix, *ib.*, p. 117.)

2217. Quærit. 8° An Canonici cæterique clerici cogi possint ad interessendum lectioni Theologalis?

Resp. In primâ quidem responsione datâ anno 1619 S. Congr. Conc. responderat teneri Canonicos lectioni Theologalis assistere; sed in *Casanatensi*, 18 jul. 1648, eadem S. Congr. decidit Canonicos esse solummodo hortandos ad hujusmodi assistentiam, posse compelli tantùm Pœnitentiarium.— Quoad confessarios, iterum S. Congr., 2 julii 1707, declaravit ipsos, uti et parochos, teneri ad interventum præfatum, reliquos verò ecclesiasticos hortandos esse et non cogendos.—Idem est dicendum de collationibus casuum conscientiæ, quibus assistere tenentur etiam Canonici, si sint confessarii et curati, nisi ab Episcopo eximantur ab hàc obligatione. Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 121 et 122.

DE PŒNITENTIARIO.

Vide quid de eo dixerimus supra (1202-1206.)

DE PRIMICERIO.

2218. Primicerius, inquit Leurenius (ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 132), in genere vocatur qui, in quibusvis officiis quibus plures participant, primum locum tenet.

In Capitulis, hoc nomine designatur ordinariè qui choro psallentium præest, soletque vocari *Præcentor* (dum qui ejus vices gerit *Succentor* vocatur); in aliquibus tamen Ecclesiis *Scholasticus* nuncupatur.

Officium ejus est clericos ad chorum deputatos docere modum et ordinem psallendi in choro, pro varietate et solemnitate temporum. Pro diversitate tamen ecclesiarum, ejus potestas et auctoritas est diversa, major aut minor (in quibusdam Ecclesiis est etiam Prima Dignitas); non autem propriè habet jurisdictionem, sed defectus quos emendare non potest, ad Episcopum vel Archidiaconum deferre debet. Cap. *Perlectis*, dist. 25, et cap. unicum, *De Primiceriis* (ap. D. Bouix, *ibid.*).

DE SACRISTA SEU THESAURARIO.

2219. Sacrista est Canonicus ad quem proximè sacrorum vasorum et thesauri ecclesiastici cura spectat. Cap. *unicum, de officio Sacristæ,* et cap. *Perlectis* modò citatum.

Sacrista autem subjici debet Archidiacono, in iis quæ pertinent ad impletionem sui muneris, cap. *Ad hæc, de offic. Archid.*, et cap. *Ut sciat, de Sacristâ.*

DE CUSTODE.

2220. Custos ex institutione suâ est quasi Minister Sacristiæ: sed modus quo hoc munus exercetur diversificatur pro varietate locorum. Vide explicatum à Leurenio, apud D. Bouix (*ibid.*, p. 135).

DE PUNCTATORE ET EJUS OFFICIO.

2221. Facilè eluderentur salutares Ecclesiæ constitutiones circa Canonicorum residentiam et obligationem eis impositam ritè divina officia explendi, nisi in singulis Cathedralibus et Collegiatis certi designarentur Canonici aut alii ecclesiastici « quibus onus incumberet accuratè anno- » tandi quotquot, in choro aliisque sacris functionibus, de- » siderantur, et quibus nominatim diebus, aut à quâ spe- » ciatim divini officii parte, hic aut ille se subducat. Qui » verò ad ejusmodi munus destinantur..., nunc communi- » ter... dicuntur Punctatores. » (Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 4, cap. 4.)

2222. Universim loquendo..., Punctatores, priusquam officium assumant, juramento obstringi debent ad illud fideliter obeundum. Ita S. C. Conc., in *Maceratensi,* 26 apr. 1664.

Coram deputante illud juramentum est præstandum, ex eâd. S. Congr., in causâ *Senensi*, 13 jul. 1686.

2223. Punctator, juxta loci consuetudinem, ad mensem vel ad annum nominari potest : et quandiu perdurat ipsius munus Sacristæ Præfectus deputari non debet, nec Hebdomadarius, quia permanere tenetur in choro ab exordio usque ad finem divinorum officiorum.

2224. Punctandi sunt tanquam absentes qui ad missas ante finem *Kyrie* non veniunt, qui non cantant, vel qui confabulantur, qui hùc illùcque vagantur, qui ante finem missæ à choro discedunt, vel adsunt sinè habitu canoniali. Ita Ceccoperius, ap. Bouix, *De Capitulis*, *ib.*, p. 138; vide etiam Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 5, n° 59, ubi citatur resp. S. Congr. Episc., 7 sept. 1594, et n° 61.

2225. « Mos non mulctandi Canonicos, nisi cùm super» veniunt in choro post absolutum 1um Nocturnum cum » lectionibus, vel pòst sex priores psalmos in Matutinis » de feriâ, etiamsi consuetudo adsit, reprobatur à S. Congr. » Concilii... 24 maii 1674. » Ferraris, v° *Canonicatus*, n° 117.

2226. Si quis à choro sæpè exiret, causam in pleno Capitulo explicare deberet; causæ absentiarum veræ esse debent et non duntaxat apparentes; legitima tamen habenda esset causa si, v. g., quis tantisper exiret à choro ob capitis fatigationem et cantûs prolixitatem.

Meliùs Gavanto videtur si duo eligantur Punctatores : qui possunt esse extranei à Capitulo, dummodo sint sacris ordinibus initiati : ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 133.

2227. Institutus fuit Punctator præsertim ob distributiones quotidianas; non ideò tamen concludendum est inutilem fore in Capitulis ubi non exstant hujusmodi distributiones : nam tam Primæ Dignitati quàm Episcopo incumbit ut debitè Canonici officia chori impleant : Prima Dignitas fraternâ monitione debet eos admonere, Episcopus verò contra non assistentes procedere. Est ergo necessarium ut aliquis absentias observet et annotet. (Bouix, *ibid.*, p. 139.)

DE SCHOLASTRO.

2228. « Olim munus Scholasteriæ erat simplex officium, » amovibile ad nutum Superioris, et illud obtinens tenebatur adolescentes clericos in bonis moribus et vitæ sanc» titate erudire. Verùm postmodum in aliquibus Ecclesiis » hujusmodi officium in titulum beneficii et etiam Digni» tatis constitutum fuit. » Bouix, *ibid.*, p. 161. — Vide

quid statuerit circa Scholasterias Conc. Trident., sess. 23, c. 18. Non existunt hodie in Galliâ, aut saltem rarissimi sunt Scholastri.

DE HEBDOMADARIIS.

2229. Quid olim fuerint Hebdomadarii vide explicatum à Nardi, apud D. Bouix, *ibid.*, p. 162.

Hodie Hebdomadarius dicitur ille Canonicus cui, per hebdomadam, celebrandi divini officii munus incumbit. (*Ibid.*)

2230. Hebdomadarius officium faciens, etiam non paratus, primum locum habere debet super omnes Canonicos et Dignitates, si ipse est Canonicus vel Dignitas. In missâ quidem sedere debet in scamno cooperto à cornu Epistolæ præparato; in Vesperis verò, si chorus sit retrò altare, sedere debet in primo stallo, ab eâ parte chori in quâ hebdomada occurrit. Contrarium reverà dixit S. Congr. Rit. in *Balneoregiensi* 1758; sed hoc accidit ob peculiares facti circumstantias : vide Ferraris, vº *Hebdomadarius*. Si autem Hebdomadarius non sit Canonicus, sedere debet in medio chori. S. Congr. Rit., 17 jun. 1616; *Cæremoniale Episcop.*, lib. 2, c. 6.

Hebdomadarius in decantandis Horis canonicis stolâ uti non debet. S. Congr. R., 4 aug. 1663.—Ferraris, vº *Hebdomadarius*.

DE CANONICIS JUBILATIS.

2231. Canonici jubilati illi sunt qui, post præstitum laudabiliter et continuè servitium chori per 40 annos, privilegium consecuti sunt ut ab obligatione choro interessendi eximantur absque privatione fructuum Præbendarum et quotidianarum distributionum.

Hujusmodi privilegium jure communi non decernitur; sed valent Statuta Capitularia illud concedentia, si auctoritate Episcopi edita fuêre, aut si consuetudine centenariâ et immemorabili fuêre observata, vel tandem si specificè à S. Sede confirmata fuerint.

2232. Juxta Bened. XIV (*Instit.* 107, § 9, nº 64), Sacra

Congregatio Concilii hanc facultatem elargitur Canonicis ac beneficiatis, qui, ut supra dictum est, per 40 annos assiduè et laudabiliter munere suo perfuncti fuerunt; attamen, ait idem clarissimus Pontifex, si divinus cultus aliquid detrimenti pateretur, ab Episcopo hujusmodi Jubilati revocari possunt ut choro intersint.

Quod autem dicitur de Canonicis, applicari potest et beneficiariis. D. Bouix, *De Capitulis*, p. 159 et 160.

PUNCTUM IV.

DE IIS QUI NON SUNT PROPRIÈ DE CAPITULO ETSI AD ILLUD CÆTEROQUIN PERTINEANT.

2233. Etsi jure Dignitates non sint de Capitulo, attamen de facto ferè ubique ad ejus gremium pertinent, ut jam diximus (2173 et 2176); sed sunt alii qui nunquam aut saltem rarissimè ad corpus Capituli pertinent, licet ab ipso variis modis pendeant. Tales sunt beneficiarii, Coadjutores et plures Canonici supranumerarii, præsertim Canonici *ad honores*. — De iis omnibus breviter hic est loquendum; paulò tamen fusiùs de Canonicis *ad honores* qui ad magnum numerum hodie apud nos excreverunt.

DE BENEFICIARIIS.

2234. Beneficiarii, quamvis non sint propriè de Capitulo, sunt tamen quoddam illius complementum et ad splendorem cultûs divini multùm conferunt.

Variis nominibus designantur: *Assisii*, id est, *Assidui* seu *Mansionarii*, quia assiduè in eâdem ecclesiâ tenentur canere in choro et obire divina officia. *Hebdomadarii* vel etiam *Choristæ*, quia per hebdomadam canunt: *Portionarii*, eò quòd non integram præbendam habent, sed portionem duntaxat.

2235. Ad residentiam et assistentiam in choro et divinorum officiorum non minus de jure communi astringuntur quàm ipsimet Canonici: vocem tamen non habent in Capitulo.

Jus habent assistendi redditioni reddituum beneficiorum ad ipsorum usum deservientium, quæ facienda est coram

Episcopo, quando Canonici eorum habent administrationem. Ita decisum à S. Congr. Conc., in *Astensi*, 12 jul. 1682. (Apud D. Bouix, *De Capitulis*, p. 140.)

DE COADJUTORIBUS.

2236. Canonicus (vel Dignitas) qui impeditur, vel non vult suum officium implere, potest aliquando à S. Pontifice obtinere ut aliquis sibi in dicto servitio subrogetur; et sic substitutus *Coadjutor* vocatur: nonnisi consentienti et requirenti Coadjuto dari debet, juxta Ferraris (v° *Canonicatus*, art. 10, n° 7).

Licet haberet expectativam seu jus succedendi Coadjuto, non esset tamen verè Canonicus, nec deliberationibus Capituli interesse posset, etiam absente Coadjuto. Ita D. Bouix, *De Capitulis* (p. 141); sed in decursu ejusdem operis, p. 198, idem Auctor asserit Coadjutorem habere vocem in Capitulo nisi Coadjutus interveniat, et citat Decisionem S. C. Conc., quæ prohibet quidem Coadjutori Capitulo intervenire, sed loquitur tantùm de casu quo Coadjutus adesset.

Cùm rarissimi sint apud nos (si tamen alicubi sint) hujusmodi Coadjutores, nihil ampliùs de eis dicemus. Vide ap. D. Bouix, *ib.*, p. 141; et Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 10.

DE CANONICIS SUPERNUMERARIIS.

2237. Diximus supra (2169) tres esse species Canonicorum supernumerariorum.

1° Quoad primam speciem, habentium videlicet spem ad præbendam primò vacaturam, distinguendum est inter eos qui, ultra expectativam, habent etiam jus ad stallum in choro et locum in Capitulo, et hi veri essent Canonici; et alios qui habent simplicem expectativam, et hi non essent veri Canonici. Sed expectativas Concilium Tridentinum prohibuit, sess. 24, c. 19: unde præfati Canonici vel non existunt, vel rarissimi sunt, cùm necessaria sit dispensatio Pontificia.

2° De secundâ specie Canonicorum supernumerariorum, scilicet de creatis *ad honores*, mox dicturi sumus (2239).

2238. 3° Quoad tertiam speciem: eorum nempe qui

ultra numerum per statutum vel immemorabilem consuetudinem firmatum, cum assignatione novæ præbendæ, recipiuntur, observandum est quòd, in hoc casu, etiamsi agatur de Capitulo numerato, non est opus ut derogatio facta numero determinato sit expressa; nam præfinitio numeri ideo fit, ne Mensa Capitularis sustinere cogatur majorem numerum quàm ferre possunt ipsius facultates; sed casu quo assignatur nova præbenda, nihil est timendum simile; ergo taciturnitas numeri, in hoc casu, non inficit gratiam apostolicam. Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 145.

DE CANONICIS HONORARIIS.

2239. Canonici *Honorarii*, ut supra diximus (2169), sunt illi qui sinè præbendâ et jure ad illam etiam futuram, nomen et insignia Canonici, aut ad summum jus stalli consequuntûr.

Hujusmodi canonicos institui posse hodie certum videtur ex variis S. C. Conc. decisionibus, et præsertim 17 decemb. 1808, in causâ *Fulginatensi* (ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 149-153).

Die autem 28 januar. 1837, hoc in Congreg. Concilii proferebatur : « Quod ad *Canonicos Honorarios* attinet, » animadvertendum est quòd, licet cautè admodum ad » eorum institutionem procedendum sit, tamen novum » non est ut aliquando instituantur Canonici Honorarii, » ubi id postulat Ecclesiæ necessitas..: ut si qui Canonico» rum senio confecti, infirmitate laborantes, vel legitimè » impediti reperiantur, eorum suppleant officium..... » *Thesaur. resolut.*, tom. XCVII, p. 11, ap. Bouix, *ibid.*, p. 150.

2240. Incertum est à quo tempore exstiterint hujusmodi Canonici; multa quidem in præteritis sæculis sunt exempla Episcoporum, regum aliorumque insignium virorum, qui certis Capitulis nomen dabant et ab ipsis ut fratres recipiebantur, inter quos eminet Carolus Magnus, non unius Capituli sed plurium Canonicus; sed non liquet an hujusmodi canonici fuerint merè honorarii, ita scilicet ut nullum ipsis ex receptione jus obveniret, nulla obligatio im-

poneretur. Dici forsitan potest Canonicos Honorarios, quales nunc in Galliâ existunt, sat recentes esse... (Bouix, *De Capit.*, p. 151.)

2241. Quærit. 1° An possit Episcopus Canonicos Honorarios creare absque Capituli consensu?

Resp. Hoc negari communiter ap. D. Bouix (*ib.*, p. 148), et ipsammet S. Congregationem Concil. decidisse in causâ *Fulginatensi*, 26 febr. 1639, *Episcopum non posse in suâ Ecclesiâ creare Canonicos supernumerarios absque Capituli consensu et Canonicorum.* Ita tenuisse Patres illius S. Congregationis concludit D. Bouix (*ibidem*, p. 154) ex dictis à Secretario in *Fulginatensi*, 6 aug. 1808 : attamen, 14 januarii 1860, S. C. Conc., in causâ *Goritiensi*, rescripsit : « non requiri consensum Capituli. » Unde quæstio pendere videtur a variis Statutis aut consuetudinibus locorum. Vide *Analecta*, 42° livr., col. 446.

2242. Juxta Bouix, sufficientem consensum præbet Capitulum, Canonicos Honorarios admittendo in suis stallis et tabulis inscribendo. Idem dicit Ferraris de Canonicis propriè dictis (v° *Canonicatus*, art. 2, n° 28). Si verò Capitulum reclamaret, irrita esset nominatio, juxta D. Bouix, etiam in Galliâ (*ibid.*, p. 155). Sed vide dicta supra (459).

2243. Observandum autem est quòd nonnisi ex causâ legitimâ fieri debeat creatio Canonicorum Honorariorum, et in hoc haberi debeat respectus ad numerum Titularium, ne nimia talium Canonicorum multitudo in Ecclesiæ dedecus vergat. Si sint 40 præbendæ, ait Joannes Andreas (apud Bouix, *ib.*, p. 156), eligi possunt 6 aut 7 Canonici Honorarii; si verò sint 10, tantum possunt eligi 2 vel 3, etc. Sed ex Auctore *Prælect. S. Sulpitii*, n° 354 in fine, « in » Cathedralibus noviter erectis, necnon in Statutis Capitu» laribus recens approbatis, S. Sedes providit ne plus quam » 20 creentur Canonici Honorarii : imò Cathedrali nuper» rimè erectæ 10 duntaxat concessit. » Multò numerosiores tamen sunt pluribus in locis apud nos, ut neminem latet. Et cf App. XII.

2244 Quærit. 2° Quibusnam juribus donentur Canonici Honorarii?

Resp. 1° Canonicos Honorarios non venire appellatione Canonicorum, nec sub hâc denominatione comprehendi quando in jure de Canonicis fit mentio, quia sub hoc nomine, non rigorosè comprehenduntur nisi habentes præbendas in Cathedralibus et Collegiatis.

2° Non habere vocem in Capitulo. — Attamen, sicut beneficiarii, licet non sint de Capitulo, sunt nihilominus vocandi et audiendi, quando de communi ipsorum et Capituli interesse agitur, ita videtur dicendum quando tangitur aliquod ex juribus Canonicorum Honorariorum.

Cæterùm jus eorumdem reducitur tantùm ad stallum in choro et insignia canonialia, nec sunt de *illis in Dignitate aut personatu constitutis* qui à S. Sede delegari valent. Vide D. Bouix, *De Capitul.*, p. 156 et 157.

2245. Quærit. 3° An inamovibiles sint Canonici Honorarii ?

Respondet affirmativè Bouix (*ib.*, p. 157): quia licet jura hujusmodi Canonicorum sint valdè restricta, tamen sunt jura canonialia, id est pars jurium quæ ad Canonicatum propriè dictum pertinent; ergo sequuntur naturam juris ad verum Canonicum pertinentis, et viâ juridicâ duntaxat tolli possunt; in probationem citatur decisio S. C. Rit. ad Episcopum N..., die 11 sept. 1847 directa: sed hoc rescriptum, ut fatetur Bouix (*ib.*, p. 158) et ut legenti patebit, quæstionem non dirimit : ibi solummodo Secretarius mandatum accepit rescribendi præfato Episcopo quòd posset *ex se* indignos à talibus honoribus repellere; sed addit : propter infamiam quâ exinde spoliatus aspergi posset, mens est Congregationis quòd curet Episcopus non devenire ad hanc spoliationem « nisi quando sacerdotis indigni conversatio » exigat ut contra illum de more procedere necesse sit, ad » majora scandala prævenienda; » ex quibus verbis certè non potest concludi debere Episcopum, *per viam juridicam*, insignibus ejus privare *Canonicum Honorarium :* etenim dicere quòd Episcopus non debeat devenire ad spoliandum *ex se* (seu *extrajudicialiter*) Canonicum Honorarium suo titulo et insignibus, nisi quando ipsius indigna conversatio exigit ut contra illum procedatur de more seu juridicè, non

est dicere quòd Episcopus non aliâ viâ quàm *juridicâ* possit contra hujusmodi Canonicum procedere; quin potiùs est contrarium dicere, ut patet: — et reverà aliter quàm juridicè processit præfatus Antistes, ac simplici Decreto Canonicum, de quo interrogata fuerat Congregatio, exauctoravit; nec id improbavit S. Congregatio: ècontra cùm ad eam recursum habuisset Canonicus destitutus pro restitutione tituli sui et insignium canonialium, priùs dictum Episcopum audire voluit S. Congregatio circa veras præfatæ privationis causas, et ipsius acceptis litteris informatoriis, tandem, 20 sept. 1854, sequentem decisionem edidit: « Orator veniam petat ab Episcopo, eique sincerè » ac dociliter sese submittat, et, datis indubiis resipis- » centiæ signis, supplicet eidem Episcopo pro Canonica- » lium insignium restitutione. » Ex quo certè concludi nequit anticanonicè egisse dictum Episcopum.

Cæterùm, jam 28 julii 1847, circa modum procedendi in præfato negotio, eidem Episcopo è Roma fuerat rescriptum: « Quoad destitutionem Canonicorum Honorariorum, » hæc mihi mandavit rescribere Amplitudini Tuæ DD. Gigli: » *Nulla regula hâc super re existit: Episcopus tamen sic* » *agere potest: scribat Canonico Honorario, eumque invitet* » *ad restituendas litteras per quas Canonicus Honorarius de-* » *claratus fuit: et si in archivis episcopalibus est folium* » *per quod nominatio Canonici Honorarii constat, in* » *dicti folii margine adnotetur nominationem infirmatam* » *fuisse. Quod si verò Canonicus Honorarius litteras præ-* » *laudatas restituere renuat, præscribatur ne inter Cano-* » *nicos in posterum accipiatur, canonialibusque cæremoniis* » *intervenire nefas ei sit.* » Certè modus procedendi in hoc rescripto indicatus non est juridicus. Ergo, etc.

Ad rationem verò in contrarium à D. Bouix allatam, facilis est responsio: sicut enim non potest concludi jura succursalistarum, qui, fatente ipsomet D. Bouix *(De Parocho,* p. 418), sunt amovibiles, debere sequi naturam jurium parochorum propriè dictorum, quamvis illorum jura sint absque dubio saltem pars istorum; ita malè concluditur jura Canonicorum Honorariorum debere sequi

naturam jurium Canonicorum propriè dictorum, etsi hujusmodi jura sint canonialia et pars jurium Canonicorum sensu stricto intellectorum. Ergo sicut succursalistæ aliter quàm *viâ juridicâ* è loco suo amoveri possunt, ita et Canonici Honorarii aliter quoque suo titulo et insignibus possunt privari.

§ IV.

Quid sit Capitulum quoad bona temporalia.

PUNCTUM I.

DE PRÆBENDIS.

2246. « Communes erant antiquitùs Ecclesiæ redditus et
» proventus Episcopi et Capituli, inquit Scarfantonius, ap.
» D. Bouix, *De Capitulis*, p. 167, itemque communis vic-
» tus...; sensim frigescente charitatis fervore et regulari
» observantiâ. ., massa ex communibus... redditibus con-
» flata divisa fuit inter Episcopum et Capitulum, ac deinde
» singulis *de Capitulo* proportionata bonorum portio in
» particularem administrationem concessa fuit, quæ sub
» nomine *Præbendæ* fuit appellata. Thomass., ubi supra,
» cap. 8, § 5. »

2247. Igitur Præbenda Canonicalis *est jus percipiendi proventus in Ecclesiâ, competens uni de Collegio Canonicorum.*

Derivatur hæc vox à *præbeo*, quia sic præbetur Canonico ex quo possit vivere.

2248. Honorabilior est Præbenda Capellaniis et beneficiis curatis : unde in materiâ odiosâ Canonicatus et Præbenda non veniunt nomine beneficii; si, v. g., Papa mandaret conferri beneficium alicui in certâ Ecclesiâ, non includeretur in tali mandato Præbenda Canonialis.

In favorabilibus verò veniunt sub nomine beneficii.

2249. Duo in Canonicatu sunt distinguenda : *Canonia* et *Præbenda* : *Canonia* est quædam peculiaris prærogativa ex quâ quis consequitur receptionem in fratrem, stallum in choro, locum in circuitu, vocem in Capitulo, facultatem

participandi quotidianis distributionibus et jus ad Præbendam. Cf. App. VIII.

2250. *Præbenda* verò est una species beneficiorum, et non potest esse sinè Canonià ipsi annexâ; at verò Canonia concipitur et absolutè existere potest absque Præbendâ: talis esset, v. g., Canonicatus cum jure expectativæ. Vide supra (2237); et Bouix, *De Capitulis* (p. 167-169).

2251. Episcopus providere debet ut Canonici habeant Præbendas ad victum sufficientes: proinde tàm in Cathedralibus quàm in Collegiatis insignibus, potest cum Capituli consensu, mensibus S. Sedi non reservatis, Præbendas tenuiores ad pauciorem numerum reducere, vel iisdem unire beneficia simplicia, similiter cum patronorum consensu. Ita Concil. Trident. (sess. 24, c. 15, *de reform.*).

2252. « In plerisque Cathedralibus et Collegiatis adest » usus optandi vacantes Præbendas... Optio est quoddam » jus, cujus vigore antiquiores Canonici gradatim vacan- » tem Præbendam (quæ reservata non sit), propriâ di- » missâ, intra certum tempus eligere et consequi valeant. » (Bouix, *ibid.*, p. 169.)

Jus optandi spectat ad antiquiorem in servitio Ecclesiæ (etsi non sit antiquior in sacerdotio), prout evenit in Cardinalibus qui optant titulos, si sint antiquiores in Diaconatu, supra Cardinales Presbyteros.

Cùm in statu præsenti Ecclesiarum Galliæ nullius momenti possit esse hujusmodi privilegium, nihil ampliùs de eo dicemus. (Bouix, *ibid.*)

PUNCTUM II.

DE DISTRIBUTIONIBUS QUOTIDIANIS.

2253. Distributiones quotidianæ ab Yvone Carnutensi Episcopo excogitatæ primùm fuêre, ut in suâ Ecclesiâ Canonici redderentur divinis officiis magis assidui. In jus commune postea transiit hujusmodi institutio, uti constat ex cap. *Licet*, *de Præbendis*, ex cap. *Olim*, *de verbor. signific.*, et ex cap. unico *de cleric. non resid.*, in 6°. Hancque disciplinam confirmavit Trident. Synodus, ut videre

est (sess. 21, cap. 3; sess. 22, cap. 3; et sess. 24, c. 12).

2254. Juxta præscripta hujus sanctæ Synodi, Episcopi, etiam tanquam Delegati Apostolici, separare possunt ac etiam debent tertiam partem fructuum aut proventuum quorumcumque Dignitatum, Personatuum et Officiorum in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis existentium; quam portionem convertere debent in distributiones quotidianas Dignitatibus et cæteris divinis officiis interessentibus applicandas, non obstantibus consuetudinibus etiam immemorialibus : reliqui fructus Præbendæ interessentibus divino officio non distribuendi, vocabantur *fructus grossi*.

2255. « Cùm... pensiones à Gubernio... solutæ locum » teneant Præbendarum, Episcopus posset indicere, etiam » sub pœnâ suspensionis, omnibus Canonicis, ut tertiam » partem singuli deponant in communi pro distributioni» bus. » Et hoc reverà statuit Concil. Aquense 1850, tit. 5, cap. 2. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 383, II.

2256. Neque Episcopus neque Capitulum potest alicui condonare partem quam iste ob absentiam amisit; sic enim habet Concil. Trident. (sess. 24, c. 12): « Distributiones... » qui statutis horis interfuerint, recipiant: reliqui, *quâvis* » *collusione aut remissione exclusâ, his careant.* » Ita etiam pluries decisum refert Bened. XIV (*Inst.* 107, § 7, n° 42).

2257. In quem autem usum converti debeant distributiones amissæ, non parva occurrit in hâc solvendâ quæstione difficultas, ob duplicem Tridentinæ Synodi sanctionem, quarum altera alteri adversari videtur. Etenim, in cap. 3, sess. 22, hujusmodi distributiones applicari jubentur *Fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi;* at verò in sess. 21, cap. 3, dicitur : « *Tertiam partem... separari debere, et in distributiones* » *quotidianas converti, quæ inter Dignitates obtinentes et* » *cæteros divinis interessentes... dividantur.* » Quæ verba clarè indicant distributiones ab absentibus amissas, accrescere præsentibus.

Difficultatem solvit Monacelli, apud D. Bouix (*De Capitulis*, p. 175), dicendo quòd in cap. 3, sess. 22, agatur de Capitulis in quibus distributiones non sunt tenues, et ubi

tamen Episcopi possunt separare tertiam partem supradictorum proventuum ; sed in hoc casu partes amissæ à Dignitatibus, Personatibus et Officiis, non sunt dividendæ inter præsentes, sed ab Episcopo Fabricæ vel alio pio loco applicandæ. In cap. verò 3, sess. 21, agitur de Capitulis in quibus ita tenues sunt distributiones ut de iis non multùm curetur; et hoc casu, partes amissæ à non inservientibus, servientibus accrescunt, non obstante contrariâ consuetudine.

Analecta verò (42° livr., col. 454, X) dicunt à S. Congreg. Concil. 28 sept. 1858 decisum fuisse quidem amissas distributiones accrescere præsentibus, sed secus respondisse eamdem S. C. Concilii in aliâ causâ ab iisdem *Analectis* relatâ (*ibid.*, col. 475), ubi datur ratio hæc : « Le » Concile de Trente, prévoyant le cas où les chanoines » possèdent des revenus distincts de la masse Capitulaire, » sans rien recevoir de celle-ci, prescrit qu'en pareil cas » le produit des pointes soit appliqué à la Fabrique de » l'Église ou à quelque établissement pie, au gré de » l'Évêque. » Unde juxta hanc decisionem distributiones amissæ sunt inter præsentes distribuendæ quando constituuntur ex tertiâ parte massæ capitularis; secus si constituuntur ex fructibus distinctis ab hâc massâ. Hæc distinctio deducitur ex Bened. XIV, *Instit.* 107, § 7, n° 11. (V. *Analecta*, ib., col. 477.) [1]

2258. Ex Concilio Trident. (sess. 21, cap. 3), ad Episcopum pertinet determinare modum quo fieri debeant distributiones (*ibid.*).

Canonici, quamvis pauci sint, puta duo vel tres, officium in choro canere tenentur ; aliàs ab Ordinario possunt distributionibus privari. Ita S. C. Conc., 31 maii 1696.

2259. Etsi renuntient distributionibus, Canonici et Dignitates possunt ab Episcopo compelli ad residendum personaliter, uti fuit declaratum à S. Congreg. Concilii. (Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 174.)

(1) Vide decret. S. Congr. Conc. 31 maii 1770, ap. *Revue des sciences ecclés* t. XXIII, p. 500.

PUNCTUM III.

DE STIPENDIO CANONICIS SOLVI SOLITO IN GALLIA A GUBERNIO.

2260. Hujusmodi stipendium haberi debet ut vera Præbenda : quia ex pacto Gubernium inter et Sanctam Sedem inito, statutum fuit ut compensatio reddituum bonorum ecclesiasticorum à Gubernio usurpatorum : porrò quemadmodum, si vendita fuissent alicui prædia quæ Præbendam constituebant, eâ conditione ut emptor in perpetuum certam pecuniæ summam quotannis solveret, redditus ille annuus vera Præbenda foret; ita et dicendum est de pensione Gubernii. Ergo, etc.

Constat aliunde assertio prædicta ex sequenti responsione S. Pœnitentiariæ, 19 januar. 1819 : quæsitum fuerat : « An salaria quæ in Belgio solvuntur Pastoribus et » Canonicis induant naturam beneficiorum seu bonorum » ecclesiasticorum, et annexam habeant obligationem » expendendi superflua pauperibus, seu piis causis, et » residendi sub pœnâ non faciendi fructus suos. » Sacra Pœnitentiaria rescripsit jam aliàs à S. Sede responsum fuisse *affirmativè*. (Vide Bouix, *ib.*, p. 177.)

2261. Si ergo stipendium à Gubernio præstitum sit vera Præbenda, invictè sequitur præceptum convertendi tertiam illius partem in distributiones quotidianas, prout statuit Concil. Trident. supra relatum (2257).

Quoad consuetudinem contrariam apud nos vigentem, Episcoporum est judicare an expediat illam in præsenti abolere, et interim recurrere ad Sedem Apostolicam pro dispensatione necessariâ, si autument illius legis impletionem non posse adhuc urgeri. Vide Bouix (*De Capitulis*, p. 139, 178, 181). Et cf. App. VIII.

SCHOLIUM.

2262. Modus capiendi possessionem canonicatûs, à consuetudine vel statutis cujuscumque Capituli determinari solet : a jure enim communi, nulla forma determinata

præscribitur. Vide tamen Ferraris (v° *Canonicatus*, art. 2, n^{is} 25-27).

Recusante Capitulo installationem facere more solito, posset provisus possessionem capere ducendo secum duos testes et notarium qui instrumentum publicum conficeret. Bouix, *De Capitulis*, p. 209, etc.

ART. II.

A QUO SIT CAPITULUM SEU DE POTESTATE CANONICATUS ET DIGNITATES ERIGENDI ET CONFERENDI.

2263. Duo præsertim hìc sunt expendenda : 1° quænam potestas valeat erigere Capitulum Cathedrale et Collegiale ; 2° A quo creari et conferri possint Canonicatus et Dignitates, aut alia officia ad Capitula pertinentia.

§ I.

Ad quem pertineat erigere Capitula Cathedralia et Collegialia.

2264. Supponitur ut omninò certum, ad solum Papam pertinere erectionem Ecclesiarum in Cathedrales, Metropolitanas, etc. Vide dicta supra (335).

Pariter unanimes esse videntur Canonistæ in asserendo Capitula Cathedralia à solo Papâ esse erigenda. Vide dicta supra (335).

2265. Quoad Collegialia, ex textibus juris canonici probari nequit ad S Pontificem reservari rigorosè illorum creationem ; unde veteres Canonistæ in duas abière sententias circa hanc quæstionem (Vide *Prælect. S. Sulpit.*, n° 322). Hodie tamen tenenda videtur sententia affirmans ; quia certa nunc est et constans praxis hujusmodi erectiones à Papâ duntaxat peragi. In hoc sensu pluries respondisse Sacram Congregat. Concilii refert Card. Petra (t. 3, p. 69, n° 11), et specialiter, 1 sept. 1691, in *Catanensi*, ubi proposito dubio « an erectio Collegiatæ facta » per Episcopum, in actu visitationis in ecclesiâ S. An» tonii Oppidi S. Philippi de Argyro, sustineretur, » respondit : *Negativè*. Rebuffus (titulo *de erect. in Colleg.*) tes-

tatur etiam *de motu proprio* Clement. VII, prohibente de cætero Episcopis erigere parochias in Collegiatas.

Cùm ecclesia nequeat dici et esse Collegiata, nisi ob Capitulum Collegiale in ipsâ institutum, sequitur neque Capitulum Collegiale erigi posse absque S. Sedis auctoritate. Bouix, *De Capitulis*, p. 213, etc.; *Instit.*, R. de M., pars 2, cap. 2, § 2.

§ II.

Ad quem pertineat creare et conferre Dignitates, Canonicatus, etc.

PUNCTUM I.

DE CREATIONE NOVARUM DIGNITATUM ET CANONICATUUM.

2266. Absque consensu Capituli Episcopus nequit novas Dignitates aut novos canonicatus creare : sic enim legitur in *Thesauro resolut.* S. Congr. Conc. (tom. 35, p. 12) : « De erigendis autem novis Dignitatibus vel Canonicâtibus » certum est consensum Capituli requiri... Aliàs... irrita » erectio esset..., et in causâ *Aquinatensi* (20 feb. 1677)... » disceptatis dubiis : 1° An possit Episcopus erigere Præposituram secundam Dignitatem in dictâ Collegiatâ; 2° An » in eâdem, in quâ non est præfinitus Canonicorum numerus, possit erigere Canonicatum? Rescripsit ad utrumque : *Affirmativè*, de consensu Capituli... In unâ *Sabinensi*, proposito : An erectio Archidiaconatûs facta sinè » consensu Capituli sustineatur, rescripsit die 16 apr. 1696, » *Negativè*, et erectionem sinè consensu Capituli non sus» tineri. »

Si injustè consensum denegaret Capitulum, S. Congr. Conc. erectionem præscribere valet, non obstante hujusmodi dissensu. Bouix, *De Capitulis*, p. 215.

2267. Econtra cum Capituli consensu, Episcopi possunt creare novos Canonicatus, nisi agatur de Capitulis numeratis auctoritate S. Sedis, ut supra diximus (2178) : ratio est quia in materiâ non odiosâ Canonicatus veniunt appel-

latione beneficii; porrò regulariter beneficia Episcopali auctoritate erigi possunt. Ita Bouix citans Barbosam (*ib.*, p. 217).

2268. Majores sunt difficultates pro Dignitatibus, et quæstio olim controvertebatur. Hodie autem sic resolvitur in *Thesauro resolut.* S. C. Conc. (tom. 35, p. 11) : « Certum est potuisse auctoritate Episcopi erigi hanc Dignitatem, quæ ex eis est quæ in Cathedrali erigi consueverunt, ac sacris canonibus cognitæ sunt; dum profectò aliæ novæ et inusitatæ non potuissent, ut distinguitur communiter...; ac etiam distinguendo pluries edixit S. Congr. et specialim in *Sabin.* 26 nov. 1695... et in *Spoletanâ*... 24 mart. 1736. »

Ut supra diximus (2237), nec Episcopus nec Capitulum, etiam ex mutuo consensu, instituere valent Canonicatus supernumerarios cum expectativâ Præbendæ. Ita decisum à S. Congr. Conc. refert Barbosa ap. Bouix (*ib.*, p. 219).

PUNCTUM II.

DE COLLATIONE DIGNITATUM ET PRÆBENDARUM.

2269. Controvertebatur olim an regulariter præfatarum Collatio in Cathedralibus ad Episcopum simul et ad Capitulum pertineret : communior tamen erat sententia affirmans, et solidiori fundamento niti videtur, ut probari potest cap. *Cùm Ecclesia Volterr.*, *de elect.* Glossâ ejusdem capituli et cap. *Postulasti*, *de concessione Præbendæ.*

2270. Hodie apud Rotam et Curiam Romanam, *pro regulâ* receptum est collationem Præbendarum et Dignitatum Cathedralis, ad Episcopum simul et Capitulum pertinere.

Sic habet Rota (part. 16, decis. 244, 4 jun. 1670) : « Licet per dispositionem juris communis inter Doctores, non ampliùs controversam, tale jus conferendi simultaneum statuatur inter Episcopum et Capitulum... prout sæpè decisum à Rotâ...; attamen hoc non procedit quoties in Capitulo viget consuetudo quòd Capitulum soleat Canonicatus et Dignitates, irrequisito Episcopo, conferre... Quæ consuetudo ad exclusionem simultaneæ col-

» lationis præscribit spatio 40 annorum, ut tenent com-
» muniter Doctores. »

« Eadem consuetudo multoties efficit quòd jus confe-
» rendi Præbendas et beneficia sita in Ecclesiâ Cathedrali,
» vel ad solum spectet Capitulum, vel ut plurimùm ad so-
» lum attineat Episcopum. » (Rota, decis. 232, t. 3, 33 jun. 1702.) — Primæ tamen Dignitatis nominatio, in Ecclesiis Cathedralibus, ad S. Pontificem pertinet, uti diximus supra (449, 459).

2271. Quando jus simultaneæ collationis viget, « si
» Episcopus conferat uni, et Capitulum alteri, neutra col-
» latio valebit..; (tunc) si Papa provideat tertio, etiam se-
» quenti die, ille dicitur habere potiùs jus. » (Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 2, n° 12.)

Communiter sentiunt Canonistæ jus præfatum simultaneæ collationis ortum esse ex eo quòd primitùs communes erant redditus Episcopi et Capituli.

2272. Ad dignoscendum verò ad quem pertineat Collatio Præbendarum, sequentem regulam tradit D. Bouix (*ib.*, p. 229):

Ubi consuetudo, sive immemorabilis sive centenaria sive quadragenaria (cum titulo saltem putativo [1]), in favorem Episcopi existit, collatio Episcopo est exclusivè tribuenda; si eadem consuetudo faveat Capitulo, tunc ad ipsum collatio exclusivè pertinet; quando autem nec Episcopus nec Capitulum possunt allegare talem possessionem, nec aliundè constat Præbendam conflatam esse ex solâ Mensâ Episcopali, vel ex solâ Mensâ Capitulari, tunc collatio simultaneè ad Episcopum et Capitulum tribui debet.

2273. Diversi illi modi collationis faciendæ vigebant olim in Galliâ, uti constat ex edicto regio 1682 circa usum regaliæ (Vide *Correspond. de Rome*, ap. D. Bouix, *De Capitulis*, p. 240, etc.). Cùm autem extincta fuerint antiqua Capitula, et juri communi non fuerit derogatum in hâc parte per Concordata 1801 et 1817 et Bullas illorum con-

[1] Rota modò relata (2270) non loquitur de talis tituli necessitate; imò ipsemet D. Bouix (*De Capitulis*, p. 245) dicit sibi non probari solidè hujus necessitatem.

firmatorias, quæri potest an valeat consuetudo apud nos generaliter existens, vi cujus Episcopi Canonicatus et Dignitates soli conferunt: dicit auctor *Prælect. S. Sulpit.* hanc consuetudinem posse legitimè observari (n° 356). — Vide quid de hoc dixerimus supra (457-460).

2274. Cùm frequens experientia probet in praxi oriri multas difficultates in exercitio simultaneæ collationis, hinc inducta est plura in Capitula praxis quòd per turnum, id est successivè (per menses vel hebdomadas) Episcopus et Capitulum jus conferendi exercerent; sed hujusmodi partitio fieri nequit, nisi simul consentientibus Capitulo et Episcopo.— Quoad effectus verò illius divisionis, vide Bouix (*De Capitulis*, p. 234, etc.).

2275. Effectus autem collationis simultaneæ ab eodem exponuntur (*ib.*, p. 232). ubi dicit quòd si alteruter, Episcopus aut Capitulum actum collationis intra tempus debitum neglexerit, vel illum invalidè peregerit, totum jus in altero consolidatur. Idem dicendum de casu quo Episcopus vel Capitulum impeditur illum perficere propter censuram vel propter absentiam.

2276. Sede vacante, Capitulum est solus Collator. — Vide alia ap. D. Bouix (*ib.*).

2277. Quoad jus quod sibi olim Reges nostri tribuebant ad Canonicatus aliquando nominandi, nempe ad primum Canonicatum post suam ad regnum provectionem vacantem, vel post juramentum fidelitatis à novo Episcopo præstitum: quod jus vocabatur *Droit de joyeux avénement, de serment de fidélité*, non videtur quo solido fundamento sit nixum: penitùs enim ignotum fuisse ante annum 1503, quo primùm nominatus fuit à Ludovico XII Canonicus Lemovicensis, asserunt Lacombe et Gohard, et non cœpisse extendi ad omnes Galliæ Ecclesias, nisi post edictum Henrici III, anno 1577, quo Rex affirmabat præfatum jus ad se pertinere. Pluries econtra adversus hanc usurpationem reclamavit Clerus Gallicanus, videlicet in comitiis annorum 1579, 1612, 1614, 1645, etc. Vide *Ami de la Religion*, tom. 3, p. 337; Lequeux, n° 104, VII; André, *Cours de droit canon*, v° *Brevet*. — Jus hujusmodi exer-

cere desiit Gubernium anno 1830. Vide *Prælect. S. Sulpit.* n° 358.

2278. Quærit. 1° A quo sit deputandus Vicarius habens curam animarum in Ecclesiis Cathedralibus Capitulo unitis?

Resp. Jam huic quæstioni fuisse satisfactum supra (453 et 458 [1]); observandum tamen quòd jus antiquum in hâc parte à Concilio Trid. fuerit mutatum; ante hoc Concilium, Capitula curam animarum, quo ipsis libebat modo, exercebant in ecclesiis sibi unitis; liberum enim erat ipsis, vel ad hujusmodi curam aliquem deputare, vel per omnes et singulos Canonicos exercere, vel decernere ut per turnum quisque Canonicus illam exerceret: sed hæc facultas ipsis ablata fuit per Concilium Trident. (sess. 7, c. 7): ibi enim S. Synodus mandat Episcopis ut in parochiis quæ Cathedralibus, Collegiatis, Monasteriis seu aliis Ecclesiis uniuntur, sollicitè providere curent ut per *idoneos vicarios, etiam perpetuos, animarum cura laudabiliter exerceatur.* Ex quibus verbis patet nunc ad Episcopum pertinere determinationem, an Vicarii Curati parochiarum unitarum perpetui esse debeant, vel solùm temporarii: per *idoneos vicarios,* inquit Concilium, *etiam perpetuos;* ergo non necessariò sunt perpetui sed temporales esse possunt. Sed observa quòd, semel erectâ Vicariâ perpetuâ, Episcopo jam non sit ampliùs liberum illam supprimere, ut iterum cura committatur Vicario per Capitulum revocabili. Ita D. Bouix (*De Capitulis*, p. 261).

Ante modò dictam erectionem, etsi Capitulum esset in possessione immemorabili nominandi Vicarium amovibilem, Episcopus potest Vicarium hujusmodi amovibilem mutare in perpetuum, *privilegiis et exemptionibus in contrarium minimè suffragantibus*, inquit Tridentinum; et hoc fuisse variis decisionibus S. C. Conc. confirmatum refert Corradus, ap. D. Bouix (*ibid.*). — Circa naturam potestatis relictæ Capitulo quoad curam animarum in parochiis sibi unitis, vide dicta supra (1312).

[1] In Vicarium Curatum deputari posset canonicus supranumerarius, cùm hoc non sit incompatibile. S. Congr. Conc. in *Fulginat.*, 14 martii 1648, apud Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 11, n° 25

2279. Quærit. 2° Ad quem de jure communi pertineat Canonicatuum et Præbendarum collatio in Ecclesiâ Collegiali?

Resp. Huic quæstioni pariter fuisse satisfactum supra (452).

ART. III.

DE OBLIGATIONIBUS CANONICORUM.

2280. Canonicorum obligationes respiciunt vel Episcopum, vel divinum Officium et servitium chori, vel Missam Conventualem, vel auditionem concionum in Adventu et Quadragesimâ, vel residentiam, vel emissionem professionis fidei, vel assistentiam Capitularibus deliberationibus, vel acceptationem variorum munerum Capituli: quæ omnia in sequentibus paragraphis expendemus.

§ I.

De obligationibus Canonicorum erga Episcopum, seu de juribus Episcopi erga Capitulum.

PUNCTUM I.

QUÆNAM HONORIFICA CAPITULUM TENEATUR EXHIBERE EPISCOPO.

2281. Quærit. 1° Quænam honorifica exhibenda sint Episcopo quoad locum?

Resp. « Episcopis, inquit Tridentinum (sess. 25, c. 6, » *de reform.*), ubique is honor tribuatur qui eorum digni- » tati par est, eisque in choro et in Capitulo, in proces- » sionibus et aliis actibus publicis, *sit prima sedes et locus* » quem ipsi elegerint, et præcipua omnium rerum agen- » darum auctoritas. » Vide dicta supra (1075, etc.).

2282. Ei debetur baldachinus unus, aut etiam plures, si plures elegerit sedes ad varias functiones. Vide supra (1075, 1076).

Ad dubium « an Episcopo Pontificalia exercenti, compe- » tat retentio baldachini seu Ombraculi etiam pretiosi et

» aurati supra sedem positam à latere altaris majoris? —
» S. Rit. Congr. rescribendum censuit : *competere*, dum-
» modo nec sit pretiosum nec auratum. » (Gardellini, n° 3837, ad 5.)

2283. Quærit. 2° Quænam assistentia Canonicorum debeatur Episcopo?

Resp. Tanquam regulam generalem statuendum esse : *assistentiam Dignitatum et Capituli deberi Episcopo solemniter celebranti aut alia Pontificalia exercenti*. Id expressè sancivit Trident. (sess. 24, c. 12, *de reform.*) : « Compellan-
» tur *per se* et non per substitutos obire officia, et Episcopo
» celebranti aut alia Pontificalia exercenti, assistere et in-
» servire ; » si renuant Canonici, ultra amissionem distributionum, aliis pœnis plecti possunt (Gardell., n° 1447). « Modus autem assistendi et inserviendi is esse debet
» quem regulæ *Pontificalis Romani* præscribunt. » Ita S. Congr. Rit., 23 mart. 1592 : et hoc decretum confirmavit Clem. VIII, Brevi 13 jun. 1592, ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 268.

2284. Non tantùm in Cathedrali debetur hæc assistentia, sed etiam in aliis locis, modò non extra civitatem aut suburbia. « Curet tamen, ait S. Congr. Rit. in respons. ad
» Archiepisc. Hispalens., 23 mart. 1592, ne ipsa Ecclesia
» Metropolitana ministris omnibus destituatur, debitoque
» cultu et officio defraudetur : accedens verò ad Ecclesias,
» in quibus adsint aliæ Dignitates et Canonici.. sciat Digni-
» tates et Canonicos Ecclesiæ Metropolitanæ debere om-
» ninò præcedere Dignitates et Canonicos Ecclesiæ Colle-
» giatæ. » Vide etiam Decret. ejusd. Congr., 20 nov. 1628, apud Gardell., n° 627. — (Bouix, *ib.*, p. 269.)

2285. Quot verò Canonicos extra Cathedralem Episcopus abducere possit ad sibi inserviendum, S. Congr. Rit. respondit : « Tres Canonicos Cathedrales in civitate teneri as-
» sistere Archiepiscopo Ragusino (idem dic de Episcopo)
» Pontificalia exercenti : at extra civitatem non esse cogen-
» dos. » 13 julii, 1658 (Gardell., n° 1765). Vide etiam in causâ *Aquilanâ*, 19 decembr. 1665, *ib.*, n° 2212.

In istâ decisione, pro casu particulari tantùm determi-

natur numerus Canonicorum, unde, inquit D. Bouix (*ib.*, p. 270), ad hunc vel alium numerum Episcopus non videtur esse restringendus, sed hoc à variis circumstantiis rerum pendere debet.

Si Episcopus privatim ordinationem faceret, ei debetur assistentia trium duntaxat Canonicorum (Gardell., 1797, 4591). Vide alia plura apud Bouix (*ib.*, p. 272).

2286. Canonici, nisi contraria vigeret consuetudo, compelli nequeunt ad assistendum Episcopo dum privatim celebrat. (Gardell., n° 2448 et 1727.)

2287. Episcopo pontificaliter celebranti missam (non Vesperas) Canonici debent ministrare *septimum* candelabrum, etsi Statuta Ecclesiæ aliter disponerent (Gardellini, n° 630). Vide dicta supra (1077).

2288. Assistentes Episcopo sedere debent in scabellis nudis. (Gardell., n° 727.)

In consecratione SS. Oleorum Canonici complere debent, quatenus opus sit, numerum 12 sacerdotum. (Gard., n° 161.)

2289. Potest Episcopus assumere pro suo servitio, vel duas Dignitates aut Canonicos ex Capitulo sive Cathedralis sive Collegiatæ, vel duos beneficiarios; excipiendi sunt Pœnitentiarius, Coadjutores et ii qui curam animarum gerunt: alios ad id potest cogere, etiam per censuras; sed non potest plures adhibere quàm duos, ut probatur cap. *Ad audientiam*, tit. 4, lib. 3 Decretal. Vide plures decisiones apud Bouix (*De Capitulis*, p. 298).

2290. Canonici in servitio Episcopi detenti, fructus præbendarum lucrantur, etsi choro non intersint; non tamen lucrantur quotidianas distributiones, nisi Romam mittantur ab Episcopo, vel ipsum comitentur dum Romam pergit. Vide Bened. XIV (*Inst.* 107, § 9).

2291. Quærit. 3° Quænam associatio Canonicorum Episcopo debeatur?

Resp. Sic habere *Cæremoniale Episcoporum* (lib. 1, c. 15): « Cùm Episcopus, rei divinæ peragendæ causâ, ad » Ecclesiam venturus est, sive ipsemet celebraturus sit, » sive alter, debent Canonici omnes, in eorum ecclesias- » tico et canonicali habitu, appropinquante horâ, ad illum

» accedere (usque ad cubiculum, in reditu usque ad ostium » Palatii. S. Congr. Rit. 23 mart. 1592); eumque cappâ in- » dutum[1]..., ad ecclesiam progredientem, comitari et de- » ducere. » In libro autem 1, cap. 2 *Cæremonialis*, sic legitur quoad reditum Episcopi in Palatium : « Procedit » ad locum suæ habitationis: quem dignior ille de Capi- » tulo, dimisso pluviali, et alii Canonici in habitu cano- » niali comitentur, si habitatio erit contigua vel vicina » ecclesiæ (non ultra ducentos passus, seclusâ consuetu- » dine in contrarium : Gardell., 693, 2056, 3538); si verò » distantior, usque ad portam ipsius ecclesiæ. » Ex his concludi debet certam esse obligationem Episcopum associandi.

2292. Stricta obligatio associandi Episcopum Capitulo incumbit duntaxat in festis solemnioribus, nisi aliter consuetudo præscripserit. Ita Andreucci, ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 280, etc. Attamen dicitur apud Gardellini, (n° 3954), quòd si Episcopus veniat ad ecclesiam cum cappâ magnâ, Canonici teneantur eum associare, etiam diebus Dominicis et minùs solemnibus : sed S. Congr Rit. (n^{is} 3996 et 4014) monet ut Episcopus raró sic indutus veniat diebus minùs solemnibus.

2293. Ad associandum Episcopum, Canonici compelli possunt etiam sub censuris. (Gardell., 1944, 2423.)

2294. Quando, inchoato officio, advenit Episcopus, satis est ut aliqui ex Canonicis, 4 vel 5 aut saltem duo, è choro discedant, et illi obviam eant ad portam, porrigentes aspersorium : S. C. Rit., in *Placent.*, 4 jul. 1615; in *Lunensi Sarzan.*, 3 mart. 1633., ap. Ferraris (v° *Canonicatus*, art. 6, n^{is} 11, 12). Vide Bouix *De Capit.*, p. 282.

« Si contingat Archiepiscopum vel Episcopum, proces-

[1] Dicitur Episcopus privatim accedere ad ecclesiam, cùm sinè cappâ pontificali accedit (Gardell, tom. 7, n° 21); et tunc duo saltem Canonici tenentur ad ostium Ecclesiæ eum excipere, si rochetto et mozzettâ sit indutus. Ita decisum refert Gardell., n° 3483... Canonici tenentur Episcopum associare et reducere, etsi cappâ non utatur quando, pro loci aut provinciæ consuetudine aut aliàs, cappâ uti non solet, aut ejus loco, alium habitum ferre solet. S. C. Rit., 8 martii 1600, apud Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 6, n° 22.

» sione vel aliquâ horâ canonicâ nondùm finitâ, abire
» compelli..., satis erit si quatuor de Capitulo eum domum
» reducant. » S. Congr. Rit., 23 mart. 1592, apud Gardell., nº 21, in supplemento, tom. 7.

PUNCTUM II.

QUID CAPITULUM EPISCOPO DEBEAT QUOAD PARAMENTA.

2295. « Cùm Episcopus vult exercere pontificalia, in-
» quit Scarfantonius, ap. D. Bouix (*De Capit.*, p. 282, etc.),
» tam in Ecclesiâ Cathedrali quàm in aliis, subminis-
» tranda erunt à Canonicis è Sacristiâ Cathedralis para-
» menta sacra ; nec tenetur sibi de illis providere, ut cen-
» suit S. Congr. particularis..... Et hanc sententiam
» communiter tenent... Quatenus verò Sacristia Cathedralis
» non haberet redditus sufficientes pro comparandis præ-
» dictis paramentis et pro restauratione ecclesiæ, tenetur
» Episcopus pro quartâ parte fructuum suæ Mensæ, et
» quoad reliquum tenentur contribuere Canonici. »

2296. Vicissim post mortem Episcopi, Capitulum Ecclesiæ Cathedralis plurium utensilium sacrorum ab illo relictorum hæreditatem adire debet, prout nuper confirmavit Pius IX, litteris suis apostolicis *Cùm illud plurimi*, 1 jun. 1847. Illorum enumeratio videri potest ap. D. Bouix (*De Capitulis*, p. 283) : excipiuntur *annuli et cruces pectorales, etiam cum sacris reliquiis; et iis omnibus utensilibus cujusvis generis quæ legitimè probantur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus; neque constet Ecclesiæ fuisse donata*[1].

2297. Præfata decisio applicanda est utensilibus ex pensione Gubernii comparatis, quippe ea pensio rationem redditûs ecclesiastici induit, ut jam diximus (2260); unde hæredes casu quo defunctus Episcopus, nullâ adhibitâ cautione, è vivis ablatus esset, res hujusmodi ex præfato stipendio acquisitas, videlicet ornamenta, vasa sacra, baculum pastorale, etc., tutâ conscientiâ retinere non possent, quantumvis à lege civili ipsis concedantur. (Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 284.)

1 Sed ex litteris Emi Card Urbis Vicarii d. 25 Martii 1889, Episcopi successoribus relinquere debent S. Crucis reliquias in crucibus pectoralibus inclusas (*Canoniste*, 1889, p. 355).

PUNCTUM III.

DE JURE EPISCOPI QUOAD CONGREGATIONES CAPITULARES.

2298. De congregationibus Capitularibus sic decernit Concil. Trident. (sess. 25, c. 6) : « Qui si aliquid Canonicis » ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel suo- » rum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capi- » tulum convocent, vota exquirant, et juxta ea con- » cludant. »

Ex quibus verbis patet Episcopum jus quidem habere convocandi Capitulum, ejusque congregationi interessendi, modò non agatur de rebus suum aut suorum interesse respicientibus : inter quas computari non debent quæ Dignitatem Episcopalem respiciunt. Est sententia communis. Non tamen jus habet Episcopus votum emittendi circa negotia Capitulo proposita, aut decidendi quæ ab illo non fuerunt resoluta. Vide decisum a S. C. Conc. (ap. Bouix, *De Capit.*, p. 285). « Ubi autem agitur de suo vel suorum » commodo, (Episcopus, vel Vicarius ejus) debet exire et » relinquere Canonicos... solos, ut ipsi liberè discutiant et » determinent... » Ferraris, v° *Capitulum*, art. 1, n° 20, etc.

Seclusâ autem consuetudine aut privilegio speciali, jus non habet Episcopus interessendi Capitulis quæ non ipse, sed Canonici pro negotiis capitularibus convocant. Bouix, *ibid.* Vide etiam Ferraris, *ibid.*, n° 14.

2299. Jura præfata Episcopus exercere nequit per Vicarium (Trident., sess. 25, c. 6, *de reform.*) : unde S. Congr. Conc., in *Amerinâ*, 24 jan. 1632, respondit Canonicos *non teneri admittere Vicarium Episcopi*. Sed juxta Ferraris (v° *Capitulum*, art. 1, n° 16, ubi plures alii auctores citantur idem sentientes), hoc intelligendum tantùm de *Capitulis exemptis;* et hoc pariter asserit auctor *Prælect. S. Sulpitii*, n° 387. — Quoad verò cætera Capitula, « ex jure com- » muni (Vicarius) potest Capitulum convocare, justâ exi- » gente causâ, in iis negotiis in quibus, juxta suas facultates, » judex esse potest, » vel si talis exstet consuetudo. Ita

Ferraris, *ibid.*, n° 17, ubi in probationem plures referuntur decisiones.

Non est dubium quin Vicarius Generalis possit Capitulis intervenire, si sit Canonicus et ut talis assistat suo loco et gradu : in quo casu votum emittere potest.

Item in negotiis diœcesanis pro quibus requiritur consilium vel consensus Capituli, Vicarius potest convocare Capitulum; item potest ei intervenire ad sedandos tumultuantes Canonicos, ne oriantur scandala; sed in iis casibus non habet jus votum emittendi.

Item intervenire potest Vicarius si alicubi talis vigeat consuetudo, vel si ita disponant Statuta Capituli. Ita decisum à S. Congr., 5 maii 1585, refert auct. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 389.

2300. Tam Episcopus quàm Vicarius Generalis jus habent cogendi Capitulum, ad sibi exhibendos libros in quibus adnotantur resolutiones Capitulares etiam spectantes negotia particularia Capituli; ratio est quia jus habent cavendi ne fiant resolutiones juri contrariæ. Id probat Scarfantonius variis auctoritatibus. Vide Bouix, *De Capitul.*, p. 291.

PUNCTUM IV.

AN ET QUÆ EPISCOPUS CAPITULO PRÆCIPERE POSSIT.

2301. Potest Episcopus Capitulo præcipere, modò ab eo non plus exigat quàm canones permittunt : ratio est quia Episcopus jurisdictionem habet, non tantùm in singulos clericos, sed et in ipsum Capitulum Cathedralis, cujus si quæ olim fuerit exemptio, sublata est per Concil. Trident. (sess. 6, cap. 6, *de ref.*). — Ratio autem limitationis appositæ est quia Episcoporum jurisdictio à S. Pontifice dependet quoad assignationem materiæ et subjectorum.

Hæc insuper probari possunt ex capite *Conquerente*, *de offic. judic. ordin.*, ubi dicitur : « Nos... decrevimus, ut in » ecclesiis seu capellis *tuæ diœcesis*, ad monasterium » ipsum spectantibus, habeas canonicam obedientiam, » subjectionem et reverentiam, institutionem et destitutio- » nem, correctionem et reformationem, ac censuram ec-

» clesiasticam, jurisdictionem quoque causarum omnium ad
» forum ecclesiasticum de jure spectantium, pœnitentias
» (jus nempe pœnitentias publicas imponendi) et sacro-
» rum omnium quæ ab Episcopo sunt recipienda colla-
» tionem; Synodum, etc.., visitationem quoque annuam..
» *Tu autem his juribus in præfatis ecclesiis contentus exis-*
» *tens, non ampliùs ab eis exigas,* præter moderatum auxi-
» lium quod, juxta formam Lateranensis Concilii, si mani-
» festa et rationabilis causa exstiterit, cum charitate
» postulandum, sicut *ab aliis ecclesiis ejusdem diœcesis,*
» pro necessitate temporis sustinemus. »

2302. Quæ verò specialiter Episcopus Capitulo valeat præcipere, satis intelligi potest ex jam dictis, vel ex dicendis in decursu operis. Non posset autem, sinè consensu majoris partis Capituli, veteres consuetudines in usum revocare; v. g., exigere longiùs servitium quàm novem mensium. Ita cap. *Novit*, et cap. *Quanto, de his quæ fiunt,* etc.; et præsertim ex cap. *Vestra*, *de Locat.* Ita communiter ap. Bouix, *De Capitulis*, p. 297. — In dubio an aliquod potuerit mandari ab Episcopo, pro ipso stat præsumptio. Ita communiter (*ibid.*, p. 289-291).

PUNCTUM V.

QUÆNAM SIT POTESTAS JUDICIARIA EPISCOPI IN CAPITULUM.

2303. Certum est Capitulum et quemlibet Capitularem posse ab Episcopo judicari: Concil. Trid. (sess. 25, c. 6) formam specialem tunc ab ipso servandam determinat. « Veriùs est, inquit Cardin. De Luca, ac hodie extra om-
» nem controversiam receptum, ut ista conciliaris disposi-
» tio, procedat solùm in illis Capitulis, quæ ex Apostolicis
» Indultis exempta erant à jurisdictione Episcopi, atque
» immediatè subjecta Sedi Apostolicæ. » (Apud D. Bouix, *De Capitulis*, p. 293.)

Unde cætera Capitula juri communi subjacent quoad modum ab Episcopo servandum in exercitio juridicæ ejus potestatis.

2304. Quoad pœnas verò ab Episcopo infligendas : licet ab eo, si causa subsit, singuli Canonici possint seorsim excommunicari, Capitulum tamen non potest totum et collegialiter hâc anathematis pœnâ innodari, nisi à Papâ tantùm : secus est dicendum de suspensionis aut interdicti pœnâ, uti infra, tractando de censuris, dicturi sumus. — Observandum est autem ab Extrav. *Providè*, prohibitum fuisse ne censuræ generales inferrentur pro debito pecuniario, nisi *de licentiâ expressâ S. Sedis :* unde ex tali motivo, etsi singuli Canonici possint suspendi, vel interdici absque S. Sedis licentiâ, Capitulum tamen, ut sic seu ut collegium, non solùm non potest excommunicari, sed nec suspendi aut interdici. Ita Andreucci, ap. D. Bouix, *De Capit.*, p. 295.

2305. Quando Capitulum, quâ tale, suspenditur, tunc, nisi contrarium in sententiâ aut in jure exprimatur, hæc suspensio intelligitur lata in Capitulum ut communitas est, ita ut solum Corpus Capituli, non verò singuli Capitulares à suis propriis officiis aut beneficiis suspendantur. Unde tunc, v. g., privarentur quidem Canonici fructibus beneficiorum Capitulo unitorum, si suspensio esset à beneficio, non verò fructibus aliorum beneficiorum, si quæ fortè haberent. Item actus jurisdictionis, si suspensio esset ab officio, essent invalidi, quatenus à collegio Canonicorum procederent, non verò quatenus à singulis Canonicis; si tandem suspensio esset à divinis simpliciter, prohiberetur Capitulo exercere ea officia divina quæ solent à Capitulo, quâ tali, exerceri.

2306. Ex cap. *Dolentes*, *de celebr. miss.*, pœnâ suspensionis puniri possunt certi defectus in persolvendo divino officio commissi; quibus addi possunt (sed non ultra) alii defectus contra Rubricam, statuta, vel laudabiles consuetudines : quorum violatores, si de his episcopale Edictum fuerit emanatum et patenti loco in Sacrario affixum, absque aliâ monitione, suspensione plecti possunt, sinè processu et ex solâ informatâ conscientiâ. Vide Monacelli (ap. Bouix, *De Capit.*, p. 296), qui sic habet : ut transgressor cap. *Dolentes* dici debet qui « post evulgationem Edicti episco- » palis super illius observantiâ, pluries punctatus non se

» emendat; et monitus non abstinet à colloquiis vanis, » risibus, nugis.., legendis litteris et fabellis...; item... si » non psallit, vel psallit oscitanter, syncopando; si sedet » quando standum est, vel non genuflectit, et cæremonias » à Rubricâ præscriptas spernit, vel indevotè complet. Hæc » et similia cadunt sub censuram Decreti. »

2307. De Jure visitandi Capitulum diximus supra (902): vide etiam Bouix (*De Capitul.*, p. 301). Occasione dictæ visitationis potest Episcopus sibi ad Palatium facere deferri libros capitulares circa administrationem reddituum Capituli et aliorum piorum operum : eorum autem librorum revisionem, etiam per alios benè sibi visos, in Palatio episcopali explere valet. Ita Rota juxta Scarfantonium (ap. D. Bouix, *ib.*, p. 304). Vide supra (2300).

§ II.

Obligationes Canonicorum quoad divinum Officium et servitium chori.

2308 « Jubet Sanctitas Sua (Clemens XI), inquit Sacra » Congregat. Episc. et Regular., ut plurimùm commendes » Canonicis... aliisque choro inservientibus... gravissimum » onus quod illis præscribitur, dum in chorum conve- » niunt, nempe ut modestiam et silentium decenter in eo » loco præ se ferant, quemadmodum illos decet maximè » qui ante conspectum majestatis divinæ versantur; ut » psallant magno pietatis studio, vocibus aptè comparatis; » haud festinanter, nullisque præcisis vocabulis; ita ut » pars chori haud canere incipiat, cùm pars altera can- » tum nondùm absolvit; ut hâc ratione, populus intelligat » divinas laudes, et ad pietatem ac religionem, ex ipsarum » cantu moveatur. » (Apud Bouix, *ib.*, p. 349.)

In libro subsequenti, dicemus quid sit *divinum officium* et undenam originem duxerit; ibidem pariter dicemus de obligatione hujusmodi officium recitandi, et quibus ordine, tempore, intentione, attentione, integritate, etc., sit recitandum, expendemus.—In hoc paragrapho tantum:

2309. Quærit. 1° Quænam sit obligatio choro assistendi, inibique canendi?

Resp. 1° Certum est clericos Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum teneri ad officium in choro (S. Liguor., lib. 3, n° 675).

Assertio constat can. ultimo, distinct. 92; et cap. 12, sess. 24, concilii Trident., ubi loquendo de *obtinentibus in Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas aut portiones*, dicitur : « *Omnes* verò divina per se. » et non per substitutos, compellantur obire officia..... » atque *in choro* ad psallendum instituto, hymnis et can- » ticis, Dei nomen reverentur, distinctè, devotèque lau- » dare. »

2310. Attamen, ait S. Carolus Borromæus, si « vehemen- » tiora frigora sint, vel aliæ justæ causæ, de licentiâ Epis- » copi (aut etiam probabiliter sinè eâ, si præsumi possit, » S. Liguor., *ib.*), in sacristiâ vel honesto alio ejus ecclesiæ » loco, dici possit. » Sed hoc tantùm licet diebus ferialibus, non autem festivis, juxta S. Congr. Rit., 5 mart. 1633, ap. Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 5, n° 43. Idem probavit S. Congr. Conc., 18 nov. 1645. Vide Benedictum XIV, *Inst.* 107, § 4.

2311. Inquiri hîc potest an sub gravi choro interesse teneantur Canonici : — *verior* sententia, juxta S. Liguor. (*ib.*), tenet peccare mortaliter Canonicum qui per notabile tempus à choro se absentat, etsi distributiones noluerit lucrari. Contrarium tamen sustinuerunt plures DD. antiqui, de quibus vide Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 5, n° 32.

« Si (autem) absit Canonicus per tres aut quatuor dies » (ultra tempus permissum), est communis sententia non » peccare graviter. » (S. Liguor., *ib.*)

2312. *Nota* hîc obiter, quòd officium non sit inchoandum statim ac datum fuit signum, sed elapsâ tertiâ parte horæ. S. R. Congr., in *Turentinâ Chryspolitarum*, 3 sept. 1601, ap. Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 5, n° 44.

2313. *Nota* insuper quòd Canonici non debeant exire à choro, nisi petitâ veniâ ab Archidiacono vel Præside per salutationem, sub pœnâ punctaturæ, ut præscripsit

S. Congr. Episc., 18 aprilis 1617. (Ferraris, *ib*,, n° 58.)

2314. *Nota* denique quòd Canonici, qui non sunt impediti, cogi etiam possint ad interessendum, collegialiter et cum habitu canoniali, concionibus Adventûs et Quadragesimæ ; qui verò non intersunt, privari possunt distributionibus, juxta S. Congr. Rit., ap. Gardellini, n[is] 2423, 3812 et 3495.

2315. Resp. 2° Non sufficit Canonicis choro assistere, ut muneri suo satisfaciant, sed debent ibidem canere, quidquid olim in contrarium dixerint plures et magni nominis theologi : Sacra enim Congr. Concilii, 17 sept. 1667, in *Patavinâ* declaravit : « Illos non solùm Canonicis horis » interesse, sed etiam per seipsos psallere, quâcumque » etiam immemorabili contrariâ non suffragante consue- » tudine, teneri; neque aliàs suæ obligationi satisfacere. »

Idem declaravit Bened. XIV, 19 januar. 1748, in suo Brevi *Dilecte fili*, ad Patriarcham Aquileiensem ; nec dicas illud diploma esse directum ad Ecclesiam particularem : nam ibi S. Pontifex sensum Concil. Trident. declarat ; proinde ejus decisio, licet ad unum directa, valet et legem facit quoad omnes.

2316. Ipsismet canonicis stipendium à Gubernio in Galliâ recipientibus applicari debet præfata decisio, juxta S. Congr. Rit. quæ, 22 maii 1841, sic respondit Episcopo Cameracensi interroganti : « Utrum Canonicus in Galliis, » assistens quidem in choro, sed non decantans publicas » preces canonicas, peccet mortaliter et teneatur ad resti- » tutionem fructuum omissioni correspondentium. Emi- » nentiss. Præfectus rescribi mandavit : *Canonicum in casu,* » *juxta aliàs decreta, obligationi non satisfacere.* »

2317. Canonici tamen compelli non debent ad divina officia cum cantu propriè dicto persolvenda ; sat est quòd altâ, clarâ et intelligibili voce ea recitent ; sed obedire tenentur Episcopo, si in solemnioribus jubeat ea persolvi cum cantu. Ita S. Congr. Rit. (ap. Gardell., n[is] 141 et 1542). — Secus est dicendum de missâ conventuali, quæ cantari debet cantu propriè dicto, ut infra dicetur.

2318. Ex dictis sequitur Canonicos teneri addiscere can-

tum qui dicitur Gregorianus, et ad id posse compelli per Episcopum (S. Congreg., apud Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 11, n° 13) : sufficit tamen quòd valeant explere quæ necessariò incumbunt cujusque ministerio. Vide D. Bouix, *De Capit.*, p. 323.

2319. *Nota* quòd ad Capitulum, non verò ad Episcopum, pertineat electio Magistri Capellæ et musicorum. Ita Scarfantonius, ap. Bouix, *ib.*, p. 325.

Insuper, ait Ceccoperius (*ib.*, p. 326) : « Quandocumque » organum fictè canit in hymnis, canticis, etc., juxta *Cæremoniale*, vel etiam in psalmis, juxta præscriptam Ec- » clesiarum consuetudinem, alternatim cum choro, Cano- » nici ibi existentes, ut satisfaciant præcepto de divino » officio integrè recitando, debent aliquem deputare, qui » ibidem distinctè et altè pronuntiet quæ ab organo cantari » figurantur, vel ea quivis de choro suppressâ voce dicat. »

2320. Resp. 3° Quoad pœnas iis qui culpabiliter absunt à choro imponendas, certum est : 1° Eos non lucrari distributiones manuales. « Distributiones verò (inquit Trident., » sess. 24, c. 12) qui statis horis interfuerint, recipiant; » reliqui, quâvis collusione aut remissione exclusâ, his » careant. »

« Non minus certum est nunc... (eos) non lucrari fructus » Præbendæ et teneri ad restitutionem. Concil. Trident. » statuit de talibus ipsos primo anno privandos esse dimi- » diâ parte fructuum ; secundo anno omnibus fructibus; » tertio anno procedendum contra ipsos juxta canones » (*ibid.*). Undè concludebant Canonistæ eos non spoliari » statim à jure, sed tantùm post sententiam; sed interve- » nit Breve *Dilecte fili*, Bened. XIV, 19 januar. 1748 du- » bium omne dirimens. In illo... statuitur expressè eos qui » in choro *non canunt* non facere fructus suos. Ergo à for- » tiori idem dicendum de iis qui non intersunt.» Ita D. Bouix (*De Capit.* p. 313). His concordat S. Liguor. (lib. 3, n° 675).

2321. Omnibus divini officii horis interesse tenentur Canonici, et insuper Concioni tempore Quadragesimæ et Adventûs (Bouix, *ib.*, p. 314.). In Galliâ tamen propter exiguum Canonicorum numerum, in plerisque Capitulis, solæ

horæ parvæ simul cum Missâ, Vesperæ cum Completorio in choro canuntur vel recitantur. Statuta Capitularia sic disponentia, uti plus minusve expressè à S. Sede approbata communiter habentur. Imò à Concilio Bituricensi, etiam ad minus chori servitium Canonici obligantur. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 371.

2322. Quærit. 2° An nullo modo Canonici valeant per substitutos obire officia divina?

Resp. Cum Bened. XIV (*Instit.* 107, § 3): « Sacra Con-
» greg... sæpiùs declaravit... non esse sublatam Capitula-
» ribus facultatem se *invicem* substituendi, dummodo eo-
» dem tempore substituens et substitutus eidem servitio
» adstricti non sint » (15 decembr. 1605).

Citantur ab eodem plures aliæ declarationes ex quibus deducitur, 1° non posse substitui nisi aliquem de Capitulo, qui sit liber seu non adstrictus servitio chori, eo tempore quo substituitur; 2° substituentem debere esse præsentem in urbe vel suburbiis; 3° coadjutorem non habere facultatem alterum sibi substituendi; 4° quatenus commodè fieri potest substitutum debere esse ejusdem, non inferioris ordinis, ac substituentem; 5° causam non requiri ad dictas substitutiones, sed posse Episcopum illas coarctare intra justos limites, ipsius judicio determinandos : sic à S. C. Conc. moderatum fuit decretum Concil. Trident. supra relatum (2309). — Vide Bouix, *De Capit.* (p. 327-329); S. Liguor. (lib. 3, n° 675, *dub.* 5).

2323. Quærit. 3° Quænam causæ excusent à servitio chori?

Resp. 1° Duplicis generis esse causas hujusmodi : eas nempe quæ ita excusant ut absens lucretur, non tantùm fructus Præbendæ, sed etiam distributiones quotidianas; et illas quæ ita excusant, ut absens lucretur quidem fructus Præbendæ, non verò præfatas distributiones. Circa quod notandum est, pro Capitulis quorum Præbendæ duntaxat consistunt in distributionibus, quòd duæ tertiæ illarum partes habendæ sint, ex jure, loco Præbendæ. Vide Bouix (*ibid.*, p. 335).

2324. Resp. 2° Causas prioris classis referri posse ad

infirmitatem, rationabilem necessitatem, Ecclesiæ utilitatem (Cap. *Consuetudinem, de cleric. non resid.*, in 6°; Conc. Trident., sess. 24, c. 12). His « addenda est quarta causa, » inquit S. Liguor. (lib. 4, n° 130) : nempe consuetudo in- » troducta post Trident.; nam Concilium antegressas abo- » levit. »

2325. — 1° *Infirmitas :* Ex hâc causâ absentes, generatim loquendo, non tantùm fructus Præbendæ, sed et distributiones quotidianas lucrantur. Ita decisum à S. C. Conc., 15 apr. 1611. Excipiuntur tamen infirmi qui ante infirmitatem soliti erant abesse: *dummodo,* inquit S. C. Conc., ap. Bened. XIV (ut supra), *ante infirmitatem fuerit solitus inservire.* Contrarium tamen satis probabile putat S. Liguor. (lib. 4, n° 136). — Vide ap. Bouix (*ib.*, p. 336).

2326. Quandonam verò infirmitas sit ratio sufficiens ad excusandum, non alia assignatur regula quàm æstimatio viri prudentis; et ad Episcopum pro Capitulis non exemptis est recurrendum in casibus controversis. Bouix (*ibid.*, p. 337).

2327. An excusentur septuagenarii et distributiones lucrentur, disputatur ap. S. Liguor. (lib. 4, n° 130); sed si sint robusti, *verior est*, inquit, sententia quæ negat; secus si sint debiles.

2328. Cæci, juxta S. Congr. Conc., non tenentur choro interesse, et nihilominus lucrari possunt distributiones. Idem videtur dicendum de omnino surdis; vide tamen S. Liguor. (lib. 4, n° 130, *dub.* 2).

2329. — 2° *Rationabilis necessitas :* et ob hanc causam etiam distributiones lucrantur, qui ob rationabilem corporis necessitatem proficiscuntur ad balnea aut ad locum salubrioris aeris, qui ab hostibus capiuntur, aut in injustum pulsantur exilium, aut per vim injustè detinentur, vel impediuntur timore gravis nocumenti, aut domi morantur ad medicinam sumendam, aut venam scindendam. Ita S. Liguor., lib. 4, n° 130.

2330. « Canonicis causâ pestis absentibus deberi quo- » tidianas distributiones.., si soliti sint inservire, et probetur » legitima consuetudo quòd distributiones hujusmodi den-

» tur absentibus ex justâ causâ. Quando autem dicatur » pestis grassari ut sit justa causa absentiæ, judicio Epis» copi esse relinquendum. » Ita Sacra Congreg. Concilii, 9 nov. 1630.

Non sufficit autem quòd pestis sit in vicinio; sed jam grassari debet in urbe ubi adest Capitulum. Idem dicendum videtur si bellum ingruat. — Vide D. Bouix (*ibidem*, p. 338).

2331. Qui abest propter excommunicationem, nec fructus præbendæ, nec distributiones amittit, si excommunicatio sit injusta et talis curet absolvi : utrosque verò amittit, si justa sit; iis tamen plures dicunt excommunicatum privari non posse, nisi post sententiam, casu quo choro assisteret, etsi nequeat illi interesse nisi illicitè. (S. Liguor., lib. 4, n° 130.)

Si justè excommunicatus resipiscens peteret absolutionem quæ injustè ei denegaretur, non amitteret distributiones, cùm per illum non stetit quominus choro adesset. (S. Liguor., *ibid.*)

2332. Qui non assistunt eò quòd Ecclesia sit interdicta vel polluta, nihil amittunt, modò non dederint causam interdicto vel pollutioni; èrontra si non assistant ob decretam cessationem à divinis, amittunt distributiones, etsi non dederint causam hujusmodi cessationi; sed qui causam dederunt omne interesse ipsis restituere debent. (S. Liguor., *ib.*)

Quoad irregularitatem, vide dicta supra (1750).

2333. *Ecclesiæ utilitas* : hoc intelligi potest vel de Ecclesiâ universali, vel de totâ diœcesi, vel de Ecclesiâ cujus absens est Canonicus ant beneficiarius.

1° Certum est non excusari absentem, ob utilitatem alterius ecclesiæ privatæ, à Cathedrali vel Collegiali distinctæ. Ita omnes.

2° Certum nunc videtur absentem, ob Capituli vel Ecclesiæ cui annectitur Capitulum utilitatem, jus habere etiam ad quotidianas distributiones. Ita S. Congr., anno 1588, in causâ *Panormitanâ*. « Ad Episcopum autem per-

» tinere examinare an causa negotiorum verè subsit. » Ita S. Congr., anno 1598, in causâ *Hispalensi*.

2334. 3° An lucretur distributiones qui abest ob Ecclesiæ universalis vel diœcesis utilitatem, non planè constat. (Vide D. Bouix, *De Capit.*, p. 340). Lucratur tamen has distributiones tam Canonicus qui ab Episcopo deputatur ad visitanda Limina Apostolorum (sed unus duntaxat potest sic ab Episcopo mitti) quàm duo Canonici quos secum ducere potest Episcopus ad eadem Limina pergens.

Item has distributiones lucratur Vicarius Capitularis, Sede vacante.

Item Canonicus Parochus qui, officii tempore, opera sui muneris exercet (S. Liguor., lib. 4, n° 131). Item Theologalis et Pœnitentiarius, in casibus supra enuntiatis (1203, 2215). — Item Canonici et beneficiarii absentes à choro ut assistant Episcopo solemniter celebranti.

Item Procurator Capituli ad Concilium Provinciale. Dubitatur verò an idem sit dicendum de Theologo vel Canonistâ ad idem Concilium misso, licet legitimè absit. Vide Bouix (*ib.*, p. 341) citantem S. Liguor., qui probabiliorem habet sententiam affirmantem.

2335. Quoad eos autem qui à S. Sede indultum obtinuissent abessendi à choro pro diebus et horis quibus à suis muneribus impediuntur, D. Bouix (*ib.*, p. 341) opinari videtur tales lucrari etiam distributiones, etsi de hâc circumstantiâ sileret Indultum : imò etsi posset dispensatus munus suum adimplere aliâ horâ quàm officii tempore.

2336. Resp. 3° Præter causas supra enuntiatas, alias esse quæ excusant quidem à servitio chori, sed non ita excusant ut absentes distributiones possent lucrari : hoc modo excusantur:

1° Duo Canonici apud Episcopum pro ipsius et diæcesis utilitate detenti. Ita S. Congr. Conc., in *Coloniensi*, 1587.

2° Canonicus qui simul esset Vicarius Generalis Episcopi. S. C. Conc., 17 decembr. 1627.

3° Examinatores Synodales. S. C. Concil., 20 sept. 1642. in *Cremonensi*.

4° Docentes Scripturam Sacram ac Theologiam in scholis

publicis (Conc. Trident., sess. 5, cap. 1); quod communiter extenditur ad docentes jus canonicum, philosophiam et etiam grammaticam (S. Liguor., lib. 4, nº 133). — An hæc decisio de scholis publicis possit intelligi etiam de hodiernis seminariis, Lequeux (nº 588) non audet pronuntiare. Vide plures alios casus, ap. D. Bouix (*De Capitulis*, p. 342).

2337. Quoad absentes causâ studiorum, Innocent. XII prohibuit ne privilegium triennii spatium excederet, nec concederetur iis qui annum 25 attigerunt. Ita Bened. XIV. *Inst.* 107, § 9.

2338. Abesse autem nequeunt Canonici ut tempore divinorum officiorum Capitulum teneant, *nisi causa urgens in aliud tempus differre non patiatur*, vel ut missam privatam celebrent, nisi superiores vel Præfectus Capituli juberent (à quo tamen jussu debent se abstinere), vel ad audiendas confessiones, nisi mandet Episcopus; qui secus facit, amittit distributiones. De his omnibus, vide D. Bouix (*ib.*, p. 344, etc.).

§ III.

De obligationibus Canonicorum quoad missam conventualem.

2339. Adesse obligationem quotidie cantandi missam conventualem in Cathedralibus et Collegiatis, communiter tradunt Doctores, inquit Pignatelli (ap. Bouix, *ib.*, p. 350); idque sub peccato mortali[1]. Scarfantonius autem exigere videtur quòd hæc obligatio consuetudine vel statuto invecta fuerit; sed contrarium ut certum habet communis sententia, cui suffragatur Bened. XIV (*Inst.* 107, § 2), in probationem adducens canonem *De iis*, dist. 12, et cap. *Cùm creatura, de celebrat. miss.*

Imò ad plures missas conventuales celebrandas eodem die aliquoties tenentur Canonici, juxta Rubricas; de quo etiam videri potest Bened. XIV, *Inst.* 107, § 2.

[1] Ex S. C. Rit. in *Æsina*, 25 jan. 1605, Canonicus qui missam solemnem celebrat die Dominicâ, tenetur officium Vesperarum facere eodem die post prandium, non obstante quâcumque contrariâ consuetudine. Ita Ferraris (vº *Canonicatus*, art. 5, nº 78).

2340. Sacra Rit. Congregatio interrogata « ...20° An Episcopo pontificaliter celebrante (cùm ipse debeat diebus » festivis applicare pro ovibus suis), Canonici debeant missam conventualem pro benefactoribus cantare, et » quando? » — Respondendum censuit (12 nov. 1831) ad 20m : *Hebdomadarius vel is cui onus inest missæ conventualis, illam celebret lectam, vel ante vel post Missam Pontificalem.* (Gardellini, n° 4520.)

2341. Quærit. 1° An Canonici et beneficiati applicare possint missam conventualem aliis quàm benefactoribus, et eleemosynam pro hâc applicatione accipere?

Resp. Negativè cum Pignatelli, qui varias resolutiones S. Congregat. Conc. in probationem adducit (vide Bouix, *ibid.*, p. 354, etc.); et hoc ut omninò certum haberi debet, præsertim post Bullam *Cùm semper* Benedicti XIV, in quâ, apostolicâ auctoritate approbavit S. Congr. Conc. resolutiones quibus providetur ut missa conventualis pro benefactoribus in genere applicetur, non attentâ etiam immemorabili in contrarium consuetudine[1]; et hoc videtur esse extendendum etiam ad Canonicos, quibus non fiunt distributiones quotidianæ, prout in Galliâ; quia censentur distributiones recipere, retinendo integros præbendæ fructus, cùm tamen ex jure pars illorum tertia in distributiones convertenda esset. (Vide Bouix, *ib.*, p. 355.)

2342. Quærit. 2° An propter paucitatem Canonicorum, aut consuetudinem, aut exiguitatem reddituum, missa conventualis possit cani solummodo diebus festis?

Resp. 1° Cùm lex ad impossibile non obliget, si non tantùm pauci sint Canonici, sed si sufficiens ministrorum numerus ad celebrationem missæ conventualis non adsit, obligatio illam cantandi non exstabit etiam diebus festis... Qualis autem debeat esse numerus ut sufficiens dicatur? auctores non explicant; at, inquit Pignatelli apud D. Bouix, p. 357, cùm pro missâ requirantur saltem 7 personæ, nimirum « Celebrans, Diaconus et Subdiaconus, duo Cero-

[1] De quo vide Declarationem Sacræ Congregationis Concilii in unâ *Elvirensi*, 4 maii 1640 : apud Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 5, n° 76.

» ferarii, Thuriferarius et Acolythus : et pro choro saltem 4, » quia debet esse cum cantu, sequitur quòd saltem 11 » inservientes sint necessarii, quanquam idem clericus » supplere posset pro acolyto et thuriferario.» — Si autem adsit sufficiens numerus ministrorum, etsi pauci sint Canonici, non ex hoc eximuntur à quotidianâ celebratione missæ conventualis cum cantu. Ita decisum à S. C. Rit. (ap. Gardellini, n° 3050).

2343. Præterea cùm præfata obligatio sit jure humano introducta, cessare potest, ex justâ causâ, prout cæteræ leges humanæ : unde, inquit Pignatelli (ap. Bouix, *ibid.*, p. 359), « si occurreret consecratio Episcopi, adventus » principis aut Episcopi, aut quid simile, quando Missa » conventualis non posset commodè anticipari, omitti » posset sinè peccato. »

2344. Resp. 2° Contra obligationem quotidiè canendi missam conventualem, quæ non à Concil. Trident. (nam de eâ Concilium omninò silet), sed ex cap. *Cùm creatura, de celebr. miss.*, fuit inducta, præscribi potest spatio quadraginta annorum.

2345. Resp. 3° Exiguitas reddit􏰀uum non eximit à quotidianâ celebratione missæ conventualis, sed est motivum sufficiens ad obtinendam licentiam illam canendi duntaxat diebus festivis; nec S. C. solet illam denegare in hoc casu. Vide Bened. XIV (*Inst.* 107, n° 5). — Bouix, *ib.*, p. 357. Idem Indultum conceditur etiam propter paucitatem Canonicorum.

2346. Quærit. 3° Quid sentiendum sit de hodiernis Galliæ Capitulis, quæ non canunt quotidie missam conventualem et alias missas quæ à rubricâ aliquando in eâdem die præscribuntur?

Resp. 1° Si à S. Sede de hoc habeant Indultum speciale, vel si Statuta particularia sic disponentia ab eâdem Sede fuerint approbata, nulla est difficultas.

Porrò Statuta à primis post Concordatum Episcopis condita vi subdelegationis ipsis à Cardinali Legato concessæ, sufficientem videntur obtinuisse S. Sedis approbationem :

sed ad hodiernos Episcopos non videtur posse extendi hæc delegatio.

2347. — 2° Si Capitula non habeant præfatum Indultum apostolicum, etsi parvus numerus Canonicorum possit esse motivum sufficiens ad illud obtinendum, quandiù tamen non fuerit obtentum, videtur quòd S. Sedes non approbet consuetudinem eorum non cantandi quotidie missam conventualem, vel saltem illam non applicandi quotidiè benefactoribus : refertur enim à D. Carrière, (*De Justit.*, n° 194) responsio S. C. Conc. ad Episcopum Versaliensem, in quâ dicitur : « *Illud* interim curandum est ut quæ *quotidie* celebratur missa conventualis, *semper* pro benefactoribus applicetur : *huic enim oneri omnia Capitula subduntur.* » Eadem responsio ad Cenomanos dicitur missa. Vide Lequeux, n° 582, in *notâ.*

In Concil. Avenionensi 1849, sic legitur : « Missa conventualis *quotidie* celebranda, et pro benefactoribus offerenda *etiam singulis diebus*, *nisi dispensatio fuerit à S. Pontifice obtenta.* »

2348. Quærit. 4° An Canonici teneantur inservire pro Diacono et Subdiacono Dignitatibus et earum Coadjutoribus, solemniter celebrantibus? — Et an vice versâ?

Resp. Ad hoc teneri Canonicos, etiam antiquiores, non obstante contrariâ consuetudine etiam immemorabili, prout sæpiùs declaravit S. Rit. Congregatio, nempe in *Clusinâ*, 20 apr. 1641, in *Sarnensi*, 4 martii 1638, in *Nucerinâ Paganorum*, 25 januar. 1698; et tenuit quoque S. Congr. Conc. in *Casalensi*, 28 jan. 1690; et hoc quidem non tantùm in solemnioribus, sed etiam singulis diebus. S. R. Cong., 17 febr. 1847, ap. Gardell., n° 4916. Patet quòd decisio hæc non procedat nisi quoad missas solemnes in quibus requiritur Diaconus et Subdiaconus. (Gardell., n[is] 760, 1743, 1795, 1800.)

2349. Ubi Canonici pauci sunt numero, laudandi sunt Canonici si dictam regulam servent, non tamen cogendi (*ib.*, n° 1941).

Item Canonicos non teneri ad inserviendum pro Diacono et Subdiacono, ubi omnes Præbendæ sunt Presbyterales,

declaravit. S. Congr. Rit., 23 nov. 1675 : « *Attento quòd Præbendæ Canonicales sint Presbyterales, non teneri inservire pro Diaconis.* (Gardell., n° 2604.)

2350. Dignitates verò nunquam debent Canonicis celebrantibus inservire. Ita S. Congr. Rit., in *Gerund.*, 3 oct. 1699 : « Canonici Dignitatibus et Canonicis inserviant; mansionarii verò mansionariis. » Ita eadem S. Congregat., 24 nov. 1591.

§ IV.

De obligatione residendi Canonicis imposit.

2351. Obligari Canonicos ad residentiam clarè colligitur ex obligatione quam habent choro inserviendi : et hoc quidem sub gravi, ut diximus supra (2309, 2311), etsi amittere distributiones consensissent.

Ipsis tamen quolibet anno, conceditur facultas abessendi per tres menses, sed non ultra; sic enim habet Synodus Tridentina (sess. 24, c. 12, *de ref.*): « Obtinentibus in Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas aut portiones, non liceat, vigore cujuslibet Statuti aut consuetudinis, *ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse;* » unde patet haud posse Episcopum ampliare tempus a jure concessum.

2352. Imò Concil. Trident. (*ibid.*) præcipit observare Statuta vacationum tempus intra arctiores limites restringentia; addit enim : « Salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus quæ longius servitii tempus requirunt. » Ita etiam fuit declaratum à S. Congr. Concilii anno 1573 (Vide ap. Bened. XIV, *Inst.* 107, § 6). — *Nota* tamen quòd S. C. Concil., in unâ *Asteric.*, dixit : « Decretum Concilii (c. 12, sess. 24) concedit Canonicis absentiam trium mensium, si Constitutiones Ecclesiæ servitium totius anni requirant. » Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 5, n° 14. Sed (*ib.*, n° 120) citatur Decretum contrarium dicens.

2353. Canonici, etsi absentes tempore vacationum ipsis concessarum, lucrantur quidem fructus præbendæ, modò,

ait S. Liguorius, reliquo tempore anni resederint (quod tamen à quibusdam negatur), sed non lucrantur distributiones. Ita communiter, ap. Bened. XIV (*ibid.*); S. Liguor. lib. 4, nº 129, vº *Canonici.* — Absentes censentur non solùm qui absunt à civitate, sed etiam qui choro non intersunt. Ita S. C. Conc., anno 1573 (Bened. XIV, *ibidem*).

2354. Non tantùm qui ultra tres menses continuos absunt à choro, rei sunt legis residentiæ, sed etiam qui ultra tres menses *discontinuos* non deserviunt : « Satis » esse, inquit S. C. Conc., quòd dies absentiæ, quanquam » interpolati, superent trimestre » (apud Bened. XIV, *Inst.* 107); sed « benè possunt Canonici, juxta S. Liguor. » (lib. 4, nº 129, vº *Canonici*) conjungere trimestre concessum cum trimestri anni sequentis..., nisi... scandalum » obveniat, aut cultus divinus minuatur. »

2355. In computandis autem novem residentiæ mensibus, non sunt numerandæ horæ, sed dies tantùm. S. C. Conc., apud Bouix (*De Capitul.*, p. 364) declaravit, 17 jun. 1594 : « Ad constituendum servitium novem mensium non » esse colligendas punctaturas, quasi ii qui novem partes » punctaturarum ex duodecim quæ ex servitio totius anni » conflantur deserviendo tulerint, servitio novem mensium » debito satisfecerint; sed ipsos dies residentiæ et servitii, » sive continui fuerint, sive interpolati, numerandos esse, » ut numerum impleant dictorum novem mensium. » Vide etiam S. Liguor. (lib. 4, nº 129), et Ferraris (vº *Canonicatus*, art. 5, nis 5 et 6). — *Nota* quòd immemorabilis consuetudo non excuset Canonicos Cathedralium et Collegiatarum insignium à residentiâ : benè tamen in Collegiatis non insignibus et ruralibus, in quibus adeò tenues sunt redditus ut Canonici aliunde non habentes, ex iis vivere nequeant. Ferraris, vº *Canonicatus*, art. 5, nº 119.

2356. Quærit. 1º An et quatenus requiratur licentia Episcopi ad absentiam trimestris à Tridentino concessi ?

Respondit negativè S. Congr. Concilii, anno 1581, in causâ *Abulensi*; postea tamen censuit requiri hanc licentiam quando Canonici abesse volunt *extra diœcesim;* sed non debere Episcopum illam, absque rationabili causâ

denegare. Vide Bened. XIV, *Inst.* 107. Non autem requiritur licentia Capituli.

2357. Quærit. 2° An sint causæ propter quas liceat Canonicis abesse ultra tempus vacationum ipsis concessarum?

Resp. Affirmativè, et concluditur ex iis quæ diximus supra (2323-2338): « Potest Episcopus, inquit Ferraris (v° *Cano-*
» *nicus*, art. 5, n° 12), ob legitimam causam dare Canoni-
» cis suis facultatem ut possint abesse per quatuor men-
» ses; sic decisum fuisse à S. Congr. Concilii referunt...
» Garcias..., etc. »

Non improbabile esse putat auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 375), « Episcopo fas esse... uti aliquantisper ministe-
» rio Canonicorum, quando gravis causa exposcit, v. g.,
» ad prædicationem Jubilæi, ad providendum per breve
» tempus parochiæ suo pastore orbatæ. »

2358. Quærit. 3° Quot simul abesse possint Canonici Cathedralis?

Resp. Id relinqui *arbitrio Episcopi et Capituli*, juxta declarat. S. C. Conc., anni 1581, in causâ *Abulensi*. Statutum ergo de hoc decernens, assensu Episcopi simul et Capituli firmari debet, inquit D. Bouix, *De Capitulis*, p. 366.

Sed cùm non debeat interrumpi servitium chori, non solùm non debent abesse simul omnes Canonici; sed oportet ut sat numerosi semper præsentes sint, ut decenter ipsi provideatur. Censuit autem S. Cong. Concil., 12 jul. 1631, statui debere ab Episcopo, ut Canonici se absentare nequeant ultra tertiam partem, uno et eodem tempore, et eorum *vacationem contingere non debere tempore Quadragesimæ et Adventûs, neque in amplioribus anni Festivitatibus*. Vide Bouix, *ib.*, p. 366.

2359. Quærit. 4° Quomodo procedi debeat contra Canonicos non residentes?

Resp. Juxta Concil. Trident. (sess. 24, cap. 12, *de reform.*), non residentes, primo anno privandi sunt, etiam sinè præviâ monitione, dimidiâ parte fructuum quos ratione præbendæ ac residentiæ suos fecerunt; secundo anno, omnibus fructibus; crescente verò eorum contumaciâ, ad pri-

vationem Canonicatûs est procedendum post triennium completum; et hoc quidem ordine : præcedat citatio personalis : quæ tamen non esset necessaria, si per Statuta Capituli vel Synodalia decretum fuisset absentes ipso facto privationem incurrere. Vide Bouix, *De Capitulis*, p. 368; si ignoretur locus quo Canonicus degit, vel si ad eum accessus tutus non esset, aut nimis distans, satis esset citatio affixa ad valvas ecclesiæ ubi est Canonicatus, sed una tunc non sufficeret; triplex enim distincta esset requisita ex cap. *Ex tuæ, de clerico non resid.*

2360. Hujusmodi citatio debet exprimere assignationem competentis termini ad redeundum, cum expressâ comminatione privationis Canonicatûs elapso termino, et si titularis non redeat vel justam causam non afferat, absque aliâ citatione, privandus erit titulo suo, juxta formam cap. *Ex parte, de cleric. non resid.*

Prolatâ sententiâ privationis cum observatione præmissorum, non datur appellatio suspensiva; secus, si forma prædicta observata non fuisset : Ita Bened. XIV (*Inst.* 107, § 6), ex Declar. S. C. Conc. (in *Placentinâ*, 15 nov. 1673) Si autem, incœpto processu juxta præfatam formam, Episcopus Canonicum absentem suspendat (quod ex eâdem declaratione facere potest), ad pœnam privationis tunc non potest devenire. Bouix, *De Capitul.*, p. 369.

2361. Juxta decisionem S. Cong. à Ferrario relatam (v° *Canonicatus*, art. 5, n° 25,—ad 3 et 4), Episcopus procedere valet contra Canonicum non residentem, etiamsi illum non monuerit nisi post elapsum spatium duorum annorum. Vide *Prælect. S. Sulpit.*, n° 368.

Nota, ex Fagnano, apud Ferraris (v° *Canonicatus*, ar. 5, n° 29), quòd cùm Episcopus Vercellensis supplicasset declarari an hujusmodi pœnam posset Canonicis remittere, S. C.: « censuit posse Episcopum, ante sententiam, vel in » actu sententiæ ex justâ causâ augere vel minuere, et non » in totum remittere. »

Nota insuper quòd « S. Cong. Conc. (17 sept. 1610) censuit non inservientes ecclesiæ, nec divinis interessentes, » ultra amissionem distributionum quotidianarum, posse

» ab Archiepiscopo per mulctas pecuniarias, atque alio
» juris remedio compelli. »

2362. Supradicta etiam Galliæ sunt applicanda : etsi enim Episcopi non possint Canonicos stipendio à Gubernio dato, ex se spoliare, eos tamen valent pro conscientiâ ad illud restituendum cogere; quod cùm, primo et secundo anno juxta superiùs dicta, factum fuerit, tandem ad privationem tituli possunt devenire. Quoad Gubernium autem satis erit, sicut in aliis depositionum casibus, si ex testimonio Ordinarii constet Canonicum fuisse legitimè depositum. (Bouix, *ibid.*)

2363. Diximus supra quòd ex Conc. Trident. (sess. 24 c. 12, *de refor.*) non residentes sint privandi dimidiâ parte fructuum, etc. Ergo non residentes ad restitutionem tantùm post sententiam Judicis tenentur quoad partem fructuum quos ratione Præbendæ et residentiæ suos fecerunt; quoad alios verò quos suos non fecerunt, etiam ante judicis sententiam, eos in integrum restituere debent. S. Liguor., lib., 4, nº 129. — De hoc tamen dubitat auctor *Prœl. S. Sulpitii*, nº 368.

2364. « Notanda est (autem) differentia inter restitutio-
» nem faciendam à beneficiario ob omissionem horarum,
» et ob omissionem residentiæ. Illa enim potest fieri qui-
» buscumque pauperibus, et in fabricam domûs beneficii,
» sive in emendis aut meliorandis agris beneficii : quia om-
» nia hæc veniunt nomine *Fabricæ beneficii*, ut dicitur in
» Bullâ S. Pii V...Ob omissionem autem residentiæ restitutio
» debet omninò erogari vel in Fabricam ecclesiæ, vel in pau-
» peres illius loci, ut sancitur in Trid., s. 23, c. 1, *de ref.* Nec
» satisfacit non residens applicando restitutionem in missis
» vel aliis suffragiis pro animabus Purgatorii illius loci,
» quia... non possunt... dici *pauperes illius loci.* » S. Lig., lib. 4, nº 128.

Attamen, juxta Ferraris, vº *Canonicatus*, art. 5, nº 19,
« Fructus illi quibus privandi sunt Canonici non residentes
» pro constituto tempore debent applicari in usum et Fa-
» bricam ecclesiæ si indiget, aliàs alteri pio loco, arbitrio Or-
» dinarii. Sic decrevit S. C., ut referunt Garcias... Barbosa. »

§ V.

De obligatione emittendi fidei professionem.

2365. Ex Concil. Trid. (sess. 24, c. 12, *de ref.*), *provisi de Canonicatibus et Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus* (non verò in Collegiatis ex S. C. Concil., apud Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 4, n° 32) non solùm debent *à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, et in Romanæ Ecclesiæ obedientiâ se permansuros spondere et jurare in manibus ipsius Episcopi, vel, eo impedito, coram Generali ejus Vicario, sed etiam in Capitulo idem facere tenentur. Alioquin fructus non faciunt suos, nec illis possessio suffragari potest.* Vide dicta supra (1442).

2366. Hæc posteriora verba intelligenda sunt de *fructibus Præbendæ*, non verò de distributionibus. Ita S. Congr. Conc. juxta plures ap. D. Bouix (*De Capit.*, p. 371, etc.). Unde Canonici choro assistentes possunt retinere tertiam partem fructuum Præbendæ, quæ ex jure in distributiones est convertenda (*ibid.*, p. 373).

Fructus quos suos non facit Canonicus in casu præsenti, si à mensâ Capituli sint distincti, impendi debent, etiam ante sententiam, in usum pauperum vel fabricam ecclesiæ. V. Ferraris (v° *Canonicatus*, art. 4, n[is] 21, 22, 23, etc.).

2367. Hujusmodi professio fidei, juxta Ceccoperium, ap. D. Bouix (*De Capit.*, p. 372), potest fieri per procuratorem. Sed hoc non admittit Ferraris, plures in contrarium referens declarationes S. C. Concil., inter quas 22 sept. 1696, in quâ dicitur: « Non admittas provisos ad professionem fidei, *nisi per seipsos emittant* » (v° *Canonicatus*, art. 4, n° 5). In *additionibus* tamen (n° 35) dubitatur an S. Congreg. Concil. in hâc eâdem sententiâ steterit in *Toletanâ*, 17 apr. 1728 et aliis ibidem citatis.

2368. Hanc fidei professionem de novo facere tenentur qui jam in promotione ad alterum beneficium eam emiserant. Ita decisum à S. Congreg. Concil. refert Garcias à Fer-

rario citatus (*ib.*, n° 7). Vide etiam Concil. Avenion. anni 1849 (pag. 5).

Canonici omittentes facere hanc fidei professionem, peccant mortaliter juxta multos et gravissimos auctores à Ferrario citatos (*ib.*, n° 14).

Hanc emittere non tenentur Coadjutores Canonicorum, nec beneficiati, nec Canonici Honorarii. Vide Bouix, et Ferraris (*ib.*, n^is 30-33).

2369. Sed Canonici et Dignitates titulares ad eam, etiam in Galliâ, tenentur. Vide Bouix (*De Capit.*, p. 372). Nulla potest esse difficultas pro hâc Provinciâ, ut constat ex Conc. Avenion. modò citato.

§ VI.

De obligatione assistendi Capituli deliberationibus.

2370. Omnes et singuli qui vocem in Capitulo habent, obstricti sunt ad ordinaria et extraordinaria Capitula, modò sint legitimè congregata : nam Capitula celebrare, ad rectum Ecclesiæ regimen est necessarium. Ita omnes.

Juxta D. Bouix (*ib.*, p. 375) hæc obligatio assimilari potest obligationi choro inserviendi ; porrò S. Liguorius supra (2311) ut reum gravis culpæ non habet eum qui absque justâ causâ ter aut quater choro abest : proinde absens ob causam rationabilem, si sciret suam absentiam nullum nocumentum esse allaturam, ne venialiter quidem peccaret. Tamen idem D. Bouix ait hoc esse restringendum ad Capitula ordinaria : quia major est obligatio ad extraordinaria accedendi.

Obligatio assistendi infert obligationem permanendi donec absolutum sit Capitulum : eâdemque pœnâ recedentes absque legitimâ licentiâ puniri possunt quâ non accedentes. In his attendenda sunt imprimis consuetudo et statuta localia. (Bouix, *De Capit.*, ibid.)

2371. Obligari Canonicos ad assistendum Capitulo, ita ut possint ad id mulctâ aliisque pœnis compelli, decisum refertur ap. Gardell. (tom. 7, *in Append.*, n^is 32 et 142). Relegenda sunt hîc quæ supra diximus de vocandis ad Ca-

pitulum (394-400); de requisito præsentium numero (401-403): qualiter requiratur votum majoris aut sanioris partis, vide (404) et alia sequentia.—Insuper :

2372. Quærit. 1° Quo in loco habendum sit Capitulum?

Respondet Leurenius ap. D. Bouix (*De Capit.*, p. 190), Capitulum ex jure communi celebrandum esse in ecclesiâ, aut loco ad hoc determinato, et sinè justâ causâ ad alium locum non posse transferri : contendit tamen Card. Petra posse Capitulares absque causâ mutare locum : saltem, urgente legitimâ causâ, Episcopus potest Capitulum convocare extra locum consuetum, casu, v. g., quo violenter prohiberetur ab ingressu suæ civitatis. Ita communiter, ap. D. Bouix (*ib.*, p. 191) et ap. Ferraris (v° *Capitulum*, art. 1, n° 30, etc.). Regulariter, non potest Episcopus congregare Capitulum in suis ædibus; sicque fuisse decisum à S. Cong. Conc. refert Fagnanus (ap. D. Bouix, *ib.*, 191), nisi sic Capitulum celebrandi in Episcopi aulâ invaluisset consuetudo, quæ tunc esset servanda, juxta decisionem ejusd. Congreg. 26 nov. 1650. Episcopus, inquit Ferraris (v° *Canonicatus*, art. 11, n° 11), « Canonicos vocare ad Palatium » Episcopale potest ; et tenentur accedere : non tamen » tenentur ire vocati à Vicario. S. Congreg. R., in *Cassan.*, » 5 mart. 1633. »

2373. Quærit. 2° Quandonam et per quem Capitulum convocari debeat?

Resp. 1° Non ad libitum illius ad quem convocatio pertinet, est convocandum Capitulum, sed regulariter diebus tantùm ad hoc præfixis: attamen potest etiam convocari quoties illi ad quem spectat videbitur servitio ecclesiæ expedire, et quoties hanc convocationem postulaverint Canonici. Ita decisum à S. Congreg. Episcop. et Regul., asserit Barbosa (ap. Bouix, *ib.*, p. 192).

2374. — 2° Convocari debet Capitulum per ipsius Præsidem, qui solet esse Archidiaconus. « Magna (tamen)... in » hoc viget varietas, ait D. Bouix (*ib.*, p. 194); ita ut in qui- » busdam Capitulis Prima Dignitas sit Archidiaconus, in » aliis Præpositus, in aliis Decanus, in aliis Primicerius... : » quocumque (autem) nomine vocetur, Prima post Epis-

» copum Dignitas ipsa est præses Capituli, et ad ipsam » pertinet convocare Capitulum. Item ex consuetudine vel » statuto fieri potest, ut, impeditâ Primâ Dignitate, jus » convocationis ad Secundam pertineat, non verò ad an- » tiquiorem ex Canonicis. » De facto, ait Leuren., hoc jus communiter exercetur per Decanum. « Deficiente verò » Decano, convocare Capitulum, actusque Capitulares di- » rigere, de jure vel consuetudine spectat ad antiquiorem » ex Canonicis.

2375. » Nequaquam autem Vicarius Episcopi convocare » potest Capitulum... absente etiam Episcopo... (Trident., » sess. 25, cap. 6); nisi fortè ubi urgente causâ id posset » Episcopus » (ap. Bouix, *ib.,* p. 193). Sed vide dicta supra (2298-2300).

2376. Sunt etiam casus in quibus Capitulum convocari potest aliter quàm per Præsidem : « sed hoc procedit, in- » quit Card. Petra, si conveniant *omnes de Capitulo :* nam » major pars poterit *solùm* cogere Caput Capituli ad con- » vocationem faciendam mandato Superioris legitimi : vel » procedit ut, renuente Capite..., possit fieri convocatio a » subsequente in gradu, factâ debitâ requisitione ipsi Ca- » piti. » V. Ferraris (v° *Capitulum,* art. 1, n° 5) et D. Bouix (*ib.*, p. 195).

2377. Quærit. 3° Quomodo sit facienda convocatio ut sit canonica?

Resp. Vel Capitulum est ordinarium vel extraordinarium: si priùs, non est regulariter facienda convocatio, quia Capitulares sibi imputare debent si negligant interesse Capitulo tempore præfixo. Si tamen in eo aliquid arduum tractandum esset, id esset Capitularibus indicandum.

Si posteriùs, vocari debent omnes in loco præsentes, et non longè absentes, casibus quibusdam exceptis supra recensitis (397).

Indicari debent dies, hora, locus, et hoc per diem ante. Ita Scarfantonius, ap. D. Bouix, *De Capitul.*, p. 196.

2378. S. Congreg. Conc. declaravit in *Lunensi-Sarzanensi*, 12 mart. 1653, eum ad quem spectat Capituli convocatio non teneri « ad rem in ipsâ convocatione significandam,

» quia nimirùm Capitularibus inducias ad deliberandum » denegare non licet. » — Rota etiam decidit (in Avenion. 17 mart. 1752) « Canonicos Capituli convocationem cu» pientes, minimè obstrictos esse negotia in Comitiis extra» ordinariis proponenda palam facere ei qui jus habet in» dicendi Capitulum, illique præsidendi. » (*Thesaur. resolut.*, S. C. Concil., ap. Bouix, *ibid.*, p. 197.) — Vide alia supra (406, etc.).

2379. Quærit. 4° Quinam vocem habeant in Capitulo?

Resp. Vide quæ diximus supra (395, etc.): quibus hic est addendum quòd Caput Collegiatæ, quando est Prælatus exemptus jurisdictionem possidens, habet vocem in Capitulo.

Si verò Episcopus Ecclesiæ suæ non sit Canonicus, nulla ei competit vox in actibus Capitularibus, ut supradiximus (2298, 2299); secus in Hispaniâ vi recentis Concordati. (Vide D. Bouix, *De Capitul.*, p. 199).

Diximus supra (2173) Dignitates non esse de Capitulo, nec in eo vocem habere, nisi hoc jus eis concedatur statuto vel consuetudine, prout fieri solet (2176.)

2380. Quærit. 5° An votum in Capitulo dari queat per procuratorem?

Resp. Affirmativè: Capitulares enim, qui ob distantiam, infirmitatem, vel aliud impedimentum interesse non valent, possunt, etsi in loco residentiæ existant, procuratorem constituere ad deputantis nomine votandum.

Debent autem eidem speciale mandatum præbere ad jurandum in animam suam, quòd sint taliter et tali modo impediti; aliàs procuratori non creditur super allegatis obstaculis.

2381. Dicit tamen Monacelli ap. D. Bouix (*ib.*, p. 202), non posse constitui procuratorem, nisi ita vigeat consuetudo, aut ita ferat statutum locale, et ab eo solo posse constitui qui intra Provinciam est absens: ac ita decisum fuisse in *Hydruntinâ*, 11 apr 1692, à S. C. Conc. — Vide dicta supra (398).

Lequeux verò (n° 605, in fine) affirmat non fuisse olim agnitam apud nos facultatem per procuratorem votandi in Capitulis; citat Arrestum Curiæ Paris. anni 1620, et plures

auctores idem asserentes, Gohard, Ducasse, Gibert, etc.

2382. Quærit. 6° Quâ ratione vota sint danda in Capitulo?

Resp. Diximus supra (398-406-409) quomodo suffragia sint danda quando agitur de electionibus : in cæteris materiis, modus suffragia emittendi a jure communi non est determinatus, unde pendet a consuetudinibus vel statutis localibus. Vide apud D. Bouix quasdam formas quæ utiliter possunt adhiberi (*ibid.*, p. 205).

Nisi à jure communi aut statutis capitularibus, sub clausulâ irritante, præscriptum fuerit suffragium secretum, valet quod Canonici vivâ voce concludunt.

2383. Quando proceditur per viam suffragii secreti, non tantùm arguendus est à Capituli præside qui audet votum suum palàm facere, sed pro illâ vice in pœnam repellendus est à dando secreto suffragio. Ita Ceccoperius (ap. Bouix, *ib.*, p. 206 et 207). Vide supra (409).

Non sunt computanda vota incerta, alternativa, conditionata, et inutilia. Vide supra (406).

2384. Non prohibetur, post repetitum bis aut ter scrutinium, per sortem dirimi dubium ex paritate votorum inter duo divisorum. (Bouix, *ibid.*)

2385. *Nota* ex Gavanto (v° *Capitulum*, n[is] 32, 33, 36) quòd Cancellarius acta scribere debeat in certo libro qui in archivis reponatur. Si non sit Cancellarius, eligatur ad biennium.

Sigillum Capituli conservetur in Capsulâ, quæ duabus clavibus obsignetur, quarum altera sit apud designatum à Capitulo, altera penes Majorem Capituli. Ita S. Congr. Episcop., 13 mart. 1615.

Quoad ordinem, modum et congruum tempus quo fieri debeat capitularis tractatio, vide ap. D. Bouix (p. 207-209).

2386. Quærit. 7° An Canonici teneantur ad secretum circa ea quæ geruntur aut dicuntur in Capitulari cœtu?

Resp. Jus commune silere quidem de hâc obligatione; attamen sæpe contingere potest quòd Canonici non sint à peccato immunes si divulgent dicta vel peracta in cœtu Capitulari, ob inconvenientia quæ exinde essent exoritura;

procul dubio peccatum mortale de genere suo patrarent, si de servando secreto juramentum emisissent, prout olim fiebat in multis Capitulis. (Vide Lequeux, nº 611.)

§ VII.

De obligatione Canonicorum varia munia acceptandi.

2387. « Omnes Canonici, inquit Scarfantonius, tenen-
» tur et cogi possunt ad subeunda officia et munia Capi-
» tularia ad quæ fuerunt electi; nec ab acceptatione eximi
» possunt etiam renuntiando voci activæ et passivæ, ut
» censuit S. Congr. Conc., 14 jan. 1690...; ita ut nec eximi
» possit ab iis acceptandis etiam Vicarius Capitularis, ut
» ead. S. C. respondit in *Cozzulensi,* 29 mart. 1652.» Ap. Bouix, *De Capit.*, p. 376.

Qui officium commissum recusat, quantùm pecuniæ caperet per sex menses serviendo Ecclesiæ, tantumdem amittat. (Gavantus, *Man. Episcop.*, vº *Capitulum,* nº 21.)

ART. IV.

DE CAPITULORUM JURIBUS ET PRÆROGATIVIS.

2388. Primordiis Ecclesiæ maxima erat Capitulorum potestas, ut potest colligi ex dictis supra (2151) : postea verò intra arctiores limites coarcta fuit: quod cœpisse videtur eo tempore quo ab Archidiaconis retracta fuit jurisdictio ordinaria, et ad Vicarios Generales ad nutum revocabiles fuit translata. Id deinde perfectum fuit à Concilio Tridentino, ex quo SS. Pontifices et Romanæ Congregationes semper se exhibuerunt procliviores ad potiùs imminuendas Capitulorum prærogativas quàm ad illas dilatandas.

Causa hujusmodi transmutationis disciplinæ fuit quòd Capitula, dum ad auxiliandum Episcopis in regimine diœcesis instituta fuerant, propter humanam fragilitatem, primævæ institutionis oblita, eò devenerunt ut eos sæpe intricatis difficultatibus irretirent, et plus eis obesse quàm prodesse viderentur : unde Ecclesia ad salutaris depressionis

remedium devenire debuit. (Vide D. Bouix, *De Capitulis*, p. 379.)

2389. Non tamen penitùs extinctæ sunt Capitulorum prærogativæ adhuc enim ab Ecclesiâ habentur tanquam Episcopi Consilium, uti constat ex Trident., sess. 25, c. 6, *de ref.*; ex Bullâ Pii VII, Concordati 1801 confirmatoriâ, ubi Pontifex vult Capitula erigi ex eo quòd *necesse sit consulere Episcoporum Consilio* suæque Ecclesiæ administrationi : similia prolata sunt à Pio IX in suo cum Hispaniâ Concordato. (Bouix, *ib.*)

Porrò diversa sunt Capitulorum jura quatenus plena vel vacua est Sedes Episcopalis : diximus supra de juribus Capituli, Sede vacante (1212-1286); superest ergo ut hìc expendantur ejusdem prærogativæ, plenâ Sede.

§ I.

De Jure Capituli ut Episcopus requirat ipsius consilium aut consensum.

2390.—I. **Jure** communi tenetur Episcopus in pluribus vel consilium exquirere vel etiam ipsius obtinere consensum [1].

Primum constat 1° cap. *Novit.* 4, *de his quæ fiunt*, etc., ubi dicitur : « Prælatus sinè consilio Capituli instituere vel » destituere, vel alia negotia Ecclesiæ tractare non debet. »

2° Cap. *Quanto, de his*, etc., ubi ad Patriarcham Hierosolymitanum scribens, sic ait Alexander III : « Fraternitati » tuæ mandamus quatenus in concessionibus et confirma- » tionibus et aliis Ecclesiæ tuæ negotiis, fratres tuos re- » quiras, *et cum eorum consilio, vel sanioris partis, eadem* » *peragas et pertractes*, et quæ statuenda sunt statuas, et » errata corrigas et evellenda dissipes et evellas. »

Verba *sanioris partis* sic à DD. explicantur ut illa *sanior pars* intelligatur quæ simul est *major pars* et non alia,

[1] « Hæc quæstio non solùm procedit de Capitulo Cathedrali respectu » Episcopi, sed etiam de Capitulo inferiorum Ecclesiarum, imò et » monasteriorum respectu proprii Prælati. » (Reiffenst., lib. 3, tit. 10, n° 6.)

nisi contraria vigeret consuetudo. (Vide Bouix, *De Capit.*, p. 382.)

Secundum constat ex variis textibus infra referendis, ubi varia objecta pro quibus exigitur consensus Capituli recensebuntur (2398, etc.).

2391. — II. Porrò in iis casibus pro quibus Episcopus tenetur consilium Capituli requirere, non ideo sequi tenetur. Ita communis sententia, et sæpiùs sic respondisse S. Congr. testatur Fagnanus. Vide Bouix, *ibid.*, p. 385, etc.

Nec dicas : Ergo frustrà Prælatus adstringitur ad consilium Capituli exquirendum, si ipsius sententiam sequi non teneatur : — Nam ad multa utilis esse potest hujusmodi consultatio : sic enim occurritur præcipitationi Prælati; cogitur enim ipse maturiùs procedere, et aliquando utili capitularium consilio ad mutandam propriam sententiam inducitur. Vide Reiffenst., lib. 3, tit. 10, n° 3.

2392. Si autem petitum consilium dare noluerit Capitulum, valent acta à Prælato sinè illo, modò contra illa nihil rationabile opponatur. Ita Leurenius, ap. D. Bouix (*ibid.*).

2393. — III. Ab obligatione consulendi Capitulum aut ipsius aliquando consensum obtinendi, in pluribus eximi potest Episcopus per consuetudinem legitimè præscriptam : ita communiter Canonistæ, et constat ex cap. *Non est* 3, *de consuetudine,* in 6°, ubi dicitur : « Non est (dùm tamen aliàs » sit præscripta canonicè) consuetudo quam allegat Epis- » copus reprobanda : quòd in inquirendis, puniendis et » corrigendis subditorum excessibus, consilium sui Capi- » tuli requirere minimè teneatur. »

Dicitur *in pluribus,* quia non videtur posse legitimè introduci consuetudo nunquam consulendi Capitulum, eò quòd S. Sedes non videatur huic consentire : sic enim inutilia evaderent Capitula cùm præcipuum finem suum non assequerentur. (Bouix, *ib.*, p. 672 et 444.)

De his duas sequentes regulas tradit idem D. Bouix, *ib.*, p. 673 :

2394.—1° Si universalis moraliter evadat in totâ Ecclesiâ consuetudo non requirendi in aliquâ re consilium Capituli, hæc consuetudo observari potest, etiam ab Episcopo

ecclesiæ noviter erectæ, etsi is nullam propriæ diœcesis allegare possit.

2° Si agatur de consuetudine aliquibus Ecclesiis peculiari, existentia ejus ab Episcopo est probanda, alioquin jus Capituli ut consulatur permanet.

2395. Quemadmodum autem consuetudo, debitis vestita conditionibus, eximere potest Episcopum ab obligatione Capitulum consulendi, etiam in arduis, ita ècontra potest inducere obligationem illum consulendi, imò ipsius consensum obtinendi, etiam in minoribus : unde in hâc materiâ multùm est attendenda consuetudo, ubi ex rationabili causâ est introducta. Ita Leuren., ap. D. Bouix, *De Capitulis*, p. 387.

2396. Quærit. 1° Quibusnam in casibus teneatur Episcopus consilium Capituli requirere?

Resp. 1° Generatim ad hoc tenetur Episcopus in omnibus negotiis *arduis*. Ita communiter, et probatur ex cap. *Novit.*, cap. *Quantò* et cap. *Pastoralis, de iis quæ fiunt*, etc., supra relatis (2300).

Hoc tamen, juxta dissertat. Rotæ (in decis. 866, 15 jun. 1703), non de omnibus *arduis* intelligendum est, sed tantùm de *arduis* in jure expressis : sic « conciliantur » omnes juris canonici textus, conciliantur Doctores et » arceantur lites continuæ super cognitione causarum ardua» rum quæ est difficillima » (ap. Bouix, *ib.*, p. 402). Eamdem opinionem sequitur S. Congr. Concil. (*ib.*).

2397. Imò, inquit Ferraris (v° *Capitulum*, art. 3), « ferè » ubique habetur *in plurimis* consuetudo contraria (non » consulendi Capitulum), quâ legitimè exstante, non am» pliùs requiritur ipsius Capituli consilium (textu expresso » in cap. *Non est, de consuetud.*, in 6°). » Idem asserit Reiffenst., lib. 3, tit. 10, n° 27.

2398. Resp. 2° Speciales casus in quibus jura expressè decernunt consulendum esse Capitulum sic recensentur in eodem Ferrario (ut supra):

1° In processionibus decernendis, dirigendis, atque deducendis (S. Cong. R., 28 mart. 1628, 7 febr. 1632).

Idem facere debet Vicarius Generalis, absente Episcopo, ex S. Congr. Rit., 28 sept. 1630.

2° Antequam Episcopus indicet Synodum diœcesanam et publicet ipsius decreta. S. Cong. Conc., in *Hispalensi,* 26 nov. 1689. Vide dicta supra (952); sed vide etiam (953) et infra dicenda (2429).

Addit D. Bouix (*De Capit.*, p. 671) posse hodie Episcopum ob generalem consuetudinem, quæ in jus commune transiit, absque *consensu, atque etiam consilio* procedere in judiciis criminalibus omnium suorum subditorum, ut mox infra dicturi sumus (2408).

2399. Juxta Ferraris, « requiritur Capituli consilium in » clericorum ordinationibus (Cap. *Episcopus sinè consilio* 6, » dist. 24). » Et hoc quidem olim verum erat, sed hanc juris veteris dispositionem immutavit Concil. Trid., sess. 13, c. 7, *de reform.* Vide etiam *Pontificale, de ordin. confer.*, initio.

2400. Quærit. 2° Quibusnam in casibus requiratur consensus Capituli?

Resp. 1° Generatim consensus Capituli est Episcopo necessarius: 1° In omnibus in quibus Ecclesiæ obligatio aliqua notabilis imponitur, v. g. ex deposito, fideijussione, mutuo, donatione. Item in omnibus negotiis in quibus Ecclesiæ et successoribus notabile præjudicium generari potest; non verò si sint minora nec creent notabile præjudicium.

2° In iis quæ ad Prælatum simul et Capitulum spectant, et in iis de quibus Capitulo specialiter interest. Ita Leuren., ap. D. Bouix, *ibid.*, p. 386.

2401. Non autem necessarius est in iis in quibus Episcopus procedit potestate hic et nunc specialiter sibi à S. Sede delegatâ; secus, si procederet jure ordinario delegationis, potestate nempe sibi constanter pro certis causis delegatâ, vigore v. g. Concil. Trident.

2402. Quando consensus Capituli de jure est requisitus, ipsius defectus nullum reddit actum Episcopalem. Vide Leuren., ap. Bouix, *ib.*, p. 387.

Imò « si agatur de negotio Canonicos uti singulos concer- » nente, non sufficit consensus majoris partis, sed singu-

» lorum consensus exigitur. Fagnan... » Ferraris (v° *Capitulum*, art. 1, *add.* n° 62).

Pariter nulla esse acta Prælati, si non requirat *consilium* Capituli quando à jure est requisitum, dicit Reiffenstuel, lib. 3, tit. 10, n° 10, ex capite *Novit.* 4, *de his quæ fiunt sinè*, etc.

2403. Respond. 2° Præcipuos casus in quibus Episcopus speciali Capituli consensu indiget, esse sequentes :

1° Ad alienationem rei immobilis, aut mobilis pretiosæ ad Ecclesiam Cathedralem pertinentis, in casibus quibus hæc alienatio Episcopo est licita. Constat ex cap. *Sinè exceptione* 12, q. 2, et cap. *Ut super,* tit. 13, lib. 3 Decret., cap. 1, tit. 10, ejusd. lib.

Si ad aliam ecclesiam inferiorem res pertineat, præter consensum clericorum talis ecclesiæ, requiritur etiam consensus Capituli Cathedralis et tractatus cum eo, si Episcopus est principalis auctor alienationis : secus si auctores sint illius ecclesiæ administratores.

2404. Consensus autem Capituli debet esse expressus, cum subscriptione saltem Notarii publici, si alienatio sit perpetua, vel ad longum tempus. et agatur de venditione, donatione, aut permutatione : si verò ad breve tempus sit, nempe infra decennium, consensus tacitus sufficit. Vide Leuren., apud D. Bouix, *ibid.*

Juxta probabiliorem et communiorem sententiam, repudiatio legati rei etiam immobilis non habetur ut *alienatio,* sed duntaxat ut *non acquisitio,* eaque facta ab Episcopo, absque Capituli consensu, valida reputatur, licet illicita sit si fiat absque causâ legitimâ. Vide quæstionem discussam apud Reiffenst., lib. 3, tit. 10, n[is] 35-53.

Si ob bellum vel aliam causam, Capitulum absens sit, Prælatus debet, loco Capituli, alios consulere clericos. Ita Leuren. (apud D. Bouix, *ibid.,* p. 390).

2405. Consensus Papæ eximit à necessitate obtinendi consensum Capituli, quando iste requiritur tanquam solemnitas; non verò si requiratur tanquam consensus partis cujus interest.

2406. Nec Papæ nec Capituli consensus est necessariu

ad alienationem rerum valoris minimi, id est 37 scutorum monetæ romanæ (seu 188 fr.). Ita Card. Petra (apud Bouix, *ibid.*, p. 393). Sic enim habet canon. *Terrulas* 12, q. 2 : « Terrulas aut vineolas exiguas et ecclesiæ minùs » utiles, aut longè positas et parvas, Episcopus sinè consi» lio fratrum (si necessitas fuerit), distrahendi habeat po» testatem. »

2407. — 2° Ad erectionem novæ parochiæ : siquidem divisio parochiæ et dismembratio reddituum est quoddam genus alienationis. Vide supra (341, 350, etc.).

Item in erectione novi Canonicatûs aut Dignitatis et in applicatione alterius beneficii pro dotatione.

3° In exigendo subsidio caritativo : de quo vide Devoti, lib. 2, tit. 15, § 4.

4° Ad unienda vel ad disjungenda beneficia et ad illa supprimenda. Vide supra (361).

2408. 5° Ex canone *Episcopus nullius* 15, q. 7, et cap. *Pervenit, de excessibus*, etc., plures canonistæ, Leuren., Pirrhing, etc., deducunt Episcopum indigere non tantùm consilio, sed etiam consensu Capituli ad puniendos subditorum excessus; sed in quâdam dissertat. Tribunalis Rotæ a D. Bouix relatâ (*De Capitul.*, p. 399, etc.), variis capitulis juris probatur illos non rectè arguere.

In hâc dissertatione, allegatur 1° cap. *De Personâ* 38, causa 11, q. 1, in quo statuitur clericos non ab alio quàm ab Episcopo esse judicandos; 2° cap. *Si quis presbyter* 4, causa 2, q. 5, decernens causam presbyter. *à solo* Episcopo esse absolvendam; et ibi agitur de criminalibus, etc. Deinde ostenditur quòd textus in contrarium allegati loquantur solùm de *consilio* et *præsentiâ*, et non de consensu, vel auctoritatem non faciunt pro universali Ecclesiâ : enumerat postea tres casus in quibus requiritur consensus Capituli, videlicet *degradationem*, *suspensionem perpetuam* et *interdictum Ecclesiæ*. Concludit tandem dicendo ex consuetudine posse Episcopum sinè *consilio* Capituli procedere etiam in casibus in quibus jura illius consensum requirunt; et addit : « *Praxis* nempe ferè generalis est hodie ut Epis» copi procedant in causis criminalibus omnium subdito-

» rum etiam sinè *consilio.* » Hæcque praxis cœperat etiam tempore Bonifacii VIII, uti constat ex cap. *Non est* 3. *de consuet.*, in 6°, superiùs citato (2393).

Hæc doctrina sancita fuit ab Urbano VIII, qui per Bullam *Decet Romanum Pontificem*, in perpetuum approbavit Declarat. S. C. Conc. 20 febr. 1623, ad Episcopum Atrebatensem directam, in quâ dicitur *quòd Episcopus possit extra visitationem causas criminales.., aliorum, qui nec... sunt de Capitulo, per seipsum cognoscere et definire, non obstante assertâ concordiâ, privilegiis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

Quoad causas Canonicorum et Dignitatum vide dicta supra (2303-2307).

2409. Sic autem totam hanc materiam resumit D. Bouix (*De Capit.*, p. 405):

1° De jure communi in puniendis excessibus clericorum Episcopus non eget consensu cujuscumque, exceptis casibus degradationis, suspensionis perpetuæ et interdicti in ecclesias lati; 2° in cæteris causis criminalibus arduis, eget solummodo præsentiâ aut etiam consilio sui Capituli; 3° « ex consuetudine, quæ propter generalitatem à multo » tempore transiit in jus, jam non egent Episcopi neque » consensu, neque etiam consilio Capituli, in causis criminalibus quibuscumque judicandis, ita ut, etiam sinè » Capituli assensu et consilio, possunt suspensiones perpetuas et interdicta in Ecclesias fulminare. 4°.....

2410. » 5° Prædictæ conclusiones applicare etiam debent » recentibus Galliæ et Belgii Ecclesiis. Quamvis enim per » Bullam Concordati... 1801..., extinctæ fuerint particulares... consuetudines..., non tamen extincta fuit consuetudo procedendi in criminalibus absque assensu et consilio Capituli : quia illa consuetudo jam multò ante » Concordatum generalis evaserat et in jus commune transierat: ita ut novæ Galliarum Ecclesiæ, hoc ipso quòd » ortæ sint sub jure communi, ortæ sunt sub jure prædictæ » universalis consuetudinis. » Vide dicta supra (953).

2411. —6° Casu quo in Synodo nulli fuerint electi examinatores Synodales, sinè quibus ex Concil. Trident.,

nulli debent promoveri ad parochias vacantes : tunc ad S. Congr. Conc. recurri debet, quæ exigit regulariter ut examinatorès non eligantur ab Episcopo nisi cum Capituli consensu. Vide D. Bouix, *De Capitul.*, p. 406; Ferraris, v° *Capitulum*, art. 2, n[is] 1-12.

2412. Quærit. 3° Qualis esse debeat Capituli consensus quando requiritur?

Resp. Juxta Leuren. cum aliis pluribus (apud Bouix, *De Capit.*, p. 407), consensus Capituli « 1° debet esse præs- » titus à Capitularibus legitimè in unum congregatis...; » singuli enim seorsim sumpti non faciunt Capitulum; » 2° debet esse præstitus à majore parte Capituli congre- » gati..., nullâ habitâ ratione absentium. » Vide insuper dicta, 401-403 et 2402.

2413. Quærit. 4° An in præsenti Ecclesiarum Galliæ statu Episcopi teneantur Capitulorum suorum consilium exquirere.

Resp. 1° Videtur quòd, in quibusdam saltem negotiis, adhuc hodie vigeat in Galliâ consuetudo consilium Capituli exquirendi : hoc enim testatur formula ab Episcopis adhibita : *de consilio venerabilium fratrum*, etc.; pro iis ergo negotiis, dici debent Episcopi nostri teneri ad Capituli consilium exquirendum.

Resp. 2° Cùm sat generaliter Præsules nostri videantur à longo tempore non exquisivisse dictum consilium, nisi in paucissimis casibus, et hæc consuetudo videatur fuisse universalis in totâ Ecclesiâ etiam ante Concordatum 1801, ut constat ex dictis supra (953), concludi legitimè potest Antistites nostros in multis ampliùs non teneri ad exquirendum Capituli consilium; contradicit quidem D. Bouix, *De Capitul.*, p. 383-385, sed conclusio nostra ex ipsismet ejusdem auctoris principiis deducitur. Vide supra (2394, 2409, 2410.)

§ II.

De jure Capituli Statuta condendi.

Duo hîc nobis sunt expendenda : 1° quale in genere sit jus Capituli Statuta condendi; 2° quodnam in specie sit

illud jus in Galliâ à tempore Concordatorum 1801 et 1822.

PUNCTUM I.

DE JURE CAPITULI IN GENERE STATUTA CONDENDI.

2414.—I. Capitulum potest Statuta condere absque Episcopi consensu, circa ea generatim quæ nec statum generalem Ecclesiæ, nec ipsum Episcopum aut ipsius jura concernunt.

Probatur 1ª pars : 1° Illa enim potestas Capitulo est tribuenda, quam ipsi theologi et canonistæ communiter addicunt : porrò communiter canonistæ et theologi hanc auctoritatem inesse Capitulis concedunt, uti videre est apud D. Bouix testimonia multa referentem : Suarezii videlicet, Rubei, Pitonii, Pignatelli, Ceccoperii, etc. Hoc etiam ut certum tenet Rota : « Explorati juris est, inquit, Ca» pitulum posse statuere super his quæ ad ipsum pertinent. » (Decis. 707, in causâ *Illerdensi* 30 oct. 1585.) « Capitulum » in concernendo rem et personas Capitularium potest *etiam sinè auctoritate Episcopi statuere...* » (Rota, part. 3, recent. decis. 20, n° 6.)

Item S. Congr. Concilii : « Cùm verò Collegia indubiâ » facultate pollent constituendi sibi jura normasque quibus » pareant, poterunt pariter, consensu tacito et longo usu, » leges inducere quibus legitimè devinciantur. » (Apud Bouix, *De Capit.*, p. 413.) Ab eodem refertur textus Concil. Romani anni 1725 expressè hoc definiens.

2° Ipsamet ratio demonstrat : hoc ipso enim quòd aliquibus hominibus confertur potestas seipsos in collegium et societatem constituendi, eo ipso eis conceditur facultas sese regulandi in ordine ad finem propositum, quod absque Statutis fieri nequit. Ergo, etc. Hoc jus in Galliis olim agnoscebatur. Vide Lequeux, n° 610; et Bouix (*ib.*, p. 427).

Probatur 2ª pars : præsertim Glossâ, in cap. *Constitutionem, de verb. signif.*, in 6°, ad verbum *Statutum.* Quæ Glossa à communi DD. sententiâ et à Tribunalibus Romanis pro regulâ habetur in hâc materiâ : hæc autem ita se habet :

« Ex hoc, et ex eo quod dicitur in fine, videbatur quòd
» Canonici possunt facere Statuta dummodo aliàs sint
» licita. Solet dici quòd Capitulum, sinè Episcopo, Statuta
» facere non potest quæ tangant generalem statum Eccle-
» siæ, vel tangant Episcopum, vel ejus jura... Et hæc vera
» sunt... Si verò statuat super iis quæ non tangunt Epis-
» copum, vel statum Ecclesiæ, sed sua singularia negotia
» (puta quòd certis modis quotidianas obventiones distri-
» buant, vel quòd certo modo ad Capitulum vocentur :
» puta per talem campanam, vel alio modo; vel quòd
» certis temporibus, etiam non vocati veniant ad Capitu-
» lum, vel his similia). satis potest dici quòd super his tenet
» ipsius Capituli constitutio sinè Episcopo, aliàs licita et
» legitima. »

2415. Non autem posset « Capitulum statuere, ut non » admittantur Canonici nisi probatâ nobilitate, quia est » contra cap. *Venerabilis* 37, *de Præbendis*, allegatâ illâ » ratione : *Non generis*, *sed virtutum nobilitas*, *vitæque* » *honestas gratum Deo faciunt.* » (Ferraris, vº *Capitulum*, art. 3, nº 11.)

2416.—II. Potest Capitulum etiam pœnalia Statuta condere, modò pœnæ non excedant jurisdictionem merè œconomicam seu impropriè dictam.

Primum constat ex consensu canonistarum, qui in hoc Rotam sequuntur : « Quinimò, inquit Rota, submotâ consue-
» tudine jurisdictionem tribuente, Capitulum adhuc habe-
» ret juris assistentiam pro... animadversione in Canonicos
» refractarios : potest etenim Capitulum, etsi nullam habeat
» jurisdictionem, particularia sibi condere Statuta pro sui
» regimine... Itidemque potest inobservantes, perturbatores
» et contumaces (Canonicos aut alios ministros inferiores)
» compescere (hoc tamen intelligendum quando Episcopus
» non interest choro. Bouix, *ib.*, p. 449) per substrac-
» tionem fructuum et distributionum, seu vocis in Capi-
» tulo ad tempus; non per viam contentiosæ jurisdictionis
» et in formâ judicii, sed per modum domesticæ disciplinæ:
» quemadmodum sinè usu et exercitio jurisdictionis pater
» castigat filium, magister discipulum, etc. » (Decis. 22,

coram Falconerio 10 jan. 1721, in causâ *Barchinonensi*, ap. Bouix, *De Capit.*, p. 411.

Nota tamen quòd juxta Monacelli citantem Barbosam, Fagnanum et S. C. Concil. (in *Pisanâ*, 25 jun. 1695), Canonici nequeant à Capitulo voce privari, neque ad officia inhabiles declarari (Apud Bouix, *ib.*, p. 450).

2417. Secundum constat ex communi DD. sententiâ : licet enim plures jurisdictionem propriè dictam Capitulo tribuant, tamen, quoad pœnas, ita limitant ut non magis valeat quàm si esset merè œconomica seu impropriè dicta. Constat item ex verbis modò allatis tribunalis Rotæ.

2418.—III. Administratio Ecclesiæ Cathedralis ad Episcopum simul et Capitulum pertinet : ita ut ad utrumque spectet Statuta de eâ condere, nec Capitulum sinè approbatione Episcopi, nec Episcopus sinè Capituli consensu possit validè circa eam statuere. Ita Rota : « Ex juris dispositione et » receptissimâ DD. sententiâ (plures auctores ibidem citan- » tur), statuitur regimen et administrationem Ecclesiæ » Cathedralis pertinere ad Capitulum cumulativè cum » Episcopo... prout cumulativè etiam pertinere adminis- » trationem Capellaniarum Cathedralis..; quamobrem fun- » dationes missarum et anniversariorum.., cùm respiciant » administrationem... ecclesiæ, recipi nequeunt per Digni- » tates cum solo consensu Episcopi...; nam quoties requi- » ritur consensus duorum, sufficiens non est consensus » unius, sed amborum intervenire necesse est. »—(Decis. 1620, in *Gerund.*, 15 decemb. 1702.)

Verba verò Conc. Trid. (sess. 22, cap. 3), *quòd Episcopi, etiam tanquam delegati Apostolici, possint præscribere formam servitii choralis*, non excludunt Capituli concursum; secus falsæ essent decisiones Rotæ et *receptissima* DD. sententia.

2419.—IV. Statim ac erectum fuit Capitulum, ad ipsum de jure communi spectat sibi condere Statuta. Statutorum verò correctio et mutatio ad eos pertinet ad quos de jure communi pertinuit confectio. Ea quæ Capitulum potuit statuere solum, ab ipso solo erunt corrigenda et mutanda;ècontra quæ solus condere potuit Episcopus, poterunt ab ipso solo

abrogari et corrigi; ea tandem quæ utriusque consensu debuerunt statui, non poterunt reformari nisi utriusque consensione. (Vide Bouix, *ib.*, p. 433.)

2420. Si autem Statuta ab Episcopo vel à S. Pontifice confirmentur, adhuc possunt à Capitulo immutari, modò de iis sint rebus quæ jure ad Capitulum pertinent, et modò confirmatio talis non sit ut Statuta evaserint lex pontificia aut episcopalis, ex cap. *Cùm accessissent* 8, *de Constitut.* Vide *Prælect. S. Sulpit.*, n° 396.

2421. — V. Statuta à solo Capitulo legitimè confecta, et à fortiori si ab Episcopo vel à S. Sede fuerint approbata, singulos Capitulares et eorum successores obligant, et transgressores à Capitulo puniri possunt; sic sentit etiam S. Congr. Conc.; legitur enim in *Thesaur. resol.* anni 1829, p. 200 (apud Bouix, p. 433): « Canonici in comitiis coacti » contrariam antiquæ consuetudini subscripserunt legem; » ac propterea, velint nolint, eidem parere obstringuntur: » siquidem consuetudines et statuta Collegii peculiare » constituunt jus ab omnibus de gremio ejusdem Collegii » inviolabiliter observandum. » — Ita etiam Rota: « Statutum... semper religiosè servandum per quoscumque » de gremio... Capituli existentes... » (Decis. 101, n° 2, tom. 2, coram Ansaldo.) Vide alias ejusdem Rotæ decis., apud D. Bouix (*De Capit.*, p. 433, etc.).

A Ferraris quidem (v° *Capitulum*, art. 3, n° 2) citatur decisio S. Congr. Conc., 31 mart. 1667, quæ contrarium videtur asserere; sed intelligi potest de pœnis excedentibus jurisdictionem merè œconomicam, proinde absolutè potest conciliari cum supradictâ à D. Bouix citatâ.

2422. Unde deserendi videntur quidam qui putaverunt Statutis non ligari nisi Capitulares qui illa condiderunt, non verò eorum successores, nisi ipsi observationem promiserint aut juraverint.

2423. Exhinc concludi etiam posse videtur jurisdictionem propriè dictam, quamvis valde restrictam, fuisse Capitulo datam, cùm aliter explicari non posset quomodo canonici ligari valerent Statutis suorum prædecessorum. V. ap. D. Bouix (*De Capit.*, p. 435 et 436). — Hoc tamen à quibusdam non

admittitur; et quidem sat probabiliter juxta Suarez (*De Legib.*, lib. 4, cap. 6, n[is] 11 et 12), qui nihilominus nostram sententiam habet ut valde probabilem. — *Certam* autem eam habet Rota : « De jure communi potestas ferendi leges » seu Statuta condendi super rebus et negotiis ad Eccle- » siam pertinentibus et pro ipsius tranquillo regimine, » residet penes Capitulum, cui tanquam corpori mystico » Pontifices contulerunt jurisdictionem. » Hanc tamen dubiam reputat auctor *Prælect. S. Sulpitii*, n° 361.

PUNCTUM II.

QUODNAM SIT JUS CAPITULI CONDENDI STATUTA IN GALLIA A TEMPORE CONCORDATORUM 1801 ET 1822.

2424. Per Bullam *Qui Christi Domini* 29 nov. 1801, § 9, Cardinalis Caprara acceperat à Pio VII *amplissimas facultates, etiam subdelegandas, necessarias atque opportunas ad probanda Statuta respectivorum Capitulorum, ad concedendum eisdem choralia insignia quæ eis convenire arbitrabitur... ac generatim ad ea omnia efficienda*, inquit Pontifex, *quæ per nos ipsos effici possent.*

Porrò consequenter ad præfata sic statuit Cardin. Legatus in suo Decreto 9 apr. 1802 : « Hujus facultatis vigore » (nempe subdelegandi, ut modò vidimus), « Archiepiscopis » et Episcopis Galliarum *primò futuris* facultatem conce- » dimus ut posteaquam canonicè instituti Ecclesiarum » suarum regimen actu consecuti erunt, Capitulum in » Metropolitanis et Cathedralibus respectivè Ecclesiis suis » erigere ipsi possint, juxta formam à Sacris canonibus » Conciliisque præscriptam, et ab Ecclesià huc usque ser- » vatam, cum eo Dignitatum et Canonicorum numero quem, » attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt.

» ... Iisdem Archiepiscopis et Episcopis primò futuris » cura erit, ut quæ pertinent ad eorumdem Capitulorum » sic erigendorum prosperum et felicem statum, regimen, » gubernium, directionem, divinorum officiorum celebra- » tionem, cæremonias ac ritus in iisdem ecclesiis, earum- » que choro servandas, ac etiam quælibet per eorumdem » Capitulorum Dignitates et Canonicos obeunda munia,

» pro eorumdem Archiepiscoporum et Episcoporum arbi-
» trio et prudentiâ, definiantur et constituantur, relictâ
» tamen eorum Successoribus Statutorum illorum respec-
» tivorum immutandorum facultate, requisito priùs Capi-
» tulorum consilio, si attentis circumstantiis id utile et
» opportunum judicaverint. In ipsis autem Statutis vel
» condendis vel immutandis, religiosa sacrorum canonum
» observantia retineatur, usuumque ac consuetudinum
» laudabilium antea vigentium, præsentibus circumstan-
» tiis accommodatorum ratio habeatur. Quam quidem Ca-
» pitulorum erectionem cæteraque omnia ad ipsa Capitula
» pertinentia, singuli Archiepiscopi et Episcopi cùm pri-
» mùm perfecerint, erectionis hujusmodi omniumque
» hanc in rem constitutorum acta, authenticâ formâ exa-
» rata, nobis reddenda curent, ut ad perfectam Apostolica-
» rum Litterarum executionem huic nostro Decreto inserere
» possimus. »

2425. Ex quibus manifestè patet primos post Concordatum 1801 institutos Episcopos accepisse potestatem Statuta Capitularia condendi priscis, in quantum poterat, conformia; eorum vero saltem primos successores habuisse jus illa statuta mutandi, requisito priùs Capituli *consilio*, non verò *consensu*.

2426. Putat D. Bouix primos duntaxat successores Episcoporum post Concordatum 1801 institutorum præditos fuisse privilegio mutandi statuta à prædecessore condita, cum solo consilio Capituli et sinè ejus consensu, etiam in iis in quibus de jure communi ille consensus requiritur : nam, inquit, hoc privilegium est derogatio juri communi facta : atqui omnis derogatio facta juri communi strictè est interpretanda : ergo vox *Successoribus* à Cardinali Legato adhibita est strictè interpretanda, proinde non de omnibus Successoribus in perpetuum, sed de Successoribus tantùm immediatis, prout reverà strictè hæc vox commodè intelligi potest. (Vide D. Bouix, *De Capit.*, p. 441.)

Juxta hanc sententiam, Capitula vi Concordati anno 1801 instituta, juri communi, quoad potestatem statuendi et mutandi statuta capitularia, hodie subjiciuntur.

2427. Anno autem 1817, novum Concordatum initum fuit inter Sedem Apostolicam et Gubernium Galliæ, vi cujus plures Sedes Episcopales et Archiepiscopales jam erectis adjiciendæ erant : porrò in Bullâ *Commissa divinitùs* 25 julii ejusdem anni, Pius VII præscripserat ut Episcopi curarent à singulis Canonicorum Collegiis erigendis Statuta Capitularia condi, à seipsis posteà sancienda et probanda. Sed quamvis non fuerit derogatum huic Concordato quoad Capitulorum erectionem, attamen ut *expeditiùs* procederetur, Archiepiscopi et Episcopi mandatum acceperunt per Bullam *Paternæ pietatis sollicitudo*, 6 octobr. 1822, *decernendi per semetipsos Statuta pro singulis Canonicorum Collegiis, et ab illis observari curandi; et cùm primùm Capitulorum formam et erectionem perfecerint, omnium hanc in rem gestorum documentum ad S. Sedem mittendi*. Nihil autem decrevit S. Pontifex quoad Successores Episcoporum vi Concordati 1822 instituendorum : proindè in Ecclesiis tunc erectis Capitulorum statuta supprimi, augeri et mutari nequeunt nisi juxta jus commune. « Unde generatim » tenendum videtur hodie, inquit D. Bouix (*ibid.*, p. 443), » Episcopos et Capitula Galliæ (tam anno 1802 quàm » anno 1822 instituta) respectivè sub jure communi cons- » titui. In expendendo autem jure communi, habenda est » ratio Statutorum existentium, quatenus ab Episcopo, » aut etiam... à Sanctâ Sede approbatorum, et legitimas » Ecclesiæ consuetudines constituentium : aliter enim, ut » vidimus, jus commune statuit circa hujusmodi Statuta, » ac circa illa quæ solâ Capituli auctoritate, absque Epis- » copi consensu, confecta fuissent. »

2428. Concilia tamen Provincialia Suessionense et Rhedonense anni 1849 satis clarè enuntiant verba Cardinalis Caprara de *omnibus successoribus* esse intelligenda. Prior enim Synodus mandat ut Episcopi Provinciæ reforment Statuta Capituli *juxta normam sacris canonibus præscriptam, requisito priùs ejusdem Capituli consilio, ut fert rescriptum à Cardinali Caprara datum*. (Ita tit. 14, c. 3, p. 109.)

Concilium verò Rhedonense vult Statuta Capitulorum, vi delegationis Card. Caprara condita, esse observanda,

quoadusque Episcopus virtute decreti præcitati... requisito priùs Capituli consilio immutaverit (Decret. 5, p. 31 et 32). Vide *Prælect. S. Sulpit.*, n[is] 362-364.

Nonnisi à S. Sede benè haberi potest solutio præfati dubii.

§ III.

De jure Capituli quoad Synodum et synodalia Statuta.

2429. « Licere Episcopo, ad eumque pertinere cogere » Synodum diœcesanam absque consensu et consilio Ca- » pituli. » Inquit S. Congregatio Concili, in *Oriolensi*, 17 maii 1599. Vide tamen supra (949-953 et 2398) quid dixerimus de Statutis et Constitutionibus in Synodo condendis.

2430. Sufficiat hîc referre verba S. Congr. Conc. in suis litteris ad Patriarcham Venetianum die 27 apr. 1592 : « S. Congr... respondit Amplitudinem Tuam in Synodo » diœcesanâ facere posse Constitutiones absque consensu » et approbatione cleri : debere tamen requirere *consilium* » Capituli, licet illud non teneatur sequi nisi in casibus à » jure expressis, non obstante quòd ex formâ *Romani* » *Pontificalis* in celebrandâ diœcesanâ et provinciali Sy- » nodo expressè habeatur ut constitutiones in Synodo pu- » blicandæ, à Patribus per verbum *placet* confirmentur. »

2431. Dici insuper potest quoad verbum *placet*, rubricam hanc de Concilio provinciali, non de Synodo diœcesanâ esse intelligendam : de utrisque reverà ibi tractat *Pontificale*, sed eorum, quæ ibidem dicuntur, quædam ad priùs, alia ad posteriorem spectant. (V. Bouix, *De Capitulis*, p. 446.).

2432. « Etiam totâ dissentiente Synodo, validæ sunt » Constitutiones Episcopi, et condi et publicari possunt. » (Scarfantonius, ap. Bouix, p. 446.)

Nec impediri aut retardari valet celebratio Synodi per quamcumque appellationem, ut decidit S. Cong. Conc. (27 martii 1632, in *Oriolensi*, ibid.).

2433. « Decreta tamen seu Constitutiones Synodales,

» antequam usu recipiantur, debent ostendi Capitulo et
» aliis interessatis, eisque duorum mensium præfigi ter-
» minus, ut si se senserint gravatos, recurrere possint ad
» ipsum Episcopum vel ad Sedem Apostolicam. S. C.
» Episcop., in *Fundanâ*, 4 decemb. 1592. » Ferraris, v° *Synodus*, n° 44.

Vide alia circa Synodum diœcesanam supra (937-946).

2434. Hæc de Synodo diœcesanâ : quid verò nunc de Provinciali? — Capitulum Cathedrale (non verò Collegiale) jus habet ut ad illam vocetur, licet interesse non teneatur : « Ad
» Concilia Provincialia vocari debent, et admitti cathedra-
» lium Ecclesiarum Capitula. » (Cap. *Etsi membra* 10, *de his quæ fiunt à Prælatis*, etc., *summarium*.) — Potest Capitulum interesse per procuratorem ; nec habet in eo nisi votum consultativum, Sede plenâ : Sede autem vacante, ipsum, vel Vicarius Capitularis votum decisivum habet. Vide D. Bouix, *Concile Provincial*, p. 157, 162, 170, etc.

§ IV.

De jure Capituli sese congregandi absque licentiâ Episcopi.

2435. Quidquid opinata fuerit Rota circa præsentem quæstionem, de quo vide D. Bouix (*De Capitul.*, p. 454, etc.), standum potius videtur doctrinæ S. C. Conc. quæ sic decrevit 9 maii 1637 : « Congregatio Concilii censuit posse
» Canonicos convocare Capitulum absque Episcopo sinè
» illius licentiâ, nisi agatur de rebus Mensæ Episcopalis. »
Nec potest Episcopus hujusmodi consuetudinem immutare, ex Decretis à Barbosa et aliis relatis (ap. D. Bouix, *De Capitul.*, p. 457) : ratio est, inquit Scarfantonius (*ibid.*), quia licentia Episcopi requiritur duntaxat in casu quo se coadunare quærunt personæ ecclesiasticæ quæ Collegium non constituunt ; et hujusmodi personæ possent etiam aliquando se congregare absque licentiâ, si ageretur, v. g., de negotio tangente interesse ipsius Episcopi, veluti de promovendâ lite contra ipsum, casu quo lis hujusmodi legitimè intentari posset. Vide Scarfantonium, ap. D. Bouix (*ib.*, p. 460).

2436. Circa facultatem Capituli se coadunandi absque licentiâ Episcopi, duo excipiuntur casus : 1° Si adesset consuetudo non sese congregrandi nisi cum licentiâ Episcopi, prout censuit eadem S. C. Conc. (in *Milevit.*, 2 jul. 1707). Sed in hoc casu non potest prætendere Episcopus ut Capitulum ipsi declaret de quibus negotiis sit agendum, et dicunt id fuisse pariter decisum à S. Congr. Conc. Barbosa et Pignatelli, ap. D. Bouix (*ib.*, p. 456 et 457).

2° Non obstantibus prædictis, potest Episcopus, ex gravi et rationabili causâ, aliquando suspendere aut prohibere convocationem Capituli. Ita S. C. Conc., in *Lauret.*, 6 febr. 1700.

Diximus supra (2300) posse Episcopum exigere ut sibi exhibeatur liber resolutionum, vel illarum copia, ut ait auctor *Prælect. S. Sulpit.*, n° 387.

§ V.

De jure Capituli administrandi bona ad beneficiatos seu Capellanos Cathedralis spectantia.

2437. Ad Capitulum, non verò ad beneficiatos et Capellanos pertinet administratio eleemosynarum, anniversariorum, aliarumque piarum oblationum Ecclesiæ Cathedralis, potissimùm illarum quæ pendent à jure parochiali : quia Capitulis inest cura habitualis. Et hoc, etiamsi prædicti Capellani iisdem obventionibus participent. Sed iisdem Capitulum administrator rationem reddere tenetur de fideli suâ administratione; nec potest sinè concursu auctoritatis episcopalis immutare antiquas consuetudines quoad distributionem hujusmodi obventionum (Cap. unic., *de cleric. non resid.*, in 6°, et Rota). Nec etiam potest, seclusâ consuetudine, vel statuto, aut speciali dispositione testatoris in contrarium, capellanos aliosve clericos choro interessentes privare emolumentis anniversariorum, quia præsumitur testator voluisse iis participare omnes qui assistentiam præstant. Vide Scarfantonium, ap. D. Bouix, *ibid.*, p. 461, etc.

§ VI.

De jure et obligatione Capituli admonendi Episcopum si quando forte à recto tramite aberraret.

2438. Juxta doctrinam catholicam tenentur omnes, si casus exigat, ad correctionem fraternam : ad hoc etiam aliquando teneri possunt inferiores erga superiores, ut constat exemplo S. Pauli erga S. Petrum. Vide alias auctoritates ap. D. Bouix (*De Capitul.*, p. 463-469) : certum est admonitionem debere tunc fieri cum eâ reverentiâ et humilitate quæ et inferiorem admonentem et admoniti Superioris dignitatem decent. Unde Apostolus ait : « Seniorem ne increpaveris, sed obsécra ut patrem. » Porrò si hæc vera sint de quibuscumque inferioribus, à fortiori indubia esse debent de Capitulo : cùm ad id institutum fuerit ut sit *Consilium atque Senatus* Episcopi, et debeat efformare quasi unum corpus cum eo. Urgeret autem hæc obligatio, et quidem sub gravi, si (quod Deus avertat) Episcopus moliretur aliquid contra fidem aut Ecclesiæ jura; imò tunc teneretur ea ad S. Sedis notitiam deferre.

2439. A Capitulo admoneri etiam deberet Episcopus si residentiæ legem observare negligeret. « Tunc, inquit » Fagnanus, Capitulum, quamvis non possit citare pro- » prium Prælatum, vel in eum animadvertere, potest » tamen eum requirere vel monere ut redeat ad residen- » tiam...; et ex hujusmodi admonitione Episcopus videtur » constitui in contumaciâ non residendi et habere Eccle- » siam pro derelictâ, ut propterea meritò illâ à S. Pontifice » spoliari possit. » (Bouix, *De Capit.*, p. 469.) — Vide dicta supra (549).

§ VII.

De jure Capituli quoad Seminarium.

2440. De eo sufficienter diximus supra (924, etc.).

§ VIII.

Utrum Capitulum jus habeat aliquid exigendi à noviter receptis.

2441. Id prohibuerunt Concil. Trid. (sess. 24, cap. 14) et post illud S. Pius V, in Bullâ *Durum nimis* et quidem sub gravissimis pœnis.

Non tamen sub hâc prohibitione comprehenduntur consuetudines et statuta vi quorum aliquid exigeretur, non in exigentium utilitatem, nec pro ingressu et admissione, sed ad aliquos usus pios.

« S. Synodus, inquit Concilium, mandat Episcopis ut » quæcumque... *in usus pios* non convertuntur, atque » ingressus eos qui simoniæ labis aut sordidæ avaritiæ » suspicionem habent, fieri non permittant. »

« Item licita sunt... (statuta) quæ mandant et disponunt » quòd noviter provisi... antequam de massâ... participent, » per aliquod temporis spatium gratis Ecclesiæ deservire » debeant, vel quòd fructus primi anni sint hæredis Cano- » nici defuncti. » Ita Monacelli, ex pluribus declarat. S. Congr. Conc. (ap. D. Bouix, *ib.*, p. 504).

2442. « Nihil tamen, inquit idem Monacelli (*ibidem*, » p. 503), detur Notariis, campanariis et aliis ministris et » officialibus... » Vide etiam Ferraris, v° *Canonicatus*, art. 2, n° 42.

« ... Neque servanda est consuetudo quâ introductum » fuit quòd Canonici sive alii presbyteri de ecclesiâ pran- » dium habere debeant. Et ideo S. Congr. Episc. et Regul. » (in *Caputaquensi*, 17 martii 1692) talem consuetudinem » abolendam esse censuit. » Ita etiam S. Congr. Concil., 3 sept. 1729 (juxta Ferrar. *ib.* n° 35, sed non ita absolute hoc vetitum fuit a S. C., juxta Ben. XIV. *De Syn.* lib. 11, c. 6, in fine.

§ IX.

Prærogativæ Canonicorum quoad habitum.

2443. Semper Canonici fruiti videntur fuisse prærogativâ deferendi in choro habitum honorabiliorem quo à

cæteris de clero distinguerentur : quædam de hoc videri possunt monumenta ap. D. Bouix, *De Capitul.*, p. 505.

Habitus quibus Canonici à cæteris clericis communiùs distingui solent, sunt præsertim Rochettum, Mozzetta, Cappa et Almutia.

2444. — 1° Rochettum est vestis linea cum arctis usque ad manum manicis : iis autem qui ejus usum habent præscribitur ut, in celebrandâ missâ, supra hujusmodi vestem, amictum et alias vestes sacras induant, à quo prohibentur cæteri quibus de jure non competit.

Dicit Nardi (ap. Bouix, *ib.*, p. 507) rochettum esse signum jurisdictionis; postea addit : «In Galliâ minoribus » sacristiarum clericis permittitur rochettum : nescio an » antiquus sit ille singularis usus ; sed fatendum quosdam » in eà regione abusus à sat longo tempore invaluisse : » cùm in Concilio Narbonensi, anni 1551, can. 41, opus » fuerit sacerdotibus ordinariis rochettum prohibere ; et » in Aquensi, anni 1585, in memoriam revocetur rochet- » tum esse vestem Episcoporum et Canonicorum propriam. » Exstat Decretum S. Congr. Rit. ab Urbano VIII confir- » matum... sic statuens : *Prohibetur usus rochetti, exceptis* » *tamen quibus de jure competit :* et præter hoc, etc. »

2445.—2° Cappa sic vocata est, inquit Bouix (*ib.*, p. 509), à capite cui imponitur, vel quia corpus capit et ambit.

2446. — 3° Mozzetta, derivat a voce italâ *mozza* cappam significante, et est genus vestium caput et humeros tegens.

4° Almutium seu almutia est hodie indumentum pelliceum quod super unam scapulam, vel etiam super brachium sinistrum gestatur. Vide Bouix, *ibid.*, p. 510; Lequeux, n° 593, in *notâ.*

2447. Canonici non possunt deferre præfata insignia absque speciali Indulto Sedis Apostolicæ.

De Cappâ expressè declaratum fuit à S. Congreg. Rit., anno 1604 (in *Cluensi*) : « Nec Canonici nec alii Cappam » deferre possint sinè expressâ et speciali licentiâ Sedis » Apostolicæ. »

De aliis insignibus eadem S. Congr. (ap. Gardell., n° 3552) sic rescripsit : « servandam formam præcisam et colo-

» rem præcisum, prout in Indulto Apostolico exprimitur.» — Idem insuper supponitur in pluribus decisionibus infra referendis; et uti certum haberi videtur apud Canonistas quorum plures citantur à D. Bouix (*ibid.*, p. 511) : sufficiat referre Scarfantonium, qui asserit « Episcopos in hâc » materiâ... insignium in choro per Canonicos gestan- » dorum, ac etiam circa illorum colores, nullam prorsus » auctoritatem habere, cùm omnia Papæ sint reservata. »

2448. In erectione Capitulorum, S. Pontifex per seipsum aut delegatum insignia Canonicorum determinare solet; et Pius VII, in Bullâ Concordati confirmatoriâ, potestatem fecerat Cardinali Legato hujusmodi insignia concedendi, eamque iste Legatus subdelegavit Episcopis primò futuris.

Duo hic quæruntur :

2449. — 1° An liceat Canonicis insignia choralia extra propriam Ecclesiam gestare.

2° An liceat eis illa adhibere in sacramentorum administratione, saltem intra propriam ecclesiam?

Plures referuntur à D. Bouix (*ib.*, p. 512-514) decisiones S. Rit. Congr. quæ ad utramque quæstionem negativè respondent : inter eas citatur decisio 31 maii 1817 quæ à Pio VII, eodem anno, fuit approbata.

Re quidem verâ, eadem S. Congreg. interrogata, anno 1832 : « Utrum Canonicus qui... gaudet usu rochetti et » mozzettæ etiam coram Pontifice, illis uti valeat in sacra- » mentorum administratione et verbum Dei annuntiando? » S. Congr. censuit : *Negativè ad primam partem; affirma-* » *tivè ad secundam* (videlicet quoad prædicationem), *sed* » *in propriâ tantùm Ecclesiâ, vel in aliis ecclesiis ubi adest* » *usus deferendi cappam vel mozzettam, juxta decretum in* » unâ *dubiorum diei* 31 maii 1817 » (ap. Gardell., n° 4534). Hoc tamen decretum 31 maii 1817 non permittit usum cappæ in *aliis Ecclesiis*, sed in propriâ tantùm.

Sed contra præfatam decisionem 17 aprilis 1832, facere videtur nova decisio S. Rit. Congreg. 16 apr. 1861 ab *Analectis* relata (mai et juin 1861, col. 788) : consulta enim : «...12° An... *vi consuetudinis* possit unusquisque Ca- » nonicus *singillatim* uti *cappâ et mozzettâ*, tum extra Me-

» tropolitanam, tum extra diœcesim, » rescripsit : « ad
» 12m *Negativè* et (juxta) decretum generale diei 31 maii
» 1817. »

Non videtur ergo tolerandus usus de quo André (*Cours de droit canon*, vº *Chanoines honoraires*) ait : « L'usage en
» France est qu'un chanoine peut porter ses insignes dans
» quelque diocèse que ce soit, toutes les fois qu'il est au-
» torisé à y prêcher. Le chanoine prêche toujours avec sa
» mozzette. » Sed cf. App. IX et XII.

2450. Cæterùm, in ordinatione presbyterorum, Canonici adstantes possunt accipere stolam supra *Cappam* et *Mozzettam* pro impositione manuum, quin superpelliceum accipiant. Ita decis. à S. Rit. Congr., 12 sept. 1837, ad 4m. Vide *Analecta*, 23e livr., col. 351 et 355.

§ X.

Prærogativæ Canonicorum quoad præcedentiam.

2451. Si Canonici sint caractere Episcopali insigniti, vide dicta supra (1084, 1087); quoad cæteros Canonicos sufficere videntur quæ diximus (631).

Addere tamen liceat quòd « 1º Canonici stare non debeant
» ad nonam lectionem à Celebrante Hebdomadario cantari
» solitam, etiamsi is sit pluviali indutus, cùm hujusmodi
» obsequium præstandum solùm sit dum cantatur ab
» Episcopo. » S. Congr. Rit. (Gardell., nº 1829).

2º Canonici eam partem chori tenentes ubi intonatur antiphona, omnes surgere debent. S. R. Congr. (ap. Gardellini, nº 3448).

2452. — 3º S. Congregationi Rit. propositum fuit sequens dubium : « An Canonico vel Dignitati vesperas infra
» annum cantanti debeatur pulvinar et tapete ante ipsum.
» S. Congr. censuit respondendum : *Absente Episcopo*,
» juxta *Cæremoniale*, lib. 2, c. 3, debetur pulvinar et
» tapete pro Hebdomadario Canonico. » (Gardell., nº 3448.)

2453. — 4º Canonicis et Dignitatibus non licet habere in celebratione missæ privatæ ministrum cottà indutum,

qui Missale sustineat, folia vertat, indicet legenda, detegat calicem, vinum et aquam ante Offertorium infundat. (Gardellini, 3777, 3791.)

CAPUT III.

DE REGULARIBUS.

2454. Dicemus 1° de Statûs religiosi naturâ et origine; 2° de canonicâ normâ novas erigendi religiosorum familias, novosque earumdem conventus; 3° de conditione canonicâ regularium vi dispersorum et conditione civili eorum in Galliâ; 4° de normâ canonicâ Statum religiosum ingrediendi; 5° de religiosorum obligationibus; 6° de eorumdem regimine; 7° de religiosis statum mutantibus; 8° de variis speciebus Ordinum religiosorum.

ART. I.

DE STATUS RELIGIOSI NATURA, ORIGINE ET INDEFECTIBILITATE.

§ I.

De statûs religiosi naturâ.

Ut statûs religiosi natura benè intelligatur, dicendum est: 1° de essentiâ Statûs religiosi; 2° de solemnitate votorum religiosorum.

PUNCTUM I.

DE ESSENTIA STATUS RELIGIOSI.

2455. — I. Status religiosus in genere potest definiri: *Status fidelium ad divinæ charitatis perfectionem tendentium.*

Dicit. 1° *Status:* seu vivendi modus qui stabilitatem habeat ex causâ quæ mutationem vel impossibilem vel saltem difficilem reddat. Hanc mutationem impedit votum in Religione emissum.

Dicit. 2° *Fidelium :* nam religiosi nec ad hierarchiam jurisdictionis nec ad hierarchiam *ordinis* necessariò pertinent; sed sunt, vel possunt esse duntaxat fideles in Ecclesiâ.

2456. Dicit. 3° *Ad divinæ charitatis perfectionem :* perfectio enim Christiana qualis certè debet esse ea ad quam tendere debent religiosi, supponit necessariò charitatem, sinè quâ in animâ necessariò residet peccatum; porrò ad perfectionem non sufficit charitas essentialis, sed requiritur peculiaris quidam gradus superans communem charitatem : qui enim à peccato mortali immunes duntaxat vivunt, non ideo vocantur perfecti, sed ècontra imperfecti : perfecti tantùm habentur qui talem charitatem habent ut proximè sint dispositi ad agendum facilè et ordinariè juxta Dei præcepta et consilia.

2457. Ad perfectionem ergo requiritur non solùm præceptorum observatio, sed etiam consiliorum, non omnium quidem, sed saltem quorumdam; alioquin vita foret tantùm communis, ut patet; quippe nihil aliud esset quàm exemptio à peccatis, seu observatio præceptorum. V. Bouix, *De Regular.*, tom. 1, p. 11, 15, 35.

2458. Dicitur 4° *Tendentium :* Quia minimè necessarium est ut religiosi jam acquisiverint perfectionem prout tenentur promoti ad Episcopatum, sed sufficit quòd ad illam tendant per varia media quæ religiosis proponi solent. (Bouix, *ibid.*, p. 15-20.)

Unde, juxta S. Thomam (2, 2, q. 186, art. 2), non transgreditur suam professionem religiosus qui non est perfectus; sed solùm si contemnat tendere ad perfectionem : ut si apud se statuat manere in statu mediocritatis in quo est, aut dicat : Nolo ad perfectionem tendere, vel etiam si contentus observationis præceptorum sub gravi obligantium, proponat transgredi ea quæ obligant sub levi, vel sub pœnâ tantùm. Vide Billuart, *De Stat. relig.*, diss. 1, art. 2. dicit. 1°; — S. Liguor., lib. 4, n° 10.

2459. — II. Duplex distinguitur communiter Status religiosus : *incompletus* nempe seu minus strictè dictus, et *completus* seu strictè sumptus.

Incompletus est Status religiosus modò definitus; *completus* verò est: « *Fidelium ad divinæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis et obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesiâ approbatus.* » Ita, ap. S. Liguor. (lib. 4, n° 1). Quædam verba tantùm in hâc definitione supersunt explicanda.

2460. Dicitur 1° *Editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis et obedientiæ:* quia, juxta omnes canonistas, non intelligitur Status religiosus completus nisi in eo tendatur complelè ad acquisitionem perfectionis; sed ut completè tendatur ad hanc acquisitionem, requiritur ut exerceantur tria consilia evangelica, videlicet paupertas, castitas et obedientia; per trium enim illorum praxim removentur omnia quæ solent homines ab amore Dei avertere et creaturæ devincire: bona externa nempe, delectationes sensibiles et adhæsio proprio sensui et voluntati; eximitur etiam vovens ab iis sollicitudinibus quæ mentem perturbant, cor dividunt et impediunt ad perfectionem devenire: administratione videlicet bonorum, familiæ curâ et propriarum actionum dispositione et electione. Ergo edi debent vota circa hæc tria consilia: non sufficit enim ut exerceantur sinè voto, quia tunc status non esset permanens; sed sufficit quòd hæc tria voveantur: quia etsi, præter ea, sint multa alia consilia, attamen per horum trium exercitium, quâdam morali necessitudine, cætera etiam facilè et sæpe exercentur: v. g., per votum castitatis non tantùm homo excitatur ad abstinendum à venereis, sed etiam ab aliis sensibilibus intemperantiæ, v. g., luxûs, etc., delectationibus, cùm aliàs in tuto non esset castitas. Item per votum paupertatis et obedientiæ, non solùm ab amore periculoso divitiarum et independentiæ, sed à vano appetitu honoris, supereminentiæ et dignitatum etiam præservatur, etc. (Vide Bouix, *De Regul.*, tom. 1, p. 37-42.)

2461. Suarez tamen putat adesse essentiam Statûs religiosi proprié dicti cum solius voto castitatis conjugalis, ita ut remaneat Status religiosus completus, casu quo S. Pontifex aliquem dispensaret ex parte a voto solemni castitatis

cum facultate utendi matrimonio jam contracto, vel contrahendi futurum matrimonium. Vide *De Relig.*, tom. 3, lib. 9, cap. 26. Sed huic doctrinæ communiùs adversantur DD. Vide ap. D. Bouix, *De Regul.*, tom. 2, p. 484-487.

2462. Dicitur 2° *Stabilis in communi vivendi modus:* quamvis enim ad essentiam Statûs religiosi non pertineat ut in eo existat vita communis : nam olim, tertio, quarto etc., sæculis, veri exstitêre religiosi qui vitam eremiticam ducebant; attamen hodie requiritur vita communis; « et » patet ex cap. finali, *de religiosis domibus*, et cap. unico, » eodem titulo, in 6°, ubi statuitur vota religiosa... debere » fieri in Religione approbatâ à Sede Apostolicâ; atqui » secundùm præsentem Ecclesiæ consuetudinem, Sedes » Apostolica non approbat nisi Statum cœnobiticum, seu » in communi viventium sub uno Capite... et sub unâ re» gulâ approbatâ... » Ergo, etc. — Vide Schmalzgrueber (apud Bouix, *De Regul.*, tom. 1, p. 55).

2463. P. Gautrelet tamen opinari videtur posse adhuc existere eremitas, et habendos fore ut veros religiosos si tribus votis se devincirent in perpetuum, sub obedientiâ confessoris (Vide *Traité de l'état relig.*, tom. 4, p. 134): sed ad hoc necessarium esset ut hujusmodi Status ab Ecclesiâ approbaretur et proinde ut Ecclesia à suâ praxi non approbandi nisi Statum cœnobiticum recederet.

2464. Dicitur 3° *Ab Ecclesiâ approbatus:* hæc autem approbatio duo importat: judicium de honestate et utilitate talis Ordinis, et potestatem Superioribus datam recipiendi postulantes ad habitum et professionem; quamvis ex se maximè conveniens sit quòd Ordo religiosus expressè ab Ecclesiâ approbetur, quippe sic securiùs amplecti potest à fidelibus, tamen de essentiâ Statûs religiosi esse non videtur talis approbatio, cùm sinè eâ possint in eo adesse omnia quibus essentialiter constituitur Status religiosus: nempe observatio trium consiliorum evangelicorum, voto firmata, *cum traditione suî Deo factâ et ab ipso acceptatâ*, ad quam acceptationem faciendam non essentialiter requiritur ut quis ab Ecclesiâ deputetur: acceptare sanè potest, Dei nomine, alius ab ipsâ non delegatus, modò Ecclesia

contrarium non exigat, prout certè exigere potest, et reverà hodie de facto exigit, ut infra dicturi sumus, loquendo de Professione. (Vide Bouix, *De Regular.*, t. 1, p. 58-60, 465.)

2465. Quamvis in se non sit de essentiâ Statûs religiosi quòd ab Ecclesiâ approbetur, attamen de ipsius essentiâ est ut ab ipsâ non prohibeatur : siquidem per talem prohibitionem status qualiscumque fit illicitus, nec ampliùs potest esse aptus ad conducendum ad perfectionem charitatis; porrò hodie eo ipso quòd non fuerit approbatum ab Ecclesiâ religiosum Institutum, haberi debet ut ab ipsâ prohibitum, ut infra dicturi sumus, et constat cap. *Ne nimia* 9, *de religiosis domib.*, ex Conc. Lateran. IV, et cap. *Religionem* ejusdem tit., ex Conc. Lugdun. II.

2466. Religiosus Ordo debet ergo hodie esse ab Ecclesiâ approbatus; consuetudine tamen, introductum fuit ut solâ approbatione Episcopi instituerentur variæ Congregationes, quæ saltem ab Ecclesiâ tolerantur, ut dicemus infra, et quæ proinde haberi possunt ut continentes quæ ad essentiam Statûs religiosi spectant. Vide D. Bouix, *De Regularibus*, tom. 1, p. 209-217, 464; et infra (2528).

Utrum ad completum Statum Religionis requiratur insuper quòd vota sint solemnia, expendemus infra (2502, 2503, 2506).

2467. Quærit. An ad essentiam Statûs religiosi strictè sumpti requiratur traditio suî Deo facta, et nomine Dei ab aliquo homine acceptata?

Respondent affirmativè DD. communiter : semper enim fuit existimatum a Patribus quòd Status religiosus sit donatio et traditio suî Deo facta : vide textus hoc probantes à D. Bouix relatos (*De Regul.*, tom. 1, p. 51, 52); et quoad necessitatem acceptationis nomine Dei ab aliquo homine factæ, sic rem explicat Suarez (*De Relig.*, tract. 7, lib. 2, cap. 4, n^is 7 et 8) : « Ostendimus Deum per seipsum vota
» acceptare quæ in promissione consistunt : quod hîc ne-
» gamus de traditione vel oblatione... Nam promissio ipsi
» Deo immediatè fieri potest et illi placere, si sit de re
» sibi gratâ : et hoc satis est ut habeat suum effectum, qui

» tantùm est obligare promittentem ad faciendum quod » promisit...; at verò traditio vel donatio, licet possit » immediatè fieri intuitu Dei, non tamen acceptatur ab » ipso, nec est illi grata, nisi fiat alicui homini à quo » acceptari vel repudiari possit, et qui jus requirat in rem » traditam ad utendum illâ, vel illi imperandum, curam» que gerendi ejus... Ratio est, quia Deus secundùm ordi» nariam providentiam, non suscipit peculiarem curam » gubernandi privatam personam immediatè per seipsum, » nec indiget his rebus sensibilibus ut eis immediatè et » sinè interventu causarum secundarum utatur. Et ideo » donatio sic facta Deo, vel esset vana et otiosa, vel quasi » tentans Deum, ab illo immediatum regimen exigendo: » et propterea illi non placet, nec ab ipso immediatè » acceptatur. » Deinde rem exemplo explanat : ergo necesse est ut traditio sui, à religioso Deo facta, ab aliquo nomine Dei acceptetur. (Vide apud D. Bouix, *De Regular.*, tom. 1, p. 50.)

PUNCTUM II.

DE VOTORUM SOLEMNITATE.

2468. Certum est vota religiosa alia esse *simplicia*, alia *solemnia :* illud constat cap. *Quod votum*, *de voto et voti redempt.*, in 6°, et cap. *Rursus* 6, *qui clerici.* In quo autem consistat votorum solemnitas, hic est expendendum.

I

IN QUONAM CONSISTAT SOLEMNITAS VOTI CASTITATIS.

2469. Concedunt omnes votum solemne castitatis esse illud quod dirimit matrimonium : attamen votum scholasticorum in Societate Jesu, quamdiu Societas eos non dimittit, dirimit etiam matrimonium, juxta Constit. *Quantò fructuosiùs* Gregorii XIII, anno 1583, et Constit. *Ascendente Domino* ejusdem Pontificis, anno 1584 : quia in hoc puncto solemnizatum fuit hujusmodi votum, quamvis simplex remaneat sub aliis respectibus. In quo ergo præcisè consistat solemnitas voti castitatis non concordant Doctores.

2470. 1ª *Sententia* est Thomistarum, juxta quos votum solemne differt à simplici, quemadmodum donatio differt à promissione, ac proinde ex ipsâmet rerum naturâ : attamen, juxta illos, licet, positâ legitimâ traditione et acceptatione, sequatur ex naturâ rei quòd votum sit solemne, ab Ecclesiâ pendet apponere certas conditiones sinè quibus nec validæ nec legitimæ forent traditio et acceptatio præfatæ; sicque explicatur quomodo Bonifacius VIII dicere potuerit solemnitatem voti *solâ constitutione Ecclesiæ fuisse inventam* (Cap. *Quod votum, de voto et voti redempt.*, in 6°). Vide Billuart, *De Relig.*, dissert. 4, art. 5.

2471. 2ª *Sententia* tenet solemnitatem voti consistere in quâdam benedictione seu consecratione, ex quâ fit ut matrimonium iniri nequeat : quia res Deo consecrata non potest ad usus tali consecrationi repugnantes adhiberi. Ita plures theologi antiqui, qui non satis explicant an res ita se habeat ex naturâ rei, quod in sententiam Thomistarum aliquomodo recideret; vel solùm ex determinatione Ecclesiæ, quòd non differret à sententiâ sequenti.

2472. 3ª *Sententia*, quæ est apud theologos communior et cui adhæremus, tenet solemnitatem voti castitatis ex solâ Ecclesiæ determinatione et voluntate dependere.

2473. *Propositio.* — Solemnitas voti castitatis pendet ex solâ determinatione Ecclesiæ.

Probat. 1° Ex Decretali *Quod votum* Bonifacii VIII modò citatâ, ubi dicitur : « Nos igitur attendentes quòd voti so-
» lemnitas *ex solâ constitutione Ecclesiæ est inventa...*,
» declarandum duximus.... illud solum votum debere dici
» solemne, quantùm ad post contractum matrimonium
» dirimendum (scilicet quatenus matrimonium non tan-
» tùm impediat antequam contrahatur, sed etiam faciat
» quòd nullum sit si contrahatur), quod solemnizatum
» fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, aut per Professio-
» nem expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus
» per Sedem Apostolicam approbatis. Reliqua verò vota,
» etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum..,

» non tamen rescindere possunt matrimonia post con-
» tracta. » Id est non faciunt ut sint nulla si nihilominus contrahantur. Ergo, etc.

Item probari potest ex Constit. Gregorii XIII anni 1584 mox referendâ, ubi eadem leguntur.

Probat. 2° Ratione : vel solâ constitutione Ecclesiæ pendet voti castitatis solemnitas ; vel, ut contendunt adversarii, ex benedictione seu consecratione, id est, ex formâ ipsâ in emissione voti adhibitâ ; vel ex traditione ipsi adjunctâ et acceptatâ : nihil aliud videtur posse excogitari, prout nihil aliud fuit reverà excogitatum : atqui duo posteriora dici nequeunt.

Non quidem primum : siquidem Ecclesia facere potest ut idem votum cum iisdem benedictionibus, consecrationibus, uno verbo, cum eâdem omninò formâ emissum, modò sit solemne et modò sit simplex : quando enim Ecclesia habet ut solemnia alicujus Ordinis vota, illa reverà sunt solemnia, si desinat habere ut solemnia, simplicia remanent. Ergo, etc.

Præterea ex cap. *Quod votum* supra relato, professio etiam *tacita*, facta in aliquâ religione per Sedem Apostolicam approbatâ, sufficit ad solemnitatem votorum religiosorum. Ergo illa solemnitas non consistit in benedictione, aut consecratione, aut aliquâ formâ determinatâ in emissione voti adhibendâ.

Nec etiam secundum dici potest : et constat primò, exemplo votorum quæ ab Scholasticis in Societate Jesu emittuntur : illi Scholastici sunt veri et propriè religiosi, juxta Constitutionem *Quantò fructuosiùs* Gregorii XIII, anni 1583, et per vota ipsorum *se Societati dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio mancipant quantùm ex parte ipsorum pendet, quamvis Societas non irrevocabiliter accipiat ;* atqui tamen illorum vota ex eâdem Constitutione, sunt simplicia ; ergò non sufficiunt traditio professionem religiosam comitans et illius acceptatio, ut votum castitatis sit solemne.

Ne dicas quòd Societas non sese liget erga Scholasticos, sed libera remaneat illos dimittendi, si opportunum exis-

timaverit; nam illud non impedit quominus sese religioni dedicent Jesuitæ Scholastici, ita ut, acceptante Religione, de seipsis legitimè non possint ampliùs disponere. Ergo si vota eorum non sint solemnia, ad hoc non sufficiunt suî traditio et illius traditionis acceptatio.

Præterea, ideo, juxta Thomistas, traditio suî et illius acceptatio professionem religiosam comitantes, subsequens matrimonium dirimunt, et proinde faciunt quòd votum sit solemne, quia res uni data et ab eo acceptata non ampliùs validè potest alteri dari; sed illa ratio non est convincens: 1° quia nemo, nisi accedat auctoritas publica, ita se potest alicui, etiam Religioni, tradere ut se reddat inhabilem ad matrimonium, cùm jus matrimonii sit jus naturæ ad propagationem generis humani ordinatum, quo privatus nequit se spoliare nec ab alio privari potest, nisi concurrente, ut jam diximus, publicâ auctoritate; 2° quia matrimonium non est incompossibile cum voto Religionis, ut patet in eo qui, matrimonio consummato, vovet Religionem de consensu uxoris; ergo traditio suî et ipsius acceptatio non dirimunt matrimonium subsequens ex naturâ suâ, nec sufficiunt proindè ut votum castitatis sit solemne.

Ergo superest ut ad hoc requiratur constitutio Ecclesiæ, et quòd tantùm sit solemne quando Ecclesia ut tale habet.

2474. In quonam Ecclesia constituerit præcisè solemnitatem voti castitatis? — Dici non debet quòd illam posuerit in aliquo ritu speciali: cùm exstent vota solemnia quæ sinè benedictionibus specialibus fiunt, ut, v. g., quæ fiunt per tacitam professionem; econtra sint vota simplicia quæ ritu valde solemni emittuntur. Sed solemnitas in eo sita esse videtur quòd vota emittantur perpetua in Religione approbatâ, in quâ agnoscuntur vota solemnia, et ut talia legitimè accipiantur. Vide Carrière, *De Matrim.*, n° 645, etc.

2475. Vota Scholasticorum in Societate Jesu irritant quidem subsequens matrimonium, ut supra diximus, ex Bullâ Gregorii XIII, *Ascendente Domino* (2469); sed hæc vis accidentaliter, non verò absolutè, hujusmodi votis annectitur, cùm cesset casu quo prædicti Scholastici à Societate

dimittantur, unde non possunt dici solemnia hujusmodi vota. (Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 1, p. 115)

2476. Ex præcedenti propositione sequitur quòd, ita disponente Ecclesiâ, votum solemne fieri possit simplex, et votum simplex solemne effici, sinè novâ intentione voventis: liberè enim Ecclesia hanc institutionem decrevit. Vide Bouix, *De Regular.*, ib., p. 83.

II

DE VOTI PAUPERTATIS SOLEMNITATE.

2477. Apud omnes constat voventem paupertatem non abdicare omnia bona quorum habet dominium vel usum : non enim abdicat jus vitam servandi, usum membrorum et facultatum corporearum prout in servitute, vel facultatum mentis, nec gratias aut virtutes, nec famam et honorem. De pluribus his quidem votum emitti posset, v. g., vovendo humilitatem, patientiam vel exercitium certorum charitatis operum, etc.; sed hujusmodi vota à paupertatis voto discrepant; per hoc ultimum enim abdicantur tantùm res externæ quæ nomine *divitiarum* solent nuncupari, et comprehendunt tum pecunias tum alia quæ pecuniâ æstimari ac comparari possunt, aut pecuniæ moraliter æquivalere : « horum nempe bonorum copia, inquit D. Bouix » (*De Regular.*, tom. 1, p. 89, etc.), hominem *divitem*, in » proprio hujus vocabuli sensu, efficit, et ex eorum » carentiâ verè et propriè pauper constituitur. » Vide etiam Carrière, *De Justitiâ*, n° 196.

2478. Quatuor autem gradus paupertatis distingui possunt : *Primus* est ejus qui nec licitè nec validè potest habere dominium, neque rebus tanquam propriis uti.

Secundus ejus qui dominium potest quidem validè habere, sed non potest licitè, nec uti valet rebus tanquam suis.

Tertius est si quis possit validè et licitè habere dominium, sed nequeat licitè uti rebus tanquam propriis; unde abdicat duntaxat usum juris, seu usum independentem : tales sunt qui votum scholasticorum emittunt in Societate Jesu.

Quartus tandem est ejus qui nec abdicat dominium, nec usum juris seu independentem, sed voto se obstringit ad non habendum temporalia ultra mensuram sufficientem ad sustentationem vitæ, juxta aliquem honestum vel perfectum finem sibi præscriptum : talis vovens abdicat tantùm usum superfluorum. Ita Suarez, *De Religione* (tract. 7, lib. 8, cap. 6, n° 7). Vide Carrière, *De Justitiâ*, n° 198; et Bouix, *De Regular.*, tom. 1, p. 95 et 96.

2479. Paupertati autem completæ non tantùm adversatur dominium seu proprietas bonorum temporalium, sed etiam ususfructus, usus, jus strictum retinendi aut possidendi, quia hæc omnia sunt genus divitiarum et pretio æstimabilia; si tamen votum paupertatis non sit solemne, paupertas etiam completa non impedit quominus validè (etsi illicitè) dominium retineri aut acquiri possit; imò vovens non potest privatà auctoritate se reddere omninò inhabilem ad dominium acquirendum, uti infra explicabitur (2491). Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 1, p. 92, etc. « En France, inquit P. Gautrelet, il n'y a pour les reli- » gieuses, point de vœu qui les rende inhabiles à posséder, » c'est-à-dire, qui soit incompatible avec la propriété. » (*Tr. de l'état relig.*, tom. 1, p. 248, edit. 1840.)

2480. Econtra usus et retentio facti, id est, ex licentiâ, non autem ex proprio jure et nomine, item mera administratio nequaquam paupertati etiam completæ repugnant : vovens enim paupertatem, potest cum licentiâ Superioris, imò sæpe debet uti rebus ad vivendum, ad se cooperiendum, etc.; et per nudam administrationem, nullum sibi temporale commodum acquirit, ex quo dives aut minus pauper efficiatur. Ita communiter juxta Suarez, apud Bouix, *ib.*, p. 90-92. — Unde cum licentiâ Superioris competentis, religiosus potest acquirere, alienare pro utilitate et nomine Communitatis, aut aliorum. (Vide Bouix, *ib.*, p. 445-447.)

2481. Quærit. 1° An ad Statum religiosum sufficiat quartus gradus paupertatis ?.

Resp. Hoc inter DD. controverti : D. Carrière post Suarezium duo statuit circa hanc quæstionem :

1° Probabile esse Statum religiosum aliquando exstitisse cum solo quarto paupertatis gradu, excludente duntaxat usum superfluorum; proinde probabile esse illum quartum gradum sufficere ad essentiam Statûs religiosi. In probationem affert antiquorum solitariorum exemplum, et insuper allegat quòd hujusmodi paupertatis gradus sufficienter tollat impedimenta perfectionis acquirendæ. *De Just.*, n° 200. Vide etiam Bouix (*ib.*, tom. 1, p. 97).

2482. 2° Tamen probabiliùs esse viguisse semper in Ecclesiâ tertium paupertatis gradum, qui nempe excludit usum juris seu independentem; quia proprietas videtur repugnare statui perfectionis : quamdiu enim res tractatur ut propria, amatur ut propria, aut saltem valde timendum est ne taliter ametur, unde amor non est purus.

Quoad solitarios antiquos, responderi potest illos sane habuisse quosdam superiores à quibus pendebant, etiam quoad usum bonorum, alioquin non fuissent veri religiosi; cùm omnes admittant aliqualem obedientiam essentialem esse Statui religioso. Ergo, etc. Vide Carrière, *ib.*, n° 201; Bouix, *ib.*, p. 98.

2483. Quærit. 2° An ad essentiam Statûs religiosi sufficiat tertius gradus paupertatis, vel an absolutè sit necessarius secundus gradus excludens omnis dominii licitam possessionem?

Resp. Affirmativè quoad primam quæstionis partem, et negativè quoad secundam; et probatur 1° exemplo antiquorum religiosorum qui ut veri religiosi semper habiti fuerunt, quales S. Antonius, S. Hilario, etc.; porrò illi Sancti quædam possederunt, condiderunt testamenta, successionesque aliquando accepêre.

« On trouve quantité de testaments et de legs faits par
» des Abbés et des Abbesses, inquit De Bréquigny et Du
» Theil (*Collect. des Chartes*, tom. 1) : on y peut voir le
» testament de Ste Fare en 632... Mabillon dit que c'était
» l'usage, non-seulement en France, mais dans les autres
» États; et que cet usage n'était point condamné par les
» plus saints personnages, surtout lorsqu'il s'agissait de
» legs pieux... C'était l'usage au septième siècle, dit Ma-

» billon, que les moines et les religieuses héritassent de » leurs parents : il le prouve par l'exemple de S. Abde» gonde. »

2° Probatur voto Scholasticorum in Societate Jesu : etenim illi Scholastici postquam vota simplicia emiserunt, remanent dominii capaces, ut constat apud omnes; atqui tamen ex Constit. Gregorii XIII, isti sunt veri et propriè religiosi. Ergo, etc.

3° Ratione : Qui non habent nisi dominium ligatum, quod non est exercendum sinè superioris licentiâ, et à fortiori si ad ejus nutum sit abjiciendum, ii sunt verò pauperes, quippe bonis suis non fruuntur aliter quàm si dominium non haberent : qui enim dominium in omnia bona mundi haberet, si nihil sibi attribuere posset et in proprios usus convertere, ille non minus pauper reapsè foret quàm qui nihil omnino possideret. Ergo hujusmodi homines possunt esse religiosi.

2484. Conclusio ut certa haberi debet ob auctoritatem Gregorii XIII; proinde constat ad substantiam paupertatis religiosæ satis esse ut abdicetur usus juris, seu usus independens. Vide Carrière, *De Just.*, n° 200; Bouix, *De Regular.*, tom. 1, p. 98-100.

2485. Controvertitur utrum valida sit dispositio sinè licentiâ facta à religioso habente dominium, sed non usum juris. Vide Carrière, *ib.*, qui pro sententiâ affirmante citat Suarez, Sanchez, De Lugo et alios multos. Pro sententiâ negante citantur Molina, Lessius, Haunoldus, etc.

Sententiæ affirmanti adhæret D. Bouix, et eò usque procedit, ut (*ib.*, tom. 1, p. 447) dicat : « Imò nec ipsa Summi » Pontificis prohibitio impedire potest quin valida sit » venditio, donatio, etc., ab ejusmodi religioso peracta. »

2486. Quærit. 3° In quonam consistat voti paupertatis solemnitas?

Resp. Controverti inter theologos in quo consistat hujus voti solemnitas; fatentur tamen omnes solemne esse votum illud quod emittitur in Religione approbatâ, in quâ fit professio rigorosa; itemque dictum votum differre à simplici, in eo quòd reddat personam perpetuò et abso-

lutè incapacem dominii, adeo ut excludat præcedens dominium si quod erat, et impediat omnem acquisitionem validam subsequentem. Dum ècontra votum simplex nunquam absolutè excludit facultatem retinendi aut acquirendi. Vide Carrière, *De Just.*, nº 199.

2487. Eadem varietas opinionum adest circa solemnitatem voti paupertatis ac vidimus supra adfuisse circa solemnitatem voti castitatis : alii enim volunt hanc solemnitatem consistere in certâ aliquâ benedictione seu consecratione; alii (Thomistæ scilicet) illam reponunt in traditione omnimodâ sui ipsius et bonorum suorum et jurium; alii tandem illam repetunt à solâ dispositione Ecclesiæ. (Vide Bouix, *ibid.*, p. 101.)

2488. Ut solvatur difficultas, dicendum 1º Ex disciplinâ jampridem receptâ, votum solemne paupertatis inducere incapacitatem dominii : hæc assertio ab omnibus theologis admittitur; et sat communiter illius disciplinæ origo repetitur ex quâdam lege Justiniani, sæculo sexto, quæ cùm fuerit ab Ecclesiâ admissa, ab eâ fuit canonizata, ut loquuntur canonistæ (Vide Bouix, *ibid.*, p. 440-442, 482). Id constat ex Epistolâ S. Gregorii Magni ad Episcopum Calaritanum à Gratiano relatâ, causa 19, q. 3, can. 7. Non statim tamen fuit ubique recepta hæc legislatio, uti constat exemplis in respons. ad quær. 2º memoratis supra (2483); sed postea generaliter prohibitum fuit ne religiosi peculium, id est, proprium haberent, ut probant cap. *Monachi* 2, *de Statu monachorum* ex Concil. Lateran. III, anni 1179 depromptum, et præsertim cap. *Cùm ad monasterium* 6, ejusd. tit., ubi Innocentius III, anno 1213, sic decernit : « Prohibemus... districtè in virtute obedientiæ sub obtestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat : sed si quis aliquid habeat proprii, totum incontinenti resignet. Si verò post hoc, proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissâ, de monasterio expellatur, nec recipiatur ulteriùs, nisi pœniteat, secundùm monasticam disciplinam; quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo, in signum perditionis, extra

» monasterium in sterquilinio subterretur... Unde si quic-
» quam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat
» illud accipere, sed Abbati vel Priori, vel cellario assi-
» gnetur » Vide etiam Concil. Trident. (sess. 25, cap. 2, *De Regular.*) et Constit. Clement. VIII *Nullius omninò*, 20 mart. 1601, Decretum Concil. explicantem. Carrière, *De Just.*, n° 213.

2489. Dicendum 2° Voti paupertatis solemnitatem non consistere in aliquâ benedictione, seu consecratione, aliove ritu sacro.

Constat 1° Quia per professionem etiam tacitam aliquando hujusmodi votum emittitur; 2° in quibusdam Religionibus ubi vota sunt solemnia, nullus adhibetur ritus sacer; 3° si alicujus Ordinis, ubi vota solemniter etiam cum ritu sacro emittuntur, Ecclesia decerneret hujusmodi vota in posterum non fore habenda ut solemnia, prout certè potest, nemo est qui neget illa ex tunc reverà esse simplicia, etsi idem ritus ac antea observetur in illorum emissione. Ergo ex ritu non pendet votorum solemnitas. Vide Bouix, *De Regul.*, tom. 1, p. 102.

2490. Dicendum 3° Solemnitatem voti paupertatis non consistere in traditione suî ac suorum bonorum et jurium Deo et religioso Ordini factâ et nomine Dei acceptatâ.

Probat. 1° Ex voto Patrum Coadjutorum Formatorum in Societate Jesu : per suam enim professionem ita se tradunt Religioni præfati religiosi ut eorum votum inducat incapacitatem dominii, à quâ non eximuntur nisi dimissi fuerint, prout possunt, à Societate : atqui tamen omnibus his exstantibus, eorum vota non sunt solemnia. Ergo solemnitas votorum non consistit in traditione, etc. Ergo, etc.

2491. — 2° Ratione : solemnitas voti paupertatis, juxta disciplinam Ecclesiæ jamdudum receptam, inducit necessariò perpetuam dominii incapacitatem; si ergo traditio suî ac suorum bonorum et jurium, etc., nequeat inducere illam incapacitatem, concludendum erit in hujusmodi traditione et acceptatione non esse reponendam solemnitatem voti paupertatis religiosæ : atqui reverà traditio præfata et illius acceptatio nequeunt omnimodam et perpetuam in-

ducere dominii incapacitatem : nam hæc incapacitas vel oriretur tunc ex renuntiatione voventis quâ voluntatem suam redderet inefficacem ad retinendum aut acquirendum dominium; vel ex donatione anticipatâ omnium suorum bonorum in gratiam monasterii acceptantis : atqui neutrum dici potest : non *primum*, cùm homo nequeat à se tollere capacitatem quam à naturâ habet, et quæ non à seipso sed à lege pendet : quemadmodum enim homo nequit se inhabilem reddere ad matrimonium, prout supra diximus (2473), ita etiam nec incapacem dominii; nec *secundum* : nam, etsi possit vovens abdicare omnia bona sua et jura præsentia et futura in favorem monasterii, et sic se spoliare non solùm facultate retinendi bona quæ habuerit, sed insuper potestate acquirendi sibi in futurum alia bona, hoc tamen non sufficit ut omnino reddatur incapax dominii; siquidem hoc de se non est absolutè irrevocabile, et supponi potest quòd de suo jure cedat monasterium cum licentiâ Ecclesiæ; in quâ hypothesi vovens redderetur ad suam nativam conditionem, quâ pollet, capacitatis dominii; et sic non tantùm S. Pontifex sed ipsum monasterium posset tollere solemnitatem à voto paupertatis, quod à nemine dicitur. Ergo nec traditio suî et suorum bonorum ac jurium in favorem monasterii, nec illius traditionis acceptatio omnimodam et perpetuam incapacitatem dominii inducunt : ergo in iis non consistit solemnitas voti paupertatis religiosæ.

Superest ergo tandem ut illa solemnitas proveniat ex dispositione legis ecclesiasticæ, prout cæterùm constat ex Decretali *Quod votum* Bonifacii VIII et Constit. Gregorii XIII *Ascendente Domino*, anni 1584. Vide supra (2469 et 2473).

2492. Quærit. 4° An concursus potestatis sæcularis sit necessarius ad solemnitatem voti paupertatis religiosæ?

Resp. D. Carrière in suo tractatu *De Justitiâ* (n° 224) asserit *sibi probabiliùs videri* votum paupertatis quod emittunt hodierni religiosi Galliæ, non *esse ut solemne habendum*, nec proindè alia duo vota. Ratio præcipua quam allegare videtur (*ib.*) est quòd *ad legem civilem pertineat statuere de iis quæ respiciunt dominium et possessionem*

rerum temporalium. « Si admittatur, inquit (n° 222), incapa- » citatem dominii esse aliquid merè temporale, jam inde- » pendenter à lege civili induci non poterit ea incapacitas. » Concedit tamen (*ib.*, n° 224) quòd S. Pontifex posset statuere ut votum solemne foret absque dominii incapacitate, in quo casu concursus Principis sæcularis minimè esset necessarius; unde, juxta ipsum, concursus præfatus non ad solemnitatem voti omnis paupertatis quale potuisset ab Ecclesià statui necessarius est, sed solùm ad voti solemnitatem quale existit nunc, supposità dominii incapacitate; et exhinc concludit probabiliùs esse nullos existere hodie in Gallià religiosos qui vota solemnia emittant. Contra hanc sententiam statuitur sequens:

2493. — *Propositio.* — Certum est ad solemnitatem voti paupertatis religiosæ, etiam juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, minimè requiri concursum potestatis sæcularis, sed sufficere solam Ecclesiæ auctoritatem.

Probat. 1° *Ratione* : si necessarius esset concursus potestatis sæcularis ad solemnitatem voti paupertatis, esset quia hujusmodi potestas sola posset statuere illam absolutam dominii incapacitatem quæ, saltem juxta præsentem disciplinam, voto solemni paupertatis necessariò alligatur; porrò falsum est solam auctoritatem sæcularem posse hanc incapacitatem statuere : etenim Ecclesia certè à Christo accepit potestatem id omne faciendi quod necessarium et utile est ad suum finem assequendum ; porrò à Christo Ecclesia fuit instituta ut fideles omnes ad sanctitatem et perfectionem, juxta singulorum necessitates et varios status, promoveat ; et consilia evangelica profitentibus est insuper valde utile ut incapaces dominii efficiantur : sic enim magis arceantur à periculoso divitiarum amore. Ergo ad Ecclesiam pertinet etiam omnimodam dominii incapacitatem statuere.

Iterum probatur ratione : certum est religiosos solemniter professos esse omninò dominii incapaces : porrò illa incapacitas vel à sæculari potestate procedit, vel tantummodo ab auctoritate ecclesiasticà, cùm, ut supra diximus (2489),

non procedat ab aliquâ consecratione aut ritu, aut ex naturâ voti (2491); porrò nedum ab auctoritate sæculari procedat illa incapacitas, sed ab illâ procedere non potest: 1° quia sæcularis potestas incapacitatem dominii non potest statuere nisi vel ob delictum, vel ob necessitatem boni publici temporalis; sed non est delictum in profitente vota religiosa; bonum temporale publicum minimè pariter exigit quòd religiosi sint incapaces dominii; ergo illos incapaces reddere non potest sæcularis potestas. 2° Incapacitas religiosi votum solemne paupertatis emittentis, est perpetua et omnimoda incapacitas, quæ ad omnia loca extenditur; porrò talem incapacitatem non potest statuere princeps sæcularis, quia necessariò est localis, nec ultra proprios limites potest suam exerere potestatem. Non enim v. g. Gubernium Gallicum potest impedire quominus religiosus, qui incapax dominii ab ipso redderetur, dominii capax non haberetur à Gubernio Hispanico, Austriaco, Anglico, etc. Ergo omnimodam incapacitatem religiosi solemniter professi statuere nequit sæcularis potestas.

Præterea dici nequit ab uno locali Principe sæculari, pendere solemnitatem votorum religiosorum ubivis existentium; sed si ab auctoritate sæculari pendeat quòd profitens votum paupertatis sit, necne, capax dominii, statim concludendum est omnia vota religiosa ab uno Principe sæculari pendere, saltem quoad ipsorum solemnitatem: nam, ut modò dicebamus (2491), votum solemne paupertatis religiosæ inducere debet omnimodam et absolutam incapacitatem dominii, quâ impediatur à quocumque acquirere: porrò, hoc posito, in arbitrio esset cujuscumque Principis sæcularis impedire illam incapacitatem; ad hoc sufficeret quòd omnes extraneos capaces indistinctè haberet ad recipiendas donationes, legata, etc., quæ illis à suis subditis fierent: eo enim ipso etiam religiosi extranei desinerent esse omninò incapaces dominii et à subditis talis principis accipere possent donationes ac legata, etc.; proinde illorum votum paupertatis non ampliùs solemne esset, et sic ab uno Principe penderet solemnitas votorum religiosorum ubivis existentium: sed impium esset

dicere Ecclesiam sic tyrannidi sæculari subjiciendam esse. Ergo à sæculari potestate non pendet quòd capax vel incapax dominii sit religiosus. Ergo ab ipsâ non pendet solemnitas voti paupertatis religiosæ. Ergo à solâ Ecclesiâ pendet.

2494. Probat. 2° *Ex agendi ratione Ecclesiæ :* Certum est ab Ecclesiâ tanquam veros professos, dominii incapaces, per plura sæcula habitos fuisse religiosos è regionibus infidelium, hæreticorum, etc., oriundos, ubi tamen lex civilis hujusmodi incapacitatem non agnoscit: nec ullus canonista dubitavit unquam de illorum votorum solemnitate : sic nuper Superior Generalis Dominicanorum P. Jandel qui erat Gallus, habitus fuit ut verus Dominicanus voto solemni ligatus, aliàs nec Papa nec PP. Dominicani eum tanquam Superiorem Generalem Ordinis elegissent; item Superior Generalis Jesuitarum qui est Belga, habitus fuit etiam ut verus Professus solemni voto ligatus, alioquin à suis non fuisset electus, aut ejus electio habenda fuisset ut nulla; sic innumeri alii religiosi in prædictis regionibus professi, in Angliâ, Hiberniâ, Indiâ, apud Mahumetanos, Sinenses, etc., à pluribus sæculis sinè ullâ controversiâ, ut veri religiosi voto solemni paupertatis astricti, proinde incapaces dominii habiti sunt, tum à Sede Apostolicâ, tum ab omnibus Doctoribus. Ergo minimè requiritur concursus potestatis Sæcularis ad solemnitatem voti paupertatis, sed sufficit, etc. (Vide Bouix, *De Regul.*, tom. 1, p. 422-431.)

2495. Probat. 3° *Variis decisionibus et auctoritatibus :* 1° 9 jul. 1837, S. Congr. Episcop. et Regul. consulta an concedi deberet facultas Abbati Solesmensi (*de Solesmes*), admittendi ad *solemnem* professionem omnes illos qui cum ipso per quatuor annos vixerunt, « respondit : *Affirmativè*
» *pro his qui vota simplicia emiserunt prœviis spiritualibus*
» *exercitiis; et pro his actu in monasterio existentibus,*
» *qui decem et octo menses in novitiatu expleverint arbitrio*
» *Superioris cum suo Capitulo...*» Conversis autem permittuntur solùm vota simplicia. *Ami de la Religion*, t. 166, p. 463; Bouix, *ib.*, p. 412.

2° Die 2 januarii 1836, S. Pœnitentiaria à RR. DD. Bouvier Episcopo Cenomanensi consulta his verbis : « Cùm » ex pluries decisis, vota monialium in Galliâ, uti simpli- » cia à S. Sede æstimentur, sequentia dubia nascuntur : » 1°...; 4° an de votis virorum idem dicendum sit ac de votis » monialium, ut videtur ; » respondit in hunc modum : « S. Pœnitentiaria... factâ... præmissorum relatione SS. » D. Gregorio Papæ XVI, respondit... ad quartum, decreta » per Sacram Pœnitentiariam aliàs edita, spectare solum- » modò ad moniales. » Ergo censuit S. Congr. posse viros in Galliâ solemnia vota emittere. Ergo, etc.

3° Eadem S. Congr. Episcop. et Regul. consulta ab uno Episcoporum Sabaudiæ an conditio monialium Visitationis fuerit immutata in hâc provinciâ, propter suam recentem Galliæ annexionem, respondit, die 31 julii 1861 : « Quoad » præfata monasteria nihil innovatum esse, et sanctimo- » niales eisdem omnibus obligationibus et ecclesiasticis » legibus subjectas esse quibus antea tenebantur. Quod si » relatè ad votum paupertatis, pro emittendis actis civili- » bus in contractibus aliquâ facultate indigeant, Episcopos » ad hanc S. Congregationem rem exponere debere. » Ergo in Sabaudiâ, vota remanent adhuc solemnia, non obstante lege civili. Vide *Revue des sciences ecclésiastiques*, n° 23, nov. 1861, p. 500.

4° Anno 1851, Capitulum generale Carthusianorum in Magnâ Carthusiâ inter alia sancivit ut in posterum *Solemnis Professio* non emitteretur nisi ab eis qui per quatuor annos in Ordine versati fuissent cum votis simplicibus : porrò decretum illud, eodem anno, fuit à Sede Apostolicâ approbatum; ergo Sedes Apostolica ut solemne habet votum Carthusianorum, post quatuor annos in Ordine versatos emissum. Ergo, etc.

5° Brevi Pontificio mensis julii 1797 concessa fuit cuidam moniali Galliæ, nomine De Soyecourt, facultas tum hæreditatem quæ sibi obtigerat percipiendi, tum acquirendi Carmelitarum ecclesiam Parisiis viâ Vaugirard sitam, sub hâc clausulâ : « Firmâ substantiâ voti solemnis. » Ergo stare simul possunt votorum solemnitas et lex sæcularis

hanc solemnitatem non agnoscens. Ergo, etc. Vide alia apud D. Bouix, *ib.*, p. 417-422.

2496. Objic. : Capacitas dominii ac proinde incapacitas est aliquid temporale : ergo de eâ disponere potest sola temporalis auctoritas.

Resp. Capacitatem vel incapacitatem dominii esse aliquid de se indifferens, et esse quid temporale quando agitur de fine temporali, sed posse etiam annecti fini spirituali, prout in casu præsenti; porrò in tali casu, sæcularis potestas non potest sinè consensu Ecclesiæ disponere de temporali sic annexo spirituali, alioquin spirituale temporali subjiciendum esset, quod fieri nequit. Ergo, etc. Vide dicta supra (698, etc.).

Ex propositione supra stabilitâ (2493, etc.) plura deduci possunt :

2497. — 1° Ergo leges civiles, ante annum 1793 existentes in Galliâ, aut in aliis regionibus adhuc vigentes[1], quibus statuebatur mors civilis religiosi professi, vi cujus bona ipsi obvenientia, non Communitati sed hæredibus naturalibus ipsius religiosi attribuebantur, valorem habere nunquam potuerunt, nisi accedente Sedis Apostolicæ approbatione : nam ex jure communi hæc bona Communitati sunt deputanda. Vide Cap. *Cùm ad monasterium* supra relatum (2488).

Incapacitas possidendi afficit religiosos non verò monasteria (Concil. Trid., sess. 25, cap. 3, *De regul.*) nisi *speciali lege prohibeatur* monasteriis possidere, uti *Capuccinis* qui nec etiam in communi possidere valent, et quorum bona pertinent ad Romanam Ecclesiam.

2° Ergo hodie in Galliâ existere possunt veri religiosi, etiam cum votis solemnibus : imo veræ religiosæ cum iisdem votis, uti reapsè existunt in Sabaudiâ; siquidem leges civiles, ut modò probavimus, impedire nequeunt quin religiosi in conscientiâ et coram Deo sint omnino incapaces dominii. Et cf. App. X.

[1] In Belgio saltem de facto viget adhuc hæc dispositio. Vide Bouix, *De Regul.*, t. 1, p. 443.

III.

DE VOTI OBEDIENTIÆ SOLEMNITATE.

2498. Satis difficilis est quæstio de solemnitate voti obedientiæ religiosæ : communiùs autem DD. sententiæ Suarezii adhærent.

Juxta hunc eximium Theologum, observato quòd de se, non obstante voto obedientiæ, possit religiosus, validè et independenter à suo Superiore, sese variis modis devincire tum erga Deum tum erga homines : v. g., erga Deum, vovendo certarum precum recitationem, aliquod pium exercitium, abnegationis actum, etc.; erga homines, se obligando ad servandum aliquod secretum, ad offerendam missam pro amico, ad reddendum librum sibi commodatum, ad expendendam aliquam quæstionem, ad dicendam suam sententiam, et multa alia hujusmodi : siquidem nihil est in talibus obligationibus quod incompossibile sit cum tribus votis ad substantiam vitæ religiosæ requisitis; hoc, inquam, observato, Suarezius ait voti obedientiæ solemnitatem in eo consistere quòd vi hujusmodi voti, Superior Religionis potestatem habeat irritandi omnes promissiones à Religioso sive Deo sive hominibus post emissam professionem factas.

Juxta eumdem auctorem hæc potestas Superioribus religiosis obvenit, non ex vi præcisè traditionis quam religiosus facit in suâ professione, sed ex jure positivo, nempe ex dispositione legis ecclesiasticæ: quod canonistæ probare solent ex variis capitulis juris canonici et imprimis cap. *Si religiosus* 27, *de electione*, in 6°, ubi dicitur quòd religiosus *velle et nolle* non habeat : sed hæc solutio difficultate non caret.

Etenim communiter theologi dicunt superiores religiosos habere potestatem omnium suorum subditorum vota irritandi, et illud quidem, vi potestatis dominativæ quæ ipsis competit, non solùm erga religiosos solemniter professos, sed etiam erga eos qui simplicia vota emittunt : siquidem hæc potestas dominativa oritur ex traditione quam suî facit omnis verus religiosus, etsi simplicia tantùm vota emittat:

undè omni Superiori religioso hæc potestas competit, ita ut P. Gautrelet asserat etiam Abbatissas et Superiorissas monialium, quarum vota sunt simplicia, valere irritare vota religiosarum sibi subditarum. Vide infra dicenda (3074).

Si ergo omnes Superiores Ordinis verè religiosi habeant potestatem vota suorum subditorum irritandi, etiam eorum qui simplicia tantùm emiserunt, quomodo dici potest solemnitatem voti obedientiæ religiosæ consistere in præfatâ facultate Superiorum irritandi omnes promissiones et vota à suis subditis emissa? Et si hoc jus obveniat ipsis ex potestate dominationis quam Superiores acquirunt per traditionem quam suî faciunt religiosi in professione, quomodo dici potest hanc potestatem illis esse traditam a jure positivo et ex lege ecclesiasticâ ?

2499. Sic autem nobis difficultas videtur solvenda : omnes quidem Superiores Ordinis verè religiosi habent potestatem solvendi vota et promissiones suorum subditorum, vi illorum traditionis factæ in professione, etsi vota tunc ab illis emissa sint simplicia ; sed. si non obstaret lex ecclesiastica, huic juri renuntiare possent saltem in quantum eo non indigerent pro regimine Communitatis et tunc omnia vota et promissiones à subditis suis emissa non essent à seipsis rescindibilia ; atqui tamen, ait Bouix (*De Regul.*, tom. 1, p. 115), « ad votorum solemnitatem non » sufficit vis quælibet præfatos effectus producendi ; sed vis » illa debet esse *absoluta*. id est, ita *perpetua et immutabilis* ut neque religiosus neque ipsa Religio vim illam suspendere aut tollere possint; quòd autem vis illa... tolli » possit à R. P., id non impedit eorum solemnitatem ; » » cùm necessariò debeat posse tolli ab eo qui eam liberè statuit. His concordant dicta S. C. ad Episcopum Lemovicensem, anno 1820 : « Votum solemne illud esse quod ab » Ecclesiâ ut tale acceptatur, et voventem *inhabilem reddit* » *in perpetuum et immutabiliter*, spectatâ lege ordinariâ » et seclusâ dispensatione pontificiâ, ad matrimonium contrahendum et dominia rerum acquirenda vel retinenda. » (Bouix, *ib.*, p. 502.)

Unde ad voti obedientiæ solemnitatem non sufficit quòd

Superiores habeant facultatem irritandi subditorum vota, quæ talis sit cui renuntiare possint, sed hæc debet esse *perpetua*, et immutabilis; porrò supradictam facultatem renuntiandi juri irritandi vota subditorum, Superioribus religiosis adimit lex ecclesiastica statuens solemnitatem voti obedientiæ religiosæ, et ita adimit ut ipsis concedi non valeret nisi sublatâ solemnitate trium votorum, ut infra dicemus (2504); unde vota emissa post professionem solemnem irritari possunt à Superioribus, etiamsi ab ipsis approbata fuissent (S. Liguor., lib. 3, n° 239), et semper irritari poterunt quamdiù remanebunt religiosi cum votis solemnibus.

Possent quidem vota etiam irritari, casu quo voventes essent aut fierent religiosi cum votis simplicibus; sed in hoc casu, potestate illa irritandi sese spoliare possent superiores, etiam cum simplici licentiâ Ecclesiæ, dum in casu quo vota sunt solemnia, hâc se nequeunt spoliare nisi Papa revocet legem quâ statuit solemnitatem votorum : unde patet facultatem, quam habent Superiores religiosi irritandi vota, non esse eamdem, quando agitur de votis simplicibus, ac quando agitur de votis solemnibus; et solemnitatem voti obedientiæ non procedere ex traditione suî quam facit religiosus profitendo, sed esse institutionis ecclesiasticæ, sicut solemnitatem duorum aliorum votorum castitatis et paupertatis.

SCHOLIUM.

2500. Dictum fuit supra (2498) Superiores religiosos, vi dominationis quam exercent in subditos, potestatem habere irritandi omnia illorum vota et promissiones : excipienda sunt tamen quædam vota : nempe 1° votum Professionis religiosæ, siquidem nonnisi per hujusmodi votum Superior habet auctoritatem in religiosum; 2° vota quæ in quibusdam Religionibus, absolutè et absque dependentiâ Superiorum, superadduntur tribus votis consuetis, v. g., votum abstinentiæ apud Minimos, votum redimendi captivos apud Religiosos *de Mercede*, etc. : vide Collet (*De Virtute Religionis*, pars 2, cap. 5, *de Voto*, n° 243); 3° plures auctores excipiunt votum ad strictiorem Religionem transeundi; quia, quoad hunc transitum, reli-

giosi subduntur tantùm S. Pontifici: cùm ille transitus sit eis concessus de jure, etiam invitis Superioribus, uti constat ex cap. *Licet* 18, *de Regular.* (Vide Ferraris, v° *Votum*, art. 3, n° 24; et S. Liguor., lib. 3, n° 233); sed idem S. Liguor. (lib. 4, n° 53) etiam Abbatissis concedit potestatem irritandi præfatum votum, ut *tenent*, inquit, Pasq.... *et adhæret* Alex., contra Less., Pelliz., etc. Ex hoc tamen non est concludendum quòd Abbatissæ (5219) aut alii Superiores auferre possint religiosis præfatam potestatem, à jure eis concessam, transeundi ad Religionem strictiorem, si hoc eis placeret, licet de hoc votum non emiserint: sed juxta S. Liguor. posito quòd tale votum fecerint, irritari potest etiam ab Abbatissis.

IV

ADDITAMENTA QUÆDAM CIRCA SOLEMNITATEM TRIUM VOTORUM SIMUL SUMPTORUM.

2301. Ex omnibus supradictis circa solemnitatem singulorum votorum religiosorum, concludendum est cum Suarezio (*De Relig.*, tom 3, lib. 2, c. 14, n° 10) quòd voti solemnitas in duobus consistat: « Unum est, ut traditioni seu oblationi personæ religiosæ omninò *absolutæ* et ex utrâque parte (scilicet Religionis et religiosi) *immutabili* conjunctum sit; alterum est, ut habeat vim inhabilitandi personam ad effectus morales supra declaratos; hæc enim duo conjunctim necessaria sunt, et alterum sinè altero non sufficit. »

2302. Quærit. 1° An ad essentiam Statûs religiosi requiratur votorum solemnitas?

Resp. Negativè : « Usque ad tempora Gregorii XIII, multorum opinio fuit, inquit Suarez, sinè illis tribus votis *solemnibus*, propriè et substantialiter Statum religiosum subsistere non posse : ac subinde illam solemnitatem esse de essentiâ religiosi Statûs. » Sed à tempore laudati Pontificis, omnino sublata est opinandi varietas; sic enim habet Gregorius XIII, in suâ Constit. *Quantò fructuosiùs* : « Statuimus ac etiam decernimus, non modò eos qui in Coadjutorum Formatorum, sive spiritualium,

» sive temporalium gradus et ministeria admittuntur, sed
» etiam alios omnes et quoscumque, qui in ipsa Societate
» admissi, biennio probationis à quocumque peracto, tria
» vota prædicta, tametsi simplicia, emiserint, emittentque
» in futurum, *verè et propriè religiosos fuisse et esse, et ubi-*
» *que semper ab omnibus censeri et nominari debere*, *ac si*
» *in Professorum prædictorum numerum adscripti fuissent.*
» Præcipimus et interdicimus *ne quicumque... illud in*
» *controversiam... ponere audeat quoquo modo.* » Et sic reverà hodie unanimiter censent Doctores. V. Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 13, cap. XI, n° 29.

Veritas responsionis facilè aliundè deduci potest ex eo quòd solemnitas votorum sit institutionis ecclesiasticæ, dum Status religiosus sit etiam institutionis divinæ, et proinde habeat à jure divino suam essentiam.

2303. Aliter tamen sentire videntur *Analecta jur. pontif.* (40e livr., col. 147), ubi dicunt Congregationes, in quibus solùm emittuntur vota simplicia, non esse ordines regulares, etsi perpetua in eis emittantur vota, cum juramento perseverantiæ Sedi Apostolicæ reservato; in probationem afferunt Breve *Pastoralis officii* Innocentii X, 30 julii 1652, ubi dicitur : « Congregationem Doctrinæ
» Christianæ... regni (Galliæ), post factam dissolutionem
» unionis à Congregatione Clericorum regularium *De Som-*
» *mascha*, fuisse redactam ad Statum Congregationis sæ-
» cularis, juxta ipsius Institutum à felic. record Cle-
» mente VIII... approbatum.. ; post dissolutionem dictæ
» unionis in dictâ Congregatione Doctrinæ Christianæ,
» admissi ac in futurum admittendi, tanquam clerici
» sæculares sunt habendi. » Et reverà non solet concedi à S. Sede jurisdictio fori externi Superioribus Congregationum in quibus non emittuntur vota solemnia, et ideo Ordinariis locorum subjici solent, nec haberi debent ut exempti sinè speciali Indulto. — Hæc *Analecta* ; an autem hæc destruant vim argumenti in contrarium deprompti ex Constitutione Gregorii XIII supra relatâ, non benè videmus; cæteri judicent. Vide alia apud D. Bouix (*De Regul.*, tom. 1, p. 117, etc.). De his v. *Des communautés à vœux simples*, nis 35, etc.

2504. Quærit. 2° Utrum in aliquâ Religione unum votum possit esse solemne dum cætera sunt simplicia?

Resp. Negativè : ex usu Ecclesiæ unum votum solemne esse nequit dum cætera sunt simplicia. Ita pluries respondit S. Pœnitentiaria, et specialiter anno 1820, ad Episcopum Lemovicensem, his verbis : « Si hujusmodi paupertatis vo-
» tum solemne non est, nec solemnia censeri possunt
» reliqua duo vota castitatis et obedientiæ : quippe cùm,
» secundùm solemnis religiosæ professionis naturam, atque
» Ecclesiæ disciplinam, votum unum sinè alio solemne
» esse non potest. »

2505. Quærit. 3° Quinam in Galliâ sint veri religiosi cum votis solemnibus?

Resp. Eos omnes qui Professionem ritè emiserunt in iis Ordinibus qui ex Instituto à Sede Apostolicâ approbato vota solemnia habent, nisi expressè Sancta Sedes declararet hujusmodi vota non ampliùs fore solemnia : quia, ut aliquid desinat esse quod leges esse dicunt, requiritur auctoritas legislatoris competentis, qui in præsenti materiâ non alius est quàm S. Sedes. Unde solemnia vota emittunt in Galliâ Dominicani, Jesuitæ, Carmelitani, Benedictini, Carthusienses, Capuccini, etc.; non verò Trappistæ ab anno 1837, in quo prodiit Decretum S. Inquisitionis statuens :
» Vota Trappensium, quæ ab eâ die in posterum intra fines
» Galliarum regni emitterentur, tanquam simplicia
» habenda esse. » Sed juxta decretum Pii IX, an. 1868, Trappenses denuò, etiam in Gallia, solemnia vota emittere possunt. (*Univ.* 26 févr. 1868.) Quoad decisionem S. Congreg. *De Propagandâ*, 21 apr. 1831 à D. Carrière (n° 223, *De Justit.*) in contrarium allatam; ea non probat : quia in ipsâ videtur esse tantùm quæstio de conversis simplicia vota emittentibus. Vide Bouix, *De Regular.*, t. 1, p. 475.

2506. Item in Galliâ moniales hodie non emittunt nisi vota simplicia, etsi ad Ordines in quibus fieri solent vota solemnia pertineant; secus est dicendum de monialibus Sabaudiæ, ut supra vidimus (2495) : de monialibus verò Belgii constat hodie ex dec. 22 aug. 1867, vota earum esse simplicia etsi variæ de eo fuerint decis. juxta D. Bouix (*ib.*, p. 514).

qui illarum vota solemnia existimat). Assertio circa moniales Galliæ constat variis responsionibus S. Pœnitentiariæ : postulaverat Cenomanensis Episcopus... : 2° an votum ingrediendi Religionem Sedi Apostolicæ sit reservatum; die autem 2 januar. 1836, responsum fuit... : « Ad 2m *af-* » *firmativè :* sed votum mulieris, cujus intentio respexerit » ad monasteria prout nunc in Galliis existunt, non est » reservatum : quia scilicet monasteria eadem à Sede Apos- » tolicâ, attentis peculiaribus circumstantiis, non tanquam » Ordines verè et propriè religiosi, » id est in sensu *strictiori et rigoroso :* de quo vide supra (2502) et infra (2518); « sed uti piissimarum familiæ feminarum æstiman- » tur. »

Die autem 28 novemb. 1818, ad Superiorem Nannetensis Seminarii responsum fuerat: « Votum paupertatis quod » novæ Galliarum religiosæ, secundùm articulum à Guber- » nio adjectum emittunt, non esse solemne : cùm per illud » bonorum suorum proprietatem ac dominium adhuc reti- » neant: proinde nec solemnia esse alia duo vota castitatis » et obedientiæ. » (Ap. D. Bouix, *ib.*, p. 501.)

Vir tamen quidam, doctrinâ conspicuus, opinatus est præfatas declarationes fuisse datas juxta exposita quæ falsa erant, nec proinde impedire quin in pluribus monialium conventibus solemnia vota emittantur. Vide hanc opinionem ap. D. Bouix discussam, qui tamen eam non admittit, sed de eâ judicium aliis relinquit. (*Ibid.*, p. 502-514.)

2507. Sed dices : Cur hoc discrimen inter moniales et viros religiosos? — S. Sedes non se explicuit : putant plures discrimen venire quòd magis sit consistentia in viris qui plerique sunt sacerdotes, quàm in mulieribus quæ, in variis subversionibus rei publicæ, difficiliùs sibi providere possent si è domo religiosâ essent expulsæ. Religiosi insuper frequentiùs transeunt ab unâ regione in aliam, et esset inconveniens si eorum vota simplicia essent in uno loco et solemnia in altero, cùm vota solemnia debeant esse immutabilia (Vide Gautrelet, *Tr. de l'état relig.*, tom. 1, p. 169, etc.). Potissima ratio esse videtur quòd vota monialium ut sint solemnia requirant clausuram papalem, ut

infra dicturi sumus (2543, 2585), et hoc clausuræ genus, post Concordatum 1801, non fuerit in Galliâ institutum cum solemnitatibus ad hoc requisitis. (Vide *Analecta*, 22e livr., col. 148-171.)

§ II.

De origine et indefectibilitate Statûs religiosi.

PUNCTUM I.

DE ORIGINE STATUS RELIGIOSI.

2508. Nonnulli sustinuerunt Statum religiosum esse institutionis merè ecclesiasticæ; sed deserenda omninò est opinio hæc, utpote favens impiis et novatoribus religioso Statui infensis, ac sanæ doctrinæ non consona. Omnium enim catholicorum rectè sentientium, inquit Suarez (*De Relig.*, tract. 7, lib. 3, cap. 2, n° 4), sententia est tenendum esse quòd à Christo Status religiosus institutus fuerit, non quidem quoad formas ipsius accidentales, sed quoad ipsius substantiam: unde dici debet illum esse de jure divino, non præcipiente sed consulente; Suarez citat in probationem SS. Patres Athanasium, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, etc., et inter Theologos S. Thomam, Bellarminum et innumeros alios. Fundatur præcipuè hæc sententia super Evangelio S. Matth., c. 19, v. 12, 21; cap. 16, v. 24; et Epist. 1 ad Corinth., c. 7, v. 25-40: in quibus Christus ad tria consilia paupertatis, castitatis et obedientiæ exhortatur, et ad vota perpetua de illis facienda, in quibus consistit substantia Statûs religiosi ut supradiximus (2460). Vide Bouix (*De Regul.*, tom. 1, p. 123-129).

2509. Quærit. An etiam in primis Ecclesiæ exordiis exstiterint veri religiosi?

Resp. Quamvis, ex eo quòd ab ipsomet Christo Status religiosus fuerit quoad substantiam institutus, deduci posse videatur existere debuisse veros religiosos omni tempore, ac proinde statim à primordiis Ecclesiæ; attamen, cùm Christus Statum religiosum non tanquam obligatorium

instituit, meritò posset suspicari quòd reverà statim à primis Ecclesiæ sæculis veri religiosi non exstiterint: unde de hoc legitimè potest inquiri.

2510. Porrò non omninò concordes sunt eruditi circa hanc quæstionem : Thomassinus cum aliis pluribus negat exstitisse religiosos ante tertium vel quartum sæculum, et veluti institutores Ordinum religiosorum habet S. Paulum Eremitam et S. Antonium.

2511. Nihilominus alii plures à Bollandianis relati (*Examen libri Mariani Verhoeven*, tom. 1, p. 32, etc.) affirmant, etiam à tempore Apostolorum, veros adfuisse religiosos: et hanc sententiam variis auctoritatibus non contemnendis astruunt. Constat enim 1° ex iis quæ enarrantur in actibus Apostol., cap. 2, v. 44, 45 ; cap 4, v. 32, 34, 37; cap. 5, v. 1-10: ubi dicitur quòd *multitudini credentium, erat cor unum et anima una*, et quòd *erant illis omnia communia*, (quia) *possessiones et substantias vendebant et ponebant ante pedes Apostolorum* (qui) *dividebant ea omnibus prout cuique opus erat:* in quibus certè non est difficile invenire votum paupertatis; sed si non adfuisset etiam votum castitatis, non concipi posset quomodo permisissent Apostoli parentibus sic se spoliare in progenitorum detrimentum : cùm necessariò debeant parentes indigentiis filiorum suorum providere ; ergo dici debet quòd etiam castitatem vovebant : et hæc omnia faciebant sub regimine Apostolorum, id est, sub obedientiâ. Ita plures interpretantur verba citata Actuum Apostolorum : cui interpretationi adstipulantur multi è Patribus, S Cyprianus nempe, S Gregorius Nazianzenus, S. Joann. Chrysost., S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Fulgentius (Vide ap. D. Bouix, *ibid.*, p. 151) Ergo, saltem verisimiliter, Apostoli, quò magis desiderio ac ment divini sui Magistri et Salvatoris Nostri Christi se accommodarent, Ordinem religiosum statim instituêre.

Ne dicas verisimile non esse omnes primos Christianos fuisse religiosos : textus enim invocati non dicunt omnes omninò primos Christianos bona sua fecisse communia, quod sanè parum verisimile est, et non magis potest dici quàm dici potest omnes castitatem vovisse : unde

S. Petrus Ananiæ dicebat (cap. 5, v. 4) quòd in illius potestate erat retinere bona sua. Ergo non omnes primi christiani, sed magnus tantum eorum numerus tunc vendebat bona sua et vitam religiosam profitebatur.

2512. — 2° Valde etiam probabile est Essenos seu Therapeutas Ægyptiacos, temporum Apostolicorum coævos, religiosos fuisse : et sic reverà sentiunt multi à D. Bouix citati (*ib.*, p. 158); veros etiam fuisse religiosos illos primorum sæculorum qui *Ascetarum* nomine memorantur, difficile est nón admittere.

2513. — 3° Probat. variis monumentis : in actibus sinceris S. Bonifacii martyris, anno 290, sic legitur : « Beata » Aglae abrenuntiavit mundo et pompis ejus, universa » quæ habebat distribuens egenis; relaxans autem et » universam familiam suam diversi sexûs et ætatis à jugo » servitutis; sic cum paucis puellis cum eâ abrenuntiantibus, famulata est Christo.... Supervixit autem B. Aglae » in habitu sanctimonialis annos tredecim. »

Item in actis S. Febroniæ virginis, Nisibe in Mesopotamiâ martyrio coronatæ, anno circiter 304, quæ acta conscripta fuêre à Thomaide sanctimoniali, oculatâ martyrii teste, sic legitur : « Erat autem in oppido illo monas» terium feminarum, habens 50 ascetrias : his præerat » quædam nomine Bryene discipula olim Platonidis... » Talis porrò erat regula Platonidis.. » ; exponitur hæc regula ; narratur postea monachas omnes Bryene voluntati et regimini subjectas omnino esse, et strictæ clausuræ esse addictas ; sub fine additur omnes illius loci monachos cum suâ Archimandritâ ad sepulturam S. Febroniæ convenisse.

Constat pariter ex opere S. Cypriani *de habitu virginum sui temporis*, id est ante annum 258 quo martyrium passus est, floruisse virginum Deo dicatarum Institutum. (Vide ap. Bouix, *De Regul.*, tom. 1, p. 165.)

Ergo etiam primis Ecclesiæ sæculis exstiterunt religiosi et moniales.

2514. Objic. 1° Auctoritas S. Athanasii qui in vitâ S. Antonii affirmat illum fuisse primum monachum. Ergo, etc.

Resp. S. Athanasium non dixisse S. Antonium *fuisse primum monachum*, sed fuisse auctorem *quòd primùm etiam in montibus monasteria ædificarentur*, et quòd *eremus à monachis habitari cœperit*. Cæterùm juxta eumdem S. Athanasium, erant monasteria etiam ante S. Antonium, sed « nondum tam crebra erant in Ægypto ; neque ullus omnino *monachus* noverat *vastam eremum ;* sed quisquis sibi vacare cuperet, is haud procul à suo vico solitariè se exercebat. » Ergo nedum dicat S. Antonium fuisse *primum monachum*, contrarium positivè affirmat S. Athanasius.

Objic. 2° Auctoritas S. Hieronymi qui in Epistolâ ad S. Eustochiam virginem, ait : « Hujus vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius. » Ergo, etc.

Resp. Sic loqui S. Doctorem de solis anachoretis, ut contextum legenti facilè patebit; imò alios ibidem agnoscit exstitisse religiosos. Ergo nihil contra thesim deduci valet ex assertione S. Hieronymi. (Vide Bouix, *ibid.*, p. 166-171.)

PUNCTUM II.

DE INDEFECTIBILITATE STATUS RELIGIOSI.

2515. Christus, prout in puncto præcedenti asseruimus, instituit quoad substantiam Statum religiosum et ad illum amplectendum hortatus fuit, excitando ad praxim consiliorum evangelicorum : sicque voluit suam Ecclesiam in perpetuum fore sanctam ; porrò admitti nequit posse desinere in Ecclesiâ quod Christus instituit et ad cujus perpetuam praxim excitavit. Ergo Status religiosus est in Ecclesiâ perpetuò permansurus : « Que deviendrait le monde, s'il n'y avait pas de religieux, inquiebat Christus in quâdam revelatione S. Theresiæ factâ ? » Non benè ergo a quibusdam asseritur : « Les ordres religieux sont une superfétation dans l'Église, un bâton dans les roues de l'Épiscopat. » — Admitti tamen potest quòd Ordo aliquis religiosus in particulari possit aliquando deficere, imò quòd possit aut debeat supprimi, si incorrigibiliter depravatus fuerit. (Vide ap. Bouix, *De Regul.*, tom. 1, 172-183.)

ART. II.

DE CANONICA NORMA ERIGENDI RELIGIOSAS FAMILIAS NOVOSQUE EARUM CONVENTUS.

2516. Duo erunt paragraphi : in 1° dicemus de normâ novas erigendi religiosas familias; in 2° de normâ novos erigendi conventus.

§ I.

De normâ novum religiosorum Institutum canonicè erigendi.

2517. Ut illa norma benè intelligatur, tria hîc sunt expendenda : 1° lex quâ Ecclesia prohibuit ne quis novam instituat Religionem; 2° lex quâ prohibitæ sunt Congregationes monialium absque clausurâ et votis solemnibus degentium; 3° qualis requiratur et dari soleat Sedis Apostolicæ approbatio.

Sed antea, ad vitandas æquivocationes, determinandus est sensus quorumdam vocabulorum :

2518. — 1° Per *Religiones* seu, quod idem est, per *Religiones strictè dictas,* vel *formales*, juxta stylum Curiæ Romanæ, intelligenda sunt Instituta in quibus emittuntur vota solemnia.

Per *Congregationes verò religiosas*, intelligenda sunt Instituta, quæ essentiam quidem Statûs religiosi habent, sed ubi emittuntur duntaxat vota simplicia. Vide illud probatum etiam per Constitutiones Apostolicas, apud D. Bouix (*De Regul.,* tom. 1, p. 187-190).

2519. — 2° Vox *Ordo religiosus* habetur à Suarezio et Cajetano tanquam genus comprehendens tum Religiones propriè dictas, tum Congregationes sive propriè dictas, in quibus invenitur essentia Statûs religiosi, sive impropriè dictas, in quibus aliquid tantùm de Statu religioso reperitur : id est, vel unum votum, vel tria vota temporaria, vel vita communis sinè ullis votis. Auctores tamen non

pauci, recentiores præsertim, Religiones et religiosos Ordines pro synonymis habent.

2520. — 3° Vox autem Institutum religiosum, sumi potest vel in *stricto sensu*, quatenus essentiam Statûs religiosi exprimens, vel in lato sensu : et sic includit etiam vivendi modos qui Statum religiosum imitantur, id est Congregationes impropriè dictas de quibus modò dicebamus.

2521. — 4° Per approbationem Ecclesiæ quæ requiritur pro erigendis Religionibus, intelligi debent non tantùm judicium *de probitate* Instituti approbati, sed etiam *licentia et facultas* illud assequendi. Ita Suarez, apud D. Bouix (*ib.*, p. 192).

2522. — 5° Per *regulam* intelligitur norma vivendi in Religione ab aliquo constituta et à S. Pontifice approbata ut sit perpetua in Religione. *Constitutiones* autem et *Statuta* à solis Prælatis aut Capitulis religionum ordinantur : imò multoties ac pro temporum varietate mutantur, sine Pontificiâ auctoritate. Ita ex Suarezio. (Vide Bouix, *ib.*, p. 193.)

Sunt tamen Ordines, qualis v. g. Societas Jesu, qui non habentes regulam ab antiquo fundatore conditam, sua Statuta distinguunt *in Regulas et constitutiones* : in hoc casu distinctio est potiùs conventionalis quàm in re fundata. (Bouix, *De Regular.*, t. 2, p. 573).

« Les règles des religions, inquit S. Franciscus Salesius, proposent les moyens de se perfectionner au service de Dieu; et les Constitutions montrent la façon avec laquelle il les faut employer : comme, par exemple, cette règle commande qu'on vaque soigneusement aux prières ; et les Constitutions particularisent le temps, la quantité et la qualité des prières qu'il faut faire. » (*Règles des Sœurs de la Visitation, Préface.*)

« Distinctio Regularum et Constitutionum haud admittitur in novis Institutis: cùm regularum nomine veniant tantùm Regulæ antiquorum Ordinum quæ olim ab Apostolicâ Sede approbatæ fuerunt. *Hinc omnia sub nomine Constitutionum comprehendenda sunt.* » Ita Animadversiones S. C. Episc. et Regul., in Constitutiones

Congreg. Presbyterorum sub titulo NN..., expeditæ die 2 mart. 1861 et ab *Analectis* relatæ, 50e livr., col. 1554.

PUNCTUM I.

DE LEGE ECCLESIÆ PROHIBENTE INSTITUTIONEM NOVORUM ORDINUM RELIGIOSORUM.

2523. Sequens Decretum latum fuit ab Innocentio III, in Concilio Lateran. IV. (Lib. 3 Decret., tit. 36, c. 9) : « Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei » confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de » cætero novam Religionem inveniat : sed quicumque ad » Religionem converti voluerit, unam de approbatis assu- » mat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo » fundare, regulam et institutionem accipiat de appro- » batis. »

In rubricâ hujus capitis sic habetur : « Novam Religio- » nem non licet constituere sinè auctoritate Romani Pon- » tificis. »

Illud Decretum renovatum fuit à Gregorio X, anno 1274, in Concilio Lugdun. II, his verbis : « Repetitâ constitutione, » districtiùs inhibentes, *ne aliquis de cætero novum Ordi-* » *nem aut Religionem adinveniat*, vel habitum novæ » Religionis assumat. » Cap. *Religionem*, *de religiosis domibus* 17, in 6o.

Ergo exstat lex Ecclesiæ prohibens cujuslibet Religionis aut Ordinis non approbati inchoationem et ingressum.

2524. Circa hanc prohibitionem plura sunt notanda:

Nota 1o Ex unanimi DD. consensu, approbatio requisita ad novam Religionem aut Ordinem inchoandum aut ingrediendum, est approbatio S. Sedis : hoc constat 1o ex rubricâ superiùs memoratâ (2523); 2o ex eo quòd sola approbatio Romani Pontificis sit sufficiens pro omni loco et pro tollendâ omni dubitatione et difficultate : approbatio enim episcopalis necessariò restringi deberet intra limites alicujus diœcesis, et de illâ suboriri posset dubitatio, ab eâque proinde appellari; 3o sicut ex præfatis decretis utpote generalibus, colligi debet inhibitum fuisse etiam

Episcopis introducere novas Religiones aut Ordines, ita ex eis deduci debet Episcopis quoque prohibitum fuisse illos approbare; 4° sic præfata decreta interpretatus est Joannes XXII, in Extrav. *Sanctæ Romanæ*, tit. 7, *de relig. domibus*, ubi loquendo de quibusdam qui habitum religiosum et vivendi ritum existimabant se posse habere ex solâ Episcoporum aut Prælatorum approbatione, ait: « Nec eis (nempe » Episcopis aut Prælatis) concedere licuit, contra formam » Concilii Generalis. » Ergo, etc.

2525. *Nota* 2° Quòd illa lex non solùm sit prohibens, sed etiam irritans. Ita communiter DD., et constat ex præfatâ Decretali Joannis XXII ubi decernit Pontifex *nullius fuisse et esse firmitatis ipsorum Statum*, *et quidquid sub Religionis seu Congregationis nomine seu colore ab eisdem fuerit attentatum*. Sequitur aliunde ex naturâ Statûs religiosi, qui necessariò irritus et nullus est statim ac fit illicitus, uti ineluctabiliter efficitur per prohibitionem Ecclesiæ. (Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 1, p. 199.)

2526. *Nota* 3° Hæc prohibitio intelligenda est non tantùm de Religionibus, sed etiam de Congregationibus propriè vel impropriè dictis, non verò de sodalitiis seu confraternitatibus.

Reverà Decretum Innocentii III memorat duntaxat *Religiones;* sed eo tempore, significatio hujus vocabuli nondum restringebatur ad Instituta ubi vota emittuntur solemnia. Præterea Gregorius X utitur denominatione *Ordinis religiosi* quæ latiorem sensum habet (2519); imò Innocentius III decernit ut qui voluerit *religiosam domum* (sinè distinctione, proinde quamcumque) de novo fundare, *Regulam et Institutionem accipiat ex probatis :* sic tandem satis communis DD. sententia (nonnullis tamen exceptis) præfatam legem interpretatur : et reverà si secus esset interpretata, lex finem propositum non obtineret impediendi « ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam » Dei confusionem inducat. » Ergo, etc.

2527. *Nota* 4° Prædicta lex est intelligenda etiam de novo vivendi modo, sub Regulâ jam approbatâ : unde non sufficeret ei qui vult novam Religionem aut Congregationem instituere

ut assumeret unam ex quatuor magnis Regulis approbatis (S. Basilii nempe, S. Augustini, S. Benedicti, vel S. Francisci), ei addendo Constitutiones fini intento accommodatas; quia ex præfatis decretis, non solùm regula debet approbari, sed etiam Institutum et Ordo, quæ non solùm Regulâ, sed et Constitutionibus constituuntur et efficiuntur nova. (Bouix, *ib.*, p. 205.)

Ex his patet quòd, abstrahendo à contrariâ consuetudine fas non est Episcopis ullam novam Religionem aut religiosam Congregationem propriâ auctoritate erigere, instituere aut approbare; et quod secus ab ipsis fuerit attentatum, non tantùm graviter illicitum, sed et prorsus irritum foret.

2528. Quæritur an saltem ex parte abrogata fuerit præfata prohibitio novam Religionem aut novam Congregationem inveniendi absque Sedis Apostolicæ licentiâ?

Resp. Affirmativè; consuetudine enim videtur fuisse inductum ut novæ Congregationes cum solâ Episcoporum licentiâ possint inchoari; porrò agitur hìc de materiâ præscriptibili, cùm præfata prohibitio non fuerit confirmata à Concilio Tridentino; ergo ut legitima haberi potest consuetudo hujusmodi.

Existentia et legitimitas hujusce consuetudinis variis monumentis demonstratur : 1° Ex solâ episcopali licentiâ incœpit Institutum Joannæ Valesiæ, quod deinde, anno 1501, ab Alexandro VI fuit approbatum; 2° idem est dicendum de Congregatione Fratrum Scholarum Christianarum Beati De La Salle, approbatâ multò post ipsius institutionem à S. Sede, anno 1724; 3° sic incœperunt Maristæ de quibus sic effatur Gregor. XVI, in Brevi *Omnium gentium* quâ hanc Congregationem approbavit : « Non mediocri certè » voluptate affecti sumus, ubi accepimus dilectum filium » Claudium Colin et aliquos presbyteros diœcesis Bellicensis, *multis abhinc annis*, novæ religiosorum hominum Societatis fundamenta posuisse, titulo *Societatis* » *Mariæ*. » Idem est asserendum de multis aliis Congregationibus.

Constat insuper Curiam Romanam non concedere hodie

approbationem pro inchoandis novis Congregationibus, sed exigere ut inchoatæ fuerint; et eas duntaxat, quæ *jam inchoatæ* fuerunt, vel laudat solummodo, vel etiam approbat, remissâ ad aliud tempus Regularum approbatione; vel tandem Institutum simul et Regulas approbat et confirmat. Vide unum monumentum ejus praxis, in quâdam relatione Cardin. Orioli, anno 1848, ap. Bouix, *De Regul.*, tom. 1, p. 213.

2529. Ergo non ampliùs prohibet Ecclesia inventionem novarum Religionum et Congregationum, modò adsit approbatio Episcopalis. Vide Gautrelet, *Traité de l'état relig.*, tom. 1, p. 136, édit. 1853; *Analecta jur. pontif.*, 24ᵉ livr., janv. et fév. 1858, col. 493, ubi (col. 495) additur observatio sequens : « Lorsque le Saint-Siége a donné » son approbation aux constitutions qui régissent les com- » munautés (même sans clôture), tous les changements » ou les additions que l'on voudrait faire dans les Consti- » tutions ne peuvent avoir lieu qu'avec l'agrément du » Saint-Siége. »

PUNCTUM II.

DE LEGE QUA PROHIBITÆ SUNT CONGREGATIONES MONIALIUM ABSQUE CLAUSURA ET VOTIS SOLEMNIBUS DEGENTIUM.

2530. Bonifacius VIII sequens tulit Decretum : « Nulli » earum (monialium) Religionem tacitè vel expressè pro- » fessæ, sit vel esse valeat... monasteria ipsa deinceps » egrediendi facultas. » Cap. *Periculoso*, de *Statu regul.*, in 6°. Similiter Conc. Trid. (sess. 25, cap. 5, *de Regul.*) sic statuit : « Nemini autem sanctimonialium liceat, post *pro- » fessionem*, exire à Monasterio, etiam per breve tempus, » quocumque prætextu, nisi ex aliquâ legitimâ causâ, ab » Episcopo approbandâ. »

2531. Porrò cùm hujusmodi Decreta loquantur solummodo de monialibus *Religionem professis*, dicendum est in eis non comprehendi religiosas vota solemnia non emittentes, quod adhuc probatur Constitutione S. Pii V *Circa Pastoralis*, 29 maii 1566, ubi sermonem faciens de *Ter-*

tiarii[1] quæ in *Congregatione* viventes clausuram non servabant, decernit ut, vel solemnia vota emittant et sese clausuræ subjiciant, vel nullas in posterum possint recipere novitias. Ergò antea novitias poterant recipere, quamvis clausuram non servassent, nec emisissent vota solemnia.

2532. Etsi præfata Constitutio S. Pii V loquatur tantùm de Tertiariis, communiter Canonistæ supponunt eam esse intelligendam de omnibus aliis mulierum Congregationibus; et putant quòd S. Pontifex nominet solummodo Tertiarias, quia solæ tunc dicto modo vivebant. Hæc sententia niti potest auctoritate Bened. XIV, in Constit. *Quamvis*, 30 apr. 1749, ubi dicitur monasteria mulierum sinè clausurâ viventium esse *contra præscriptum Decretalis Bonifacii VIII, Decretum Concil. Trident. necnon Constit. S. Pii V, quæ incipit : « Circa Pastoralis. »*

2533. Hodie tamen frequenter hujusmodi Congregationes mulierum, sinè clausurâ et votis solemnibus viventium, approbantur et confirmantur ; eisque variæ gratiæ à S. Sede impertiuntur : solet quidem S. Sedes adjicere has vel similes clausulas : *citra tamen approbationem dicti Conventûs vel Conservatorii ;* vel : *non intendimus per præsentes ipsum Conservatorium in aliquo approbare;* ex quibus colligi potest hujusmodi Congregationes esse potiùs toleratas quàm formaliter approbatas : sed exinde concludi non debet Ecclesiam habere contra illas ullam repugnantiam ; præfata enim verba de stylo solùm usurpantur, ad significandam, inquit Bouix, talium monialium à cæteris distinctionem. Imò hujusmodi clausulæ non ampliùs hodie inseruntur, juxta auctorem *Prælect. S. Sulpitii*, n° 406 in fine, et *Analecta* (24e livr., col. 493 et 505, n° 321). Controvertitur tamen utrum hujusmodi moniales, in statu præsenti Ecclesiæ, essentiam Statûs religiosi habeant, et veræ et propriæ religiosæ sint nuncupandæ. Vide hanc quæstionem fusiùs discussam, ap. Bouix, *ib.*, p. 335-362, et dicta supra (2464, etc.).

[1] Qui vel quæ sint tertiarii et tertiariæ, à quo ortum duxerint et quæ sit illorum vel illarum hodierna conditio, vide apud Bouix, *De Regul.*, t. 1, p. 315, etc.

PUNCTUM III.

QUALIS REQUIRATUR SEDIS APOSTOLICÆ APPROBATIO AD NOVÆ RELIGIONIS AUT CONGREGATIONIS RELIGIOSÆ INSTITUTIONEM.

2534. — 1° Si agatur de inchoatione novi Instituti religiosi, sufficit vox *Approbamus* vel alia æquivalens.

2535. — 2° Si erigendum sit Institutum in Religionem strictè sumptam in quâ possint emitti tria vota solemnia, requiritur ut, vel in ipsâmet approbationis formulâ vel in formulâ Instituti approbandi, exprimatur vota emittenda fore solemnia : nam, prout supradiximus, non ex naturâ Statûs religiosi, sed ex institutione duntaxat Ecclesiæ vota possunt esse solemnia : ergo oportet ut expressè et positivè ab Ecclesiâ talia esse declarentur. Aliunde vota solemnia dirimunt matrimonium ; impedimenta autem matrimonium dirimentia existere nequeunt nisi expressè ab Ecclesiâ statuantur : ergo expressè, vel in formulâ approbationis vel in formulâ Instituti, exprimi debet vota in eo emissa, fore solemnia. Vox tamen *Approbamus* sufficit si in formulâ Instituti exprimatur vota fore solemnia.

2536. — 3° Vox *Approbamus* videtur etiam sufficere ut Institutum habeat essentiam Statûs religiosi, si formula seu modus vivendi hujusmodi Instituti, omnia, præter approbationem, contineat quæ ad hanc essentiam pertinent ; tria videlicet vota perpetua, traditionem suî et acceptationem factam nomine Dei et Communitatis (vide supra 2460-2466) : sic enim primùm fuerat approbata Societas Jesu à SS. Pontificibus Paulo III et Julio III ; et nihilominus S. Pius V *singulas personas* Societatis hujus declarat *verè et non fictè mendicantes fuisse, esse et fore, et inter aliorum... religiosorum mendicantium Ordines aliosque... religiosos mendicantes... connumerari debere.*

Illud etiam sequitur ex naturâ Statûs religiosi, qui necessariò existit quando in eo reperiuntur ea quæ ad ipsius essentiam pertinent.

2537. Attamen nonnulli, inter quos Melchior Cano, vo-

lunt non sufficere, in præfato casu, vocem *Approbamus*, sed requiri insuper ut exprimatur Institutum *acceptari tanquam veram Religionem*, *seu tanquam Statum religiosum propriè dictum*. Et reverà quædam sunt verba Constitut. *Quamvis justo* (30 apr. 1749) Bened. XIV, quæ huic opinioni favere videntur, et quibus ipsemet D. Bouix nescit aliter respondere quàm dicendo *verba Pontificis non esse decretoria sed tantummodo expositiva*, proinde non omnino infallibilia (*De Regul.*, tom. 1, p. 230, etc.). Sed fortè meliùs responderi posset dicendo quòd Bened. XIV affirmet tantùm in præfatâ Bullâ non sufficere approbationem et confirmationem Regularum; cùm etiam Instituti approbatio sit requisita (2527): sic enim habetur in dictâ Constit. *Quamvis justo:* « Ad essentiam Statûs religiosi..... (non) sufficit ab » eâdem Apostolicâ sede obtinuisse duntaxat approbatio» nem et confirmationem *Regularum* quas aliqua virorum » aut mulierum Societas sibi observandas præscripserit. »

2538. — 4° Si erigendum sit Institutum in Congregationem impropriè dictam, necesse est ut in formulâ approbationis, vel in formulâ Instituti exprimatur aliquid Statui religioso proprium ; alioquin non distingueretur à merâ Confraternitate: v. g., quòd habeat vitam communem sub alicujus Superioris regimine; sive absque votis, sive cum tribus votis ad tempus, sive cum solo voto castitatis. Sed si habeat tria vota exprimi debet quòd non sint perpetua, vel quòd hæc nequeant a quoquam, nomine Sedis Apostolicæ, acceptari. Secus enim non esset Congregatio impropriè dicta : unde, inquit D. Bouix (*De Regular.*, tom. 1, p. 236, 237), « cùm vellet Congregatio Missionis (*les Lazaristes*) habere tria vota perpetua, et nihilominus remanere sæcularis, opus fuit in approbationis Bullâ, expressè » decernere, ut nemo vota hæc acceptaret nomine Congre» gationis, aut Sedis Apostolicæ. Et nisi clausulam hanc » addidisset S. Pontifex, Lazaristarum Congregatio non » esset sæcularis, sed propriè religiosa, habens nempe » Statûs religiosi essentiam et veritatem. »

2539. *Nota* certissimum esse, imò de fide videri juxta Suarezium, non posse errare Pontificem approbando Re-

ligionem, quatenus per hujusmodi approbationem constet talem modum vivendi esse ex omni parte honestum, nihilque contra bonos mores includere. An etiam infallibilis sit Romanus Pontifex judicando opportunitatem introductionis novi Ordinis religiosi, non ita certum est; et Melchior Cano admisit in hoc posse errorem contingere : attamen communissimè DD. etiam in hoc admittunt S. Pontificem infallibilem esse. Vide Bouix. *De Regul.*, tom. 1, p. 237; et *Tract. de Ecclesiâ* apud Theologos dogmaticos.

Nota adhuc quòd in approbatione novarum Congregationum videatur solere inseri quòd « in Constitutionibus » mentio facienda est... de licentiâ à S. Congreg. Episcop. » et Regul. obtinendâ pro erectione et divisione Provin» ciarum, pro erectione domorum novitiatûs, de reser» vatione apostolicæ dispensationis votorum, deque ap» probatione Capitulorum generalium quâlibet vice impe» trandâ, etc. » Ita Animadversiones in constitutiones Presbyterorum sub titulo NN... expeditæ, 2 martii 1861, apud *Analecta*, 50° Livr., col 1554. Vide infra (2992).

§ II.

De Canonicâ normâ novos erigendi conventus.

2540. Inquiri potest an ad hujusmodi erectionem requiratur 1° Beneplacitum Sedis Apostolicæ; 2° licentia Episcopi diœcesani; 3° an sese opponere possint regulares et parochi in loco existentes; 4° qualis requiratur religiosorum vel monialium numerus; 5° an requisita pro erectione novi conventûs, requirantur etiam quando regulares in primum conventum redeunt.

PUNCTUM I.

AN AD NOVI CONVENTUS ERECTIONEM REQUIRATUR BENEPLACITUM APOSTOLICUM.

2541. Absque dubio, inquit Fagnanus in cap. *Non ampliùs, de Constit.*, ante Decretales Gregorii X, anno 12[illegible]3, et Bonifacii VIII, anno 1298 (Vide cap. *Religionum*, *de*

religiosis domibus, in 6°, et cap. *Cùm ex eo, de excessib. Prælat.*, in 6°), monasteria regularium jure communi cum solâ auctoritate Episcopi diœcesani erigi poterant : à tempore verò prædictarum Decretalium, necessarium fuit Beneplacitum Sedis Apostolicæ pro erigendis domibus Mendicantium : non erat verò necessarium pro erigendis domibus non mendicantium aut monialium, imò nec pro eremitis; unde, cùm à tempore Concil. Trident. (sess. 25. cap. 3, *De Regular.*) licitum fuerit religiosis quorumcumque Ordinum bona immobilia possidere (solis Capuccinis et Minoribus *De Observantiâ* exceptis) necessitas Beneplaciti apostolici restringenda videbatur ad solas duas familias S. Francisci. Contradicit tamen Ben. XIV, *De syn.* l. 9, c. 1, n° 9.

2542. Sed adhuc mutata fuit hæc disciplina per Bullam *Instaurandæ* Innocentii X, 22 octob. 1652, quæ legi potest integra apud Ferrarium (v° *Conventus*, art. 1, n° 5), et in quâ prohibetur quælibet erectio monasterii virorum, sive mendicantium sive non mendicantium, absque licentiâ Sanctæ Sedis. Lata fuit quidem hæc Bulla tantùm pro Italiâ et Insulis adjacentibus : unde plures post Fagnanum opinati sunt nihil fuisse mutatum quoad cæteras regiones (Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 1, p. 247-251); sed à tempore Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, cap. 1, n° 9) contraria invaluit opinio, etiam apud SS. Congregationes et Tribunalia Romana, quæ tenent omninò necessarium esse Beneplacitum S. Sedis pro erigendis novis conventibus, sive intra sive extra Italiam : hoc quidem adhuc controvertebatur tempore S. Liguorii, ut videri potest in ejus tractatu *De Privilegiis* (n° 88); sed hoc omninò indubitatum supponitur in quâdam consultatione pro cœnobio Clarissarum S. Mariæ Magdalenæ, Veronæ existenti, quæ legi potest apud *Analecta* (22° livr., col. 215), in quâ dicitur in substantiâ : « Par maxime invariable des auteurs, quoiqu'on » émette et qu'on observe les vœux de Religion en parti- » culier, on n'est pas religieux pour cela (sanè in sensu » strictiori), à moins qu'on ne fasse ces vœux dans une » communauté approuvée par le Saint-Siége, quand même » une ou plusieurs personnes se réuniraient en commu-

» nauté pour observer parfaitement une des quatre règles
» que l'Église reconnaît : si le Souverain-Pontife n'ap-
» prouve et ne confirme cette communauté, et ne leur
» concède la règle qu'on y observe, ces hommes ne sont
» pas religieux. »

2543. Item omninò necessarium esse Beneplacitum S. Sedis pro erectione conventûs monialium in quo *emittenda sunt vota solemnia*, sustinent eadem *Analecta* (*ibid.*, col. 223, etc.), et in probationem afferunt consultationem lectam coram S. Congr. Episcop. et Regular. pro causâ respiciente Galliam, in quâ affirmatur Bullam *Instaurandæ* Innoc. X esse applicandam monasteriis monialium, et quidem etiam extra Italiam, et taliter censuisse S. Congregat. Ad eamdem thesim stabiliendam multæ congeruntur Declarationes S. Congr. Episcoporum in folliculo eorumdem *Analectorum* mensis julii 1857 (21e livr., col. 74, etc.); imò in folliculo 40e livr., col. 192, *Analecta* Beneplacitum S. Sedis requirunt pro erectione Congregationum in quibus sola emittuntur vota simplicia : hoc tamen admissum non videtur in Galliâ, ubi solent monasteria mulierum erigi cum solâ Episcopi licentiâ[1]; porrò, inquit Bouix, sicubi praxis invaluit erigendi monasteria absque S. Pontificis licentiâ, non videtur cur damnanda esset, cùm in contrarium nulla lex allegetur præter Constit. Innocent. X supra relatam quæ, uti diximus, pro Italiâ et Insulis adjacentibus tantùm fuit promulgata. (Vide *De Regular.*, t. 1, p. 250.)

2544. In casu autem solius translationis conventûs ad alium ejusdem loci situm, etsi ibidem existant regulares habentes privilegium ne alii intra determinatam distantiam domum erigant, non requiritur Beneplacitum S. Sedis, nisi fortè privilegium præfatum etiam facultatem impe-

[1] Excipi tamen debet Provincia Avenionensis : sic enim habet ultimum Concilium Provinciale anni 1849 (tit. 7, cap. 1, no 2) : « Ut omnia » in Ecclesiâ Dei cum ordine fiant, nullum deinceps monasterium » regulare, sive virorum sive mulierum in nostrâ Provinciâ instituatur » absque S. Pontificis aut generali approbatione aut speciali conces- » sione, et licentiâ Ordinarii. »

diendi hujusmodi translationem expressè contineret. Vide Bouix (*De Regular.*, tom. 1, p. 258-260).—Ratio est quia translatio non est propriè erectio. Ita decisum à S. Congr. Episc. et Regul., 29 sept. 1687. Vide etiam *Instit.*, R. de M., pars 2, lib. 1, cap. 2, § 3.

PUNCTUM II.

AN AD NOVI CONVENTUS ERECTIONEM REQUIRATUR EPISCOPI LICENTIA.

2545. Licet jam habeatur Beneplacitum Apostolicum, necessaria est insuper licentia Episcopi, nisi in hoc expressè dispenset S. Sedes; constat ex Concil. Trident. (sess. 25, c. 3, *de Regular.*) : « Nec de cætero similia loca (monas- » teria nempe tam virorum quàm mulierum) erigantur » sinè Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentià » priùs obtentâ. » Vide etiam cap. *Pastoralis* 19, *de Privilegiis*, etc. Idem constat ex Constit. *Romanus Pontifex* Urbani VIII anni 1624, quâ sub pœnâ privationis vocis activæ et passivæ, necnon officiorum et inhabilitatis ad illa in futurum obtinenda, ac etiam excommunicationis, interdicitur Superioribus Ordinum quorumcumque recipere, erigere, fundare, seu aliàs quomodocumque instituere nova monasteria, collegia, domus, conventus, et alia loca regularia hujusmodi nisi de expressâ licentiâ Ordinariorum, servatâ in omnibus sanctorum canonum formâ. Vide Ferraris (v° *Conventus*, art. 1, n° 4), et *Prælect. S. Sulpitii*, n° 309. Ratio est quia concessio S. Sedis, nisi contrarium exprimat, censetur facta, salvo jure Episcopi.

2546. Hanc licentiam concedere nequit Vicarius Generalis absque speciali mandato, nec Vicarius Capitularis, Sede vacante.

2547. Attamen Episcopus licentiam erigendi novum conventum denegare non potest nisi ex justâ causâ; et contra hanc denegationem locus est appellationi, quæ juxta Constit. *Cùm aliàs* Gregorii XV, 17 aug. 1622, ad S. Congr. Episcop. et Regular. devolvi debet. Ita unanimiter DD. — Vide Bouix, *ib.*, p. 260-264.

2548. Imò requiritur tam licentia Papæ quàm Episcopi in reassumptione conventûs antea derelicti, ut respondit S. C. Episc. et Regul., 17 nov. 1617, ap. Ferraris. Vide *Inst.*, R. de M., pars 2, lib. 1, cap. 2, § 3.

PUNCTUM III.

AN ERECTIONI NOVI CONVENTUS SESE OPPONERE VALEANT REGULARES ET PAROCHI IN LOCO DEGENTES.

2549. — I. Quoad *regulares in loco existentes*, duæ sunt Constitutiones hic referendæ : *Prima* Clementis VIII, 23 julii 1603, incipiens *Quoniam*, sic habet : « Declaramus » locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos con- » ventus cujuscumque mendicantium Ordinis, in civita- » tibus et locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis, » erigendos impertiri, nisi vocatis et auditis aliorum in » eisdem civitatibus et locis existentium conventuum » Prioribus seu Procuratoribus, et aliis interesse haben- » tibus, et causâ, servatis servandis, cognitâ, constiterit » in eisdem civitatibus et locis, novos hujusmodi erigendos » conventus, sinè aliorum detrimento commodè sustentari » posse. Si verò ab eorum, in hujusmodi causis, sententiis, » ad Nos et Apostolicam Sedem provocari et appellari con- » tigerit, ipsos Ordinarios tamdiù erectionem novorum » conventuum suspendere debere, quousque à Nobis et » Apostolicâ Sede in eâdem causâ pronuntiatum exstiterit : » et irritum nihilominus et inane decernentes quidquid » secus super his, à quoquam, quâvis auctoritate, scienter » vel ignoranter contigerit attentari. »

Secunda autem Gregorii XV, 17 aug. 1622, incipiens *Cùm aliàs* confirmat præcedentem, et prohibet ne ullibi conventus regularium cujuslibet Instituti erigatur : « Nisi... » Priores seu Procuratores aliorum monasteriorum, con- » ventuum, seu domorum aliarum Religionum... non » solùm in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia » passuum circumvicinis locis, ad id vocati et auditi fue- » rint et tali erectioni consenserint; vel aliàs Ordinariis » locorum constiterit religiosos monasterii, conventûs seu

» domûs regularis sic erigendi seu erigendæ, absque
» detrimento religiosorum, in monasteriis seu domibus
» ante in.... locis hujusmodi erectis degentium, ibi in
» numero duodecim commodè et congruè manuteneri et
» ali posse. »

2550. Ex his constat : 1° Episcopum posse concedere licentiam erigendi novum conventum, haud vocatis vel auditis Superioribus vel Procuratoribus aliorum conventuum, si aliunde satis ipsi constet novum hunc conventum absque aliorum detrimento erigi posse. Id expressè concedit Gregor. XV, in præfatâ Constitut. *Cùm aliàs.*

2551. — 2° Si hoc Episcopo non constet, tenetur prædictos Superiores aut Procuratores, intra quatuor millia passuum exstantes[1] vocare et audire, et in hoc casu eorum consensus necessarius est; sed ad hoc non tenetur Episcopus pro conventibus monialium, ut probare videtur praxis S. Congr. quæ Constit. Apostolicas modò relatas monialibus non applicat, juxta Monacelli, ap. Bouix, *De Regular.*, t. 1, p. 267.—Contradicit tamen S. Liguor., *De Privilegiis*, n° 88, in fine.

2552. « Si... nulli alii regulares inibi reperiantur, inquit
» Gregorius XV in prælaudatâ constitutione, Ordinarii
» locorum nihilominus diligenter inquirant an locorum
» incolæ, quorum et *consensum* requirant ac adhibeant,
» hujusmodi 12 religiosos... commodè alere et manutenere
» valeant... Irritumque et inane quicquid secus... contigerit
» attentari decernentes. » Unde in casu quo non sunt in loco alii regulares, consensus incolarum requiritur, si ipsorum eleemosynis conventus sit sustendandus, nisi Episcopo constiterit eos aliunde posse sufficienter sustentari.

2553. « Prædictæ conditiones non requiruntur in dandis
» hospitiis religiosorum, saltem si ibi non recipiant missas
» et non habeant ecclesiam. Neque requiruntur in trans-
» lationibus monasteriorum quæ possunt fundari sinè

[1] Pro certis religiosorum Ordinibus aliæ assignantur distantiæ, sed non pro civitatibus. Vide S. Liguor., *De Privilegiis*, n° 88.

» consensu Pontificis, nec Episcoporum, nec aliorum » monasteriorum, dummodo translatio non afferat iis præ- » judicium. » S. Liguor., *De Privil.*, nº 89. Sed vide infra (2566).

2554.— II. *Quoad loci parochum:* certum est eum posse se opponere erectioni novi conventûs, si ejus causâ detrimentum ei obveniat.

Sed multùm disceptatur inter canonistas an teneatur Episcopus eum vocare ut audiat : affirmant Pignatellus, Cardin. Petra, Schmalzgrueber, Leurenius et Reiffenstuel, et nituntur Constitutione *Quoniam* supra citatâ Clementis VIII (2549), ubi dicitur quòd non solùm sunt *citandi et audiendi Priores seu Procuratores* conventuum localium, *sed etiam alii interesse habentes;* negant tamen plures alii, videlicet Passerinus, Bordonius, Pasqualigus, Bollandiani, et cum eis D. Bouix (*De Regul.*, tom. 1, p 273) qui sic suam tuetur sententiam :

Si Episcopus teneretur citare et audire parochum antequam concederet licentiam novum conventum erigendi, hoc procederet vel vi Constitutionum Apostolicarum supra relatarum, vel ex aliis Ecclesiæ Decretis; porrò neutrum dici potest.

2555. Non tenetur 1º : Vi præfatarum Constitutionum : in eis una tantùm phrasis in gratiam oppositæ sententiæ allegatur, ista scilicet : *et aliis interesse habentibus;* porrò ex hâc phrasi nihil in favorem adversariorum deduci valet, modò hæc verba de solis regularibus sint intelligenda, prout reverà res se habet : nam 1º scopus illarum Constitutionum est ut in erectione novorum conventuum, præcaveatur damnum quoad præexistentes conventus, quod patet ex proemii verbis : « Ut in quibusque civitatibus et » locis, novæ domus et monasteria præsertim mendican- » tium non erigantur nisi in eisdem... *aliorum domorum » et monasteriorum in eis existentium habitâ ratione, com- » modè sustentari posse dignoscantur : hâc igitur conside- » ratione ducti*, etc. »—2º Ex *ultimo phraseos membro :* decernit quippe Pontifex concedendas non esse ab Episcopis licentias, « nisi constiterit *novos* hujusmodi erigendos

» *conventus*, sinè *aliorum* detrimento commodè sustentari » posse : » ubi voce *aliorum* profecto intelligendum est *conventuum* per oppositionem ad *novos ;* et cùm non addatur *aut parochiarum*, vel aliquid simile, manifestum fit quòd Pontifex de solo detrimento conventuum præexistentium sermonem faciat. Porrò, inquit Bouix, si per *alios interesse habentes* intellexisset alios præter regulares, vocibus *sinè detrimento aliorum* (conventuum), procul dubio addidisset, vel *sæcularium ecclesiarum*.—3° De solis regularibus verba *et aliis interesse habentibus* intelligi possunt et debent :—*possunt* quidem de illis solis intelligi, cùm nihil in Decreto cogat ad alium sensum hæc verba convertere : —*debent* autem sic intelligi, cùm enumeratis Prioribus et Procuratoribus, non comprehenderentur Superiores aut officiales cæterorum conventuum qui nomine *Priorum* et *Procuratorum* non solent nuncupari; unde si de aliis regularibus non intelligantur verba *et aliis interesse habentibus*, non omnes interesse habentes Superiores comprehenderentur in Decreto, et incompleta esset phrasis; ergo, inquit D. Bouix, de solis regularibus intelligenda sunt verba *et aliis interesse habentibus*. Ergo nihil probant in gratiam eorum qui volunt parochos esse citandos et audiendos ab Episcopo in erectione novorum conventuum.

2336. Non tenetur 2° parochum vocare ex aliis Ecclesiæ decretis. Nulla enim ab adversariis allegantur præter præfatas Constitutiones, quæ tamen, ut vidimus modò, in eorum gratiam nihil evincunt. Ergo, etc.

2337. Ex iis sequitur quòd si ad erectionem novi conventùs non sit opus ut citetur et audiatur parochus, ergo à fortiori non requiritur prævius ipsius consensus : imò, etsi deberet citari, non exinde sequeretur ipsius consensum fore necessarium, ut satis patet. Reverà ex Constit. Gregor. XV aliquando necessarius est consensus Priorum seu Procuratorum aliorum conventuum in loco exstantium, aut aliquando etiam incolarum, prout diximus supra; sed nihil omninò simile dicitur de parocho in præfatâ Constitutione. Attamen Pignatelli et nonnulli alii existimârunt requiri consensum parochi; sed vide ap. D. Bouix quàm

debilia sint eorum argumenta (*De Regul.*, t. 1, p. 284-287).

2558. Etsi parochus non sit necessariò citandus, attamen, ut supradiximus (2554), jus habet se opponendi erectioni novi conventûs, si ipsius jura ex eâ lædenda essent.

Quæritur ergo 1° ob quorumnam jurium læsionem posset parochus sic se opponere?

Resp. Duplicis generis esse præjudicia quæ alicui inferri possunt: *strictè sumpta* nempe, quatenus commodo ad *quod jus habebat* aliquis privatur: et *impropriè dicta* quibus privatur commodo quidem aliquo, sed ad quod jus non habebat: v. g., si alicujus merces furentur aut malitiosè comburantur, privatur is bono ad quod jus habebat, et hoc est præjudicium strictè dictum; si verò minueretur ipsius lucrum, quia alius mercator superveniret eamdem mercaturam exercens, tunc privaretur beneficio ad quod jus non habebat, et est in hoc casu præjudicium impropriè dictum; duplici hoc modo præjudicium potest etiam fieri parocho.

2559. Porrò parochus non posset quidem se opponere erectioni novi conventûs, si fieret à S. Pontifice cum expressâ derogatione jurium parochialium, cùm S. Pontifex possit hoc facere; sed posset dictæ erectioni se opponere si fieret ab Episcopo, casu quo præjudicium strictè dictum ipsi inferretur: estque *doctrina hæc communiter recepta atque ab omnibus tenenda*, inquit D. Bouix (*De Regul.*, tom. 1, p. 290); et probatur cap. *Intelleximus*, *de nov. oper. nunt.*, ubi dicitur: « Nulla ecclesia in præjudicium est » alterius construenda. » — Casu autem quo sacerdos curam animarum gerens in parochiâ est vicarius alterius qui curam habitualem habet, ab isto non verò à vicario fieri potest oppositio. Ita Ferraris (v° *Conventus*, art. 1, n^is 41-44).

2560. Non autem potest parochus prædictæ erectioni se opponere ex eo quòd ipsi inferat præjudicium impropriè dictum: nam si hoc ipsi liceret, esset præsertim ob secuturam imminutionem concursûs populi in ecclesiâ parochiali, vel ob imminutionem oblationum spontanearum ipsi aut parochiæ suæ obvenientium, vel ob similia; atqui parochus ob

hujusmodi præjudicia non potest se opponere erectioni præfatæ : et constat ex iis quæ dicta fuerant à S. C. Concil. in causâ *Sarzitanensi*, 19 decemb. 1772 ; et resoluta fuerunt in multis aliis causis à D. Bouix relatis (*ib.*, p. 292, 293). Præterea si jus haberet parochus se opponere propter talem causam, nulla ecclesia aut conventus posset unquam de novo erigi, quod nonnisi absonè diceretur. Ergo, etc.

2561. Sicubi tamen parochus ad honestam sustentationem non haberet nisi spontaneas fidelium oblationes, justa ipsi esset causa suum fundationi denegandi consensum, si ex eâ notabiliter imminuendæ forent hujusmodi oblationes. Ita D. Bouix (*ib.*, p. 301).

2562. Quærit. 2° Quænam sint jura parochialia quorum læsio parocho præberet jus se opponendi erectioni novi conventûs?

Resp. Sequentia jura, juxta Abbatem, ad parochum pertinent : 1° jus ut parochiani diebus festis de præcepto audiant missam in ecclesiâ parochiali (sed hoc hodie non est ampliùs de præcepto); 2° ut recipiant sacramenta à parocho : quod hodie reductum est ad Eucharistiam in Paschate et in morte (quo casu, etiam ad Extremam-Unctionem), et ad matrimonium ; 3° ut sepeliantur fideles in suâ parochiâ, nisi habuerint sepulchrum majorum, aut in aliâ ecclesiâ elegerint sepulturam, quibus in casibus reservantur parocho certa emolumenta, de quibus diximus supra (1426-1428) ; 4° ut ecclesiæ parochiali solvantur decimæ et oblationes juxta consuetudinem uniuscujusque diœcesis. Sic Abbas et alii plures à D. Bouix citati (*ibid.*, p. 289). Porrò manifestum est hujusmodi jura ordinariè non esse læsa per erectionem novi conventûs : unde rarissimè parochus habet jus se opponendi hujusmodi erectionibus.

PUNCTUM IV.

DE REQUISITO RELIGIOSORUM NUMERO PRO ERECTIONE NOVI CONVENTUS.

2563. Sequens Decretum tulit Concil. Trident. (sess. 25, cap. 3, *De Regul.*) : « In prædictis autem monasteriis et

» domibus tam virorum quàm mulierum, bona immobilia
» possidentibus vel non possidentibus, is tantùm numerus
» constituatur ac in posterum conservetur, qui, vel ex
» redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis
» eleemosynis commodè possit sustentari. »

In suâ Constit. *Cùm aliàs*, 17 aug. 1622, Gregorius XV magis expressè determinavit numerum religiosorum : « De » cætero, inquit, monasterium, conventus, domus, Con» gregatio, vel Societas religiosorum..... cujuscumque » Ordinis... et Instituti, quocumque nomine nuncupentur, » non erigantur, nisi in eo saltem duodecim fratres aut » monachi seu religiosi inhabitare ac ex redditibus et con» suetis eleemosynis sustentari valeant. »

2564. Non absolutè tamen prohibentur erigi conventus in quibus pauciores sint aut sustentari valeant quàm duodecim religiosi : nam, 21 junii 1625, jussu et auctoritate Urbani VIII, prodiit Decretum S. Cong. Conc. in quo, renovatà prohibitione Gregorii XV conventus erigendi si in eis non sint saltem duodecim religiosi, additur : « Alio» quin monasteria et loca hujusmodi posthac recipienda, » in quibus duodecim religiosi, ut supra, sustentari atque » inhabitare non poterunt, et actu non habitaverint, Or» dinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodæ » jurisdictioni subjecta esse intelligantur. » Decretum illud reperitur apud Ferraris, v° *Conventus*, art. 1, n° 27. Ex quo legitimè concludi potest posse quidem hodie erigi conventus absque 12 religiosis, sed tunc non esse exemptos à jurisdictione episcopali. (Vide Bouix, *De Regul.*, tom. 1, p. 303 303.) Exempti tamen sunt, si sex adsint. (S. C. Episc., 12 maii 1741. V. *Rev. des Sc.* t. 16, p. 334.

PUNCTUM V.

AN REQUISITA PRO ERECTIONE CONVENTUS VIRORUM NECESSARIA PARITER SINT PRO ERECTIONE CONVENTUS MONIALIUM, VEL PRO REASSUMPTIONE PRISCI CONVENTUS.

2565. Affirmat generatim Ferraris cum aliis nonnullis (v° *Conventus*, art. 1. n° 31); econtra generaliter negat D. Bouix, qui non habet ut necessarium Beneplacitum

Apostolicum, saltem extra Italiam et Insulas adjacentes; sed ipsi adversantur *Analectà*, quantùm ad erectionem monasteriorum monialium vota solemnia emittentium (21° livr., col. 74; 22° livr., col. 168 et seq.). Insuper juxta Bouix, requirendus non est consensus aliorum monasteriorum ad normam Constit. Clem. VIII et Gregorii XV supra relatarum (2549), quia de monialibus non loquuntur; nec in eis reperiri debet numerus 12 monialium propter eamdem rationem; sed adhuc *Analecta* huic assertioni contradicunt (22° livr., col. 169) quoad moniales solemnia vota emittentes. Juxta autem omnes necessaria est Episcopi licentia: quia hæc etiam pro monialibus fuit præscripta à Concilio Trident. (sess. 25, c. 3, *De Regul.*). Vide Bouix (*ibidem*, p. 305-308).

2566. Quoad *reassumptionem prisci conventûs:* vel religiosi, qui priscum conventum reassumunt, ab eo fuerunt injustè expulsi, vel illum dereliquerunt: de primo casu dicemus infra (2580, etc); pro secundo casu, refertur à D. Bouix responsio S. C. Episcop. et Regular., 17 nov. 1617, directa ad Archiepiscopum Turritanum, in quâ dicitur omnino tunc esse servanda requisita pro erectione novi conventûs. (Bouix, *ib.*, p. 309.)

ART. III.

DE CONDITIONE CANONICA REGULARIUM VI DISPERSORUM ET CIVILI EORUM CONDITIONE IN PRÆSENTI GALLIÆ STATU.

§ I.

De regularibus vi dispersis.

2567. Illorum conditio est expendenda, 1° durante dispersione; 2° post reditum ad pristina loca.

PUNCTUM I.

DE CONDITIONE CANONICA REGULARIUM VI DISPERSORUM, DURANTE DISPERSIONE.

Dicemus de illorum obligationibus et juribus.

I

RELIGIOSORUM DISPERSORUM OBLIGATIONES.

2568.—1° Religiosi vi dispersi, durante ipsorum dispersione votis suis obstricti remanent : ita communiter DD., et constat Brevi Pii VI ad Brunensium Episcopum ubi loquens de quibusdam Carthusianis, temporum calamitate dispersis, ait : « Quisque debet versari in sæculo, memor vocationis » suæ, ejusque tenax disciplinæ et vitæ regularis cui se » pridem adscripserit, vota solemnia quæ *semper firma,* » *semperque immota permanebunt*, custodiat et servet. » Apud Bouix, *De Regular.*, t. 1, p. 346.

2569. Item in suo robore permanere solemnia vota religiosorum quorum Ordo supprimitur, est omnino certa et tenenda DD. sententia : « solùm eis permittitur, inquit Car- » din. De Luca, vivere in sæculo et in habitu clerici sæcu- » laris, sub obedientiâ Ordinarii. » (Bouix, *ib.*)

2570. 2° Nequit Episcopus dispersos regulares suæ diœcesis, quorum Institutum est approbatum à S. Sede, eximere à suis regularibus obligationibus et observantiis cum statu dispersionis compatibilibus; sed solâ auctoritate pontificiâ aut morali impossibilitate eximi possunt : ratio patet et clarè innuitur in Brevi Pii VI modò citato. (Bouix, *ib.*, p. 347, 348.)

2571.— 3° Regulares dispersi (et idem est dicendum de ejectis, et de casu suppressionis Ordinis) voto solemni paupertatis ita obstringuntur, ut omnino remaneant dominii incapaces : hoc sequitur ex dictis supra in 1°; nam in suo robore permanere non potest votum solemne quin eo ipso omninò incapax dominii sit qui tale votum emisit.

2572. Attamen, non obstante hujusmodi voto, possunt regulares dispersi licitè et validè res sibi utiles aut necessarias (non verò voluptuarias aut suo statui religioso incongruas) comparare, pecuniam apud se habere, et varios emptionis, venditionis et donationis contractus inire. Hæc enim omnia possunt peragere religiosi ex Prælatorum licentiâ et deputatione; porrò in casu dispersionis meritò

præsumitur hujusmodi deputatio : tunc enim unusquisque, ipso facto, deputatur quasi suî ipsius œconomus, saltem pro omnibus casibus in quibus non potest haberi ad Superiorem recursus. Bouix, *ib.*, p. 348-349.)

2573. Unde post suppressionem Ordinum religiosorum à Gubernio factam in Galliâ, anno 1793, regulares voto solemni ligati potuerunt ex licentiâ expressâ vel præsumptâ Superiorum, hæreditates sibi obvenientes civiliter acquirere, et alios opportunos actus exercere, remanente eorum incapacitate et illæsâ voti solemnitate.

2574. Nec obstat quòd vi particularis juris, *mortis nempe civilis in Galliâ* olim vigentis, bona regulari obvenientia non ad monasteria pertinuerint, sed ad eos qui ea obtinere debuissent si religiosus obiisset ante suam professionem : ex quo sequitur monasteria nullum posse deputare pro administratione hujusmodi bonorum : — hoc, inquimus, non obstat; nam hoc jus particulare religiosos à jure communi, vi cujus omnia ipsorum bona ad monasterium pertinent, eximere non poterat in conscientiâ, nisi quatenus ab Ecclesiâ fuerat approbatum : porrò Ecclesia certè illud non approbaverat nisi lex civilis Ordines religiosos agnosceret : ergo statim ac lex civilis suppressit Statum religiosum, non ampliùs Ecclesia approbavit quòd bona regularibus obvenientia ad alios quàm ad monasteria pertinerent. Ergo post suppressionem Ordinum religiosorum, religiosi in Galliâ potuerunt cum expressâ vel præsumptâ Superiorum suorum licentiâ, legitimè acquirere hæreditates aut alia bona sibi obvenientia, et de illis disponere.

2575. — 4° Religiosi dispersi legitimis suis Prælatis remanent subjecti et debent obedire; solet tamen S. Pontifex, pro dispersionis tempore, Episcopum diœcesanum in legitimum Prælatum eis assignare, qui defectu Superiorum eos regat et gubernet. Hæc sequuntur ex eo quòd illorum vota non fuerint per dispersionem extincta.

Nulla potest esse difficultas pro voto castitatis. Vide Bouix, *De Regul.*, tom. 1, p. 353.

II

DE JURIBUS REGULARIUM VI DISPERSORUM, DURANTE DISPERSIONE.

2376. Facto violentæ expulsionis et dispersionis, religiosi non amittunt jura et privilegia sua : nemo enim spoliatur jure suo eò quòd vis ipsi inferatur : unde regula juris 64, in 6°: « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis » haberi. » — Præterea privilegia à Romano Pontifice alicui instituto concessa, tamdiù durare debent quamdiù Institutum seu Societas religiosa est duratura : porrò, etsi dispersa sint membra Instituti religiosi, non ideò desinit ipsa Societas, cùm subsistat adhuc auctoritas cui omnes parere debent juxta regulam. Estque illud commune omnibus hominum collectionibus quæ jus aut potestatem possident; et hoc deducitur ex ipso jure romano: L. *sicut* ff. *Quod cujusque universitatis :* ex eo quòd, v. g. Canonici Cathedralis dispersi fuerint, non ideo desinunt Capitulum constituere; nec novâ institutione indigent ut capitulariter de novo valeant coadunari. Ita communiter apud Bouix, *ib.*, p. 354-359.

2377. Igitur, etiam dispersis religiosis, Ordines regulares retinent potestatem Congregationem perpetuandi cum omnibus juribus et privilegiis; proinde servant potestatem novitios recipiendi et eosdem admittendi ad professionem; novos conventus, servatis servandis, erigendi; imò illa jura et privilegia permanent quamdiu superest aliquod membrum Societatis, etsi unus tantùm supersit, siquidem, etiam in uno religioso superstite, Institutum religiosum subsistit, ut constat ex Brevi *Cùm sicut* Pauli V, 24 decemb. 1612, circa quamdam Congregationem Anglo-Benedictinam, quæ propter schisma Henrici VIII, ad unicum religiosum, Sigebertum nomine, fuerat reducta, et quam declaravit S. Pontifex per hunc unicum religiosum, sua jura et privilegia servavisse. Ita D. Bouix (*ib.*, p. 356-358).

2378. Sed hoc intelligi debet de juribus Ordini in genere, non de juribus unicuique domui concessis : nam, juxta *Analecta* (22° livrais., col. 70, etc.), duodecim moniales

requiruntur, etiam in casu reditûs ad priscum monasterium, ut domus sua possit privilegia recuperare.

PUNCTUM II.

DE REGULARIBUS DISPERSIS AD PRISTINA LOCA REDEUNTIBUS.

2579. Tres sunt casus distinguendi : vel, regularibus redeuntibus, antiqui conventus restituuntur ; vel alias ædes coguntur sibi habitandas procurare, eò quòd antiquæ dirutæ fuerint aut sunt injustè detentæ ; vel tandem ad id coguntur eò quòd antiquæ legitimè, auctoritate S. Sedis, fuerunt alienatæ :

2580. — 1° Si regularibus redeuntibus antiqui conventus restituantur, reassumi possunt ab ipsis sinè licentiâ nec S. Sedis nec Ordinarii ; sequitur ex dictis in puncto præcedenti ; et si conventus dispersus pars duntaxat erat alicujus Congregationis, alii religiosi præter antiquos, mitti à Prælatis possunt in conventum reassumptum, quia jus illum reassumendi ad Præpositos generales pertinet ; excipiendæ sunt tamen moniales quæ clausuræ papali subjiciuntur : siquidem S. Pontifex solus potest hujusmodi clausuram statuere et in eâ dispensare. (Vide *Analecta*, 21° livr., col. 98-100.)

Si dirutum fuisset monasterium, nihilominus reædificari posset à religiosis redeuntibus, sinè formalitatibus pro novi conventûs erectione requisitis ; sed hoc non ab omnibus admittitur, ut videre est apud D. Bouix (*De Regul.*, tom. 1, p. 363).

2581. — 2° Item, absque dictis formalitatibus, regulares redeuntes (sive iidem, sive alii religiosi ejusdem Ordinis regulariter professi) novas ædes, si antiquæ dirutæ aut injustè detentæ sint, sibi acquirere possunt, sinè jacturâ priscorum suorum jurium et privilegiorum. Id concluditur ex eo quòd illi regulares, certò, ante suam dispersionem, habebant jus conventum suum in alium situm ejusdem loci convertendi. Excipe tamen denuò cum *Analectis jur. pontificii* (22° livr., col. 168, n° 69) si ageretur de monialibus solemnia vota profitentibus : quia vivere debent sub clau-

surâ quæ à solo Papâ sit statuta. Vide Bouix (*ib.*, p. 365-368, etc.).

2582.— 3° Similiter, circa casum quo monasterium alienatum fuisset auctoritate S. Sedis, non benè sibi concordant D. Bouix et auctor *Analectorum jur. pontificii* · iste enim (22e livr., col. 217), loquendo de monialibus vota solemnia profitentibus, asserit ipsas non posse sinè S. Sede se transferre ad aliam domum etiam ejusdem loci : « Cette ratification (du Saint-Siége), inquit, ayant réellement sécularisé la fondation religieuse, a supprimé l'ancienne » érection émanée du Saint-Siége... Donc, à ce seul et » unique point de vue, les monastères ne pouvaient pas » être rétablis sans le Saint-Siége ; » nec etiam in idem monasterium, si contingeret illud recuperari. Dominus Bouix econtra generaliter affirmat quòd alienatio monasterii in casu supposito, non perimit jus regularium conventualiter in eâdem civitate et loco, licet in æde diversâ, existendi; ratio est, juxta eumdem, quòd jus concessum in aliquâ civitate conventualiter vivendi, non restringitur ad unum determinatum ædificium; eò quòd, ut supradiximus (2544), religiosi gaudent jure se transferendi ad alium ejusdem loci situm. (Bouix, *De Regul.*, p. 372-375.)

In hoc ultimo sensu pronuntiârunt DD. Lovanienses, ante annum 1630 : agebatur in dubio ipsis proposito de regularibus Angliæ et Hiberniæ quorum monasteria Sedis Apostolicæ auctoritate fuerant alienata; et à Facultate Lovaniensi quærebatur utrum præfati regulares, in iisdem civitatibus ubi olim habuerant monasteria, possent validè et licitè, sinè novâ approbatione Ordinariorum, alias domos sibi acquirere cum juribus et privilegiis quibus gaudebant in priscis monasteriis, et *affirmativè* à dictis DD. fuit responsum. Ergo, etc. Insuper nisi id positivè exprimat S. Pontifex, alienando monasterium, non est præsumendus voluisse spoliare regulares jure existendi in eâdem civitate. Ergo, etc. Quantacumque autem sit vis horum argumentorum, non videntur probare quoad moniales vota solemnia emittentes, cùm istæ vivere debeant sub clausurâ quæ à Papâ sit approbata, ut sæpe jam diximus (2507, 2543).

2583. — *Corollarium.* Ex modò dictis D. Bouix colligit antiquos Galliæ et Belgii regulares potuisse, sinè novâ licentiâ S. Sedis aut Ordinarii (modò adhuc fuerint canonicè constituti), novos conventus acquirere in locis ubi antea alios habebant, iisdemque, in eis, juribus ac privilegiis gaudere ac in priscis, excepto tamen jure in bona alienata auctoritate S. Sedis.

Suam conclusionem D. Bouix probat hâc ratione quòd, alienando bona monasteriorum, S. Sedes non intenderit ipsos Ordines religiosos supprimere in Galliâ, et quòd talis non fuerit S. Sedis intentio constat : 1° ex eo quòd nihil est in Concordato quod hanc insinuet ; 2° quia in Bullâ *Ecclesiæ Christi*, etsi Pius VII Concordato etiam quoad monasteriorum fundationes voluerit derogare, hoc fecit tamen (sunt verba ipsiusmet Pontificis), « *ad præmisso-* » *rum effectum duntaxat, cæteris aliàs in suo robore per-* » *mansuris.* » Ergo fundationes monasteriorum non fuerunt per Concordatum revocatæ, nisi quatenus concessionibus Concordati erant contrariæ ; porrò ob solam restitutionem bonorum quæ ad ipsa pertinuerant, impediebatur integra Concordati exsecutio. Ergo sub hoc respectu tantùm fundationes priscorum conventuum fuerunt revocatæ per Concordatum. — Et reverà pluries, vivâ voce, Pius VII declaravit Ordines religiosos fuisse quidem oppressos, non verò suppressos.

Imò S. Sedes, per suum Legatum Card. Caprara, contra undecimum articulum legis organicæ, in quo suppressa decernuntur *omnia Instituta ecclesiastica*, præter Capitula Cathedralia et seminaria, publicè reclamavit, dicendo : « Ec- » clesiæ solius erat eorum decernere *suppressionem.* » Ergo Ecclesia Instituta illa non suppresserat 18 aug. 1803.

2584. Re quidem verâ 4 junii 1803, idem Card. Legatus declaravit : « De expresso mandato et auctoritate Sanctis- » simi, omnes et singulos utriusque sexûs exemptos, in » territorio Gallicanæ Reipublicæ existentes, *in præsenti* » *statu*, ab obedientiâ suorum respectivè Ordinis Superio- » rum liberos et solutos esse ; eosque in habitu sæculari » decenti incedentes, firmo tamen singulis remanente so-

» lemni perpetuæ castitatis voto, et servato quantùm in eo » statu commodè fieri poterat, voto paupertatis, sub obe- » dientiâ et jurisdictione Ordinarii... immediatè subjectos » esse et manere, etc. » — Sed hæc declaratio non suppressit Ordines religiosos, ut patet ex verbis ipsiusmet declarationis, quæ nihil continent ex quo deduci valeat suppressos fuisse Ordines religiosos, et quæ insuper expressè declarant præfatas dispositiones locum habere tantùm pro *præsenti statu*, proinde transitorias esse, et fore desinituras statim ac meliora tempora aliam conditionem regularibus præstabunt.

Supradicta applicari non debent Societati Jesu, quia suppressa fuerat à Clemente XIV, et restituta non fuit nisi per Pium VII, cùm jam plures anni à tempore Concordati elapsi fuerant. Ita Bouix (*ib.*, p. 381-383).

2585. Hujus canonistæ conclusionem non admittit auctor *Analect.*, saltem pro monialibus vota solemnia profitentibus ; juxta ipsum enim antiquæ moniales Galliæ, licentiâ S. Sedis indiguerunt ut novos conventus erigerent, etiam in locis ubi prisca habuerant monasteria, imò ut reassumerent ipsamet prisca monasteria ; rationes ipsius sunt : 1° quia clausura pro hujusmodi religiosis requisita à solâ Sede Apostolicâ statui potest ; 2° quia duodecim moniales requiruntur pro erectione monasterii, et rarissimè hic numerus coadunari potuit ex priscis religiosis ; quæ autem ex aliis Institutis se eis adjunxerunt, ex solâ Ordinarii potestate admitti non potuerunt ; præterea potestas admittendi ad habitum et professionem solemnem in solâ communitate canonicè institutâ residet, et à Capitulo ipsius ritè convocato tantùm exerceri potest : sed pleræque communitates his conditionibus caruerunt post reditum ad suos conventus ; ergo, etc. ; 3° quia dos sufficiens ad alendas 12 moniales deficiebat ; 4° ob varias modificationes quæ inserendæ erant Regulis et Constitutionibus, ut moniales potuerint vacare educationi puellarum ab ipsis requisitæ, et quæ nonnisi à S. Pontifice inseri valebant. — Vide *Anal.* (22e livr., col. 168, 171, 215), ubi insuper (col. 176) observatur quòd : « Si » le rétablissement canonique des couvents exigea le con-

» cours de l'autorité papale, ce n'est pas que la violence
» révolutionnaire ait pu validement détruire les Institutions
» ecclésiastiques, mais c'est parce que les saints canons
» prescrivent des conditions matérielles sans lesquelles
» l'Église n'a pas coutume d'accorder l'existence canonique
» des monastères : » in quibus scilicet emittenda sint vota solemnia. Et in confirmationem præfatorum, eadem *Analecta* (*ib.*, n^{is} 75-168) multas Declarationes S. C. Episcop. et Regul. referunt.

§ II.

De civili conditione regularium in præsenti statu Ecclesiæ Gallicanæ à tempore Concordati 1801.

2586. In præsenti Galliæ statu, regulares vel pertinent ad Communitatem à Gubernio recognitam et approbatam, vel ad Congregationem aut Communitatem à lege civili non recognitam. (De potest. civ. in regul. v. pr. 52, etc. *Syllabi.*)

In primo casu, istæ sunt dispositiones legis civilis :

2587. — I. *Quoad approbationnem* : juxta legem 31 jan. 1852, collatam cum lege 24 maii 1825, familiæ religiosæ mulierum à Gubernio approbantur vel per Decretum tantùm vel per legem :

Per *Decretum* tantùm approbantur : 1° quoties Statuta seu Constitutiones, jam à Gubernio pro aliis Communitatibus approbatas, declarant ipsæ se adoptare ; 2° quoties ex testimonio Ordinarii constat eas familias religiosas, quæ peculiaria Statuta possident, exstitisse ante 1 jan. 1825 ; 3° quando in unam coadunantur Congregationes quæ ampliùs seorsim existere nequeunt ; 4° quando probari potest quòd familia religiosa, etsi primùm fuerit sub regimine Superiossæ localis, tamen postea, tempore nempe quo obtinuit à Gubernio approbationem, subjiciebat regimini Superiossæ Generalis cujus auctoritati jam aliæ domus ab ipsâ dependentes erant subjectæ ; 5° quando familia religiosa sub regimine Superiossæ Generalis constituta, licentiam postulat à Gubernio novam domum erigendi, vel recognitionem domûs ejusdem Ordinis jam existentis.

2588. Quoad religiosa instituta per *legem* approbanda, hodie vi decreti 31 januar. 1852 unicus superest casus in quo lex est necessaria pro hujusmodi Institutorum approbatione; casus nempe quo familia religiosa, existens tantùm ab anno 1825, haberet Constitutiones omnino novas, nulloque modo adhuc approbatas.

Quoad verò formas in approbatione variorum Institutorum observandas, vide *Traité de l'administr. tempor. des Congrégat. religieuses*, par Calmette (p. 53-73). Pro modificandis verò Statutis apud Gubernium, vide *ibid.* (p. 51).

2589. — II. *Quoad capacitatem religiosarum familiarum possidendi in communi*, hæc habet lex 2 januarii 1817 :

« Art. 1. Tout établissement ecclésiastique reconnu par » la loi, pourra accepter, avec l'autorisation du roi, tous » les biens, meubles, immeubles ou rentes qui lui seront » donnés par actes entre-vifs, ou par acte de dernière vo» lonté.

» Art. 2. Tout établissement reconnu par la loi, pourra » également, avec l'autorisation du roi, acquérir des biens » immeubles ou des rentes.

» Art. 3. Les immeubles ou rentes appartenant à un » établissement ecclésiastique seront possédés à perpétuité » par ledit établissement et seront inaliénables, à moins » que l'aliénation n'en soit autorisée par le roi. »

Hæc applicantur etiam mulierum familiis :

2590. De casu extinctionis et revocationis Instituti vel domûs religiosæ mulierum, sic habet lex 24 maii 1825 :

« ... Art. 7. En cas d'extinction d'une Congrégation ou » maison religieuse de femmes, ou de révocation de l'au» torisation qui lui aurait été accordée, les biens acquis » par donation entre-vifs ou par disposition à cause de » mort, feront retour aux donateurs ou à leurs parents au » degré successible, ainsi qu'à ceux des testateurs au » même degré. Quant aux biens qui ne feraient pas retour » ou qui auraient été acquis à titre onéreux, ils seront at» tribués ou répartis, moitié aux établissements ecclésias» tiques, moitié aux hospices des départements dans les» quels seraient situés les établissements éteints. » Vide

insuper D. Calmette (p. 68-73) quoad effectus civiles revocationis aut extinctionis.

2591. — Quoad tandem membra religiosarum familiarum hæc decernuntur in Decreto 18 febr. 1809 quo approbantur moniales hospitalibus addictæ :

« ... Art. 7. Les élèves ou novices ne pourront contracter
» de vœux, si elles n'ont 16 ans accomplis. Les vœux des
» novices âgées de moins de 21 ans, ne pourront être que
» pour un an.
» Art. 8. A l'âge de 21 ans, les novices pourront s'en-
» gager pour cinq ans.
» Art. 9. Chaque hospitalière conserve l'entière pro-
» priété de ses biens et revenus, et le droit de les admi-
» nistrer et d'en disposer conformément au Code civil.
» Art. 10. Elle ne pourra, par acte entre-vifs, ni y re-
» noncer au profit de sa famille, ni en disposer au profit
» de la Congrégation, soit en faveur de qui que ce soit. »

Postea tamen, 23 maii 1825, prodiit lex ubi dicitur :
« Nulle personne faisant partie d'un établissement auto-
» risé, ne pourra disposer par acte entre-vifs, ou par tes-
» tament, soit en faveur de cet établissement, soit au profit
» de l'un de ses membres, au delà du quart de ses biens,
» à moins que le don ou legs n'excède pas la somme de
» 10,000 fr. Cette prohibition cessera d'avoir son effet,
» relativement aux membres de l'établissement, si la dona-
» taire ou légataire était héritière en ligne directe de la
» testatrice ou donatrice. »

Cæterùm, præfatis casibus exceptis, lex civilis monialibus relinquit liberam suorum bonorum dispositionem, prout habent cæteri cives. Ita Instructio Ministerialis à D. Bouix relata (*De Regul.*, tom. 1, p. 389).

2592. — III. Hæc quoad regulares qui pertinent ad Communitates à lege civili recognitas.

Quoad verò cæteras, lex civilis nullum discrimen admittit eas inter et sæculares; unde coram lege habentur ac si nulla vota emisissent.

Videri potest ap. D. Bouix (*De Regular.*, tom. 1. p. 397) Decretum 15 decembr. 1840 à Congregat. de Propagandâ

emanatum, in quo indicantur modi quibus bona possunt possideri in communi et transmitti in hujusmodi Congregationibus à lege civili non agnitis. Sed apud nos sæpe contingere potest quòd hi modi non sufficiant. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 468.

2593. Solæ autem vel quasi solæ mulierum religiosarum Familiæ à Galliæ Gubernio usque hodie agnitæ sunt; attamen 1° implicitè recognitum fuit à lege Institutum Fratrum *Scholarum Christianarum* per Decretum 17 martii 1808 quo constituta fuit Galliæ Universitas; sic enim fert articulus 109 : « Les Frères des Écoles Chrétiennes seront brevetés et encouragés par le Grand-Maître, qui visitera » leurs Statuts intérieurs, les admettra au serment, leur » prescrira un habit particulier et fera surveiller leurs » écoles. »

2° Approbata fuit Decreto imperiali domus religiosorum in Alpinis montibus (*religieux du Mont-Genèvre*). Item Congregationes S. Lazari, Missionum et S. Spiritûs. Magna Carthusia ab ipso Gubernio domos et dotationem receperat; item Trappistæ conventûs Staouêli in Africâ. Vide Lequeux (n° 1095).

2594. — 3° Lex 15 martii 1859 decernit Congregationes religiosas, etsi à Gubernio non approbatas, posse tamen ab ipso recognosci quasi *Instituta publicæ utilitatis* et sub hoc titulo scholis communitatum (*des communes*) institutores suppeditare.

2595. Religiosæ autem familiæ isto modo agnitæ non tot juribus civiliter fruuntur ac ea quæ modo superiùs exposito (2587, 2588) approbatæ fuêre : nam in casu ultimo memorato : « La reconnaissance a moins en vue ces associations » elles-mêmes, que l'intérêt public qui l'a fait accorder. » elle ne procure que les avantages qui en dérivent » d'après la loi sur l'enseignement. Nous croyons, con» trairement à l'opinion de quelques auteurs, que cette » reconnaissance rend les associations religieuses qui » l'obtiennent, habiles à posséder des biens et à recevoir » des libéralités. » Ita D. Calmette, *Traité de l'administr. tempor. des Congrégat. relig.*, p. 21.

ART. IV.

DE NORMA CANONICA STATUM RELIGIOSUM INGREDIENDI.

2596. Ingressus in religionem fit per canonicam Professionem : id est, per Professionem, legitimo novitiatu peracto, ritè juxta leges Ecclesiæ emissam. Unde hîc exponendum est jus commune circa *Novitiatum* et *Professionem*.

§ I.

De Novitiatu.

2597. «Novitiatus est mutuum experimentum quo Religio,
» ex unâ parte, experitur mores et qualitates novitii ut
» videat an expediat illum admittere vel rejicere; et no-
» vitius, ex alterâ parte, experitur Religionis austeritates
» et Statuta, suamque indolem, ut videat an sibi expediat
» illam profiteri. » Ita Billuart (*De Relig.*, diss. 4, art. 2).

PUNCTUM I.

QUINAM JURE COMMUNI IN RELIGIONEM SINT ADMITTENDI.

2598. — I. *Ob defectum mentis* certum est non esse admittendos amentes, invalidamque esse assumptionem habitûs religiosi aut professionem, ab eo peractam qui sui non est compos.

2599. — II. *Defectus libertatis* impedit pariter ingressum Religionis : porrò quadruplici modo contingere potest hic defectus : vel ob servitutem, vel ob matrimonium, vel ob Professionem in aliâ Religione emissam, vel ob Statum Episcopalem.

1° Servi in Religionem non sunt admittendi, et, licet professi, à dominis suis repeti possunt intra triennium computandum à die quo isti conscii fuerunt ingressûs, non autem postea, nisi fortè tales essent circumstantiæ ut vix intra triennium potuissent reclamare : ex cap. *Si quis incognitus*, causa 17, q. 2. (Vide *Instit.*, R. de M., tom. 2, p. 484.)

2600. — 2° *Ob matrimonium*, quod potest esse vel consummatum, vel simpliciter ratum seu non consummatum.

In priori casu, conjuges nullo modo possunt Religionem ingredi, nisi pars derelicta debitè consenserit, vel nisi sit rea delicti propter quod possit licitè dimitti.

Prima pars quòd tales conjuges nullatenus valeant Religionem ingredi, nesciâ vel invitâ comparte, constat ex cap. *Quidam* 3, *de convers. conjug.* : « Consultationi res» pondemus *quòd... ratione voti ad monasterium non tene» tur redire* : ulteriùs verò, non poterit uxorem ducere : » promisit enim se non exigere debitum quod in ejus » potestate erat, et ideo quoad hoc, votum tenuit. » Si non teneatur ad monasterium redire, licet mortua fuerit uxor, ergo nulla fuerat Professio sinè consensu uxoris emissa.

2601. Secunda pars quòd conjugi liceat Religionem ingredi, comparte assentiente, nullam patitur difficultatem : observa tamen quòd pars derelicta, si sit juvenis, debeat pariter Religionem ingredi; si verò sit in ætate in quâ absit incontinentiæ periculum, in sæculo poterit remanere (cap. *Cùm sis* 4, *de convers. conj.*). Si tales conditiones omitterentur, illicita esset procul dubio Professio, sed non invalida.

Quod diximus hanc secundam partem nullam pati difficultatem, intelligitur ex jure canonico et abstrahendo à statu in quo hodie reperitur Ecclesia Gallicana : evidens est enim multas difficultates oriri posse ob dictum ingressum in Religionem ex legibus nostris civilibus ; unde rarissimè prudens esset apud nos permittere conjugibus ut Religionem ingrediantur, etiam ex mutuo consensu.

2602. Tertia pars quòd conjugi Religionem ingredi liceat, invitâ comparte, si ista sit rea certorum delictorum, constat ex cap. *De illâ* 6, *de divortiis* : crimina autem ob quæ conjux sic dimitti potest sunt : adulterium carnale, ex licentiâ ab ipsomet Christo datâ (S. Matth., c. 5, v. 32); necessaria tamen esset sententia Episcopi, casu quo occultum esset crimen ; item adulterium spirituale, scilicet hæresis, ex auctoritate Ecclesiæ (cap. *De illâ* modò citatum) ; item si matrimonium vi consummatum fuisset à marito, quam-

vis mulier intentionem monasterium ingrediendi manifestasset. Hæc omnia tamen pariter difficultates gignerent apud nos, propter leges civiles.

2603. *In secundo casu*, seu si matrimonium sit solummodo ratum, unicuique conjugum liberum est, etiam invitâ comparte, Religionem ingredi, quamdiù matrimonium non est consummatum; tunc verò pars derelicta ad alias potest convolare nuptias, sed tantùm post compartis Professionem, et talem Professionem quæ valeat hujusmodi matrimonium dirimere, nempe solemnem [1]. Bimestre autem conceditur conjugibus ad deliberandum utrum sint mansuri in matrimonio vel Religionem ingressuri (Vide cap. *Verum* et cap. *Ex publico, de convers. conjug.*).

2604. A quonam autem tempore currere incipiat illud bimestre? — Aliqui dixerunt à die contracti matrimonii : sed magis recepta sententia tenet computandum à die præfixionis termini per judicem factæ. Ita Schmalzgr., ap. Bouix (*De Regul.*, tom. 1, p. 532); ita etiam Glossa, in cap. *Ex publico*, *de convers. conjug.* — Iterum hìc est observandum quòd hæc non possint ad praxim reduci apud nos, sinè multis incommodis, et hoc etiamsi ageretur de conjugatis tantùm civiliter. Vide dicenda infra (4127).

2605. — 3° *Ob Professionem factam in unâ Religione* impeditur ingressus in aliam; sed circa hoc, distinctio est facienda : vel enim fit transitus à Religione laxiori ad strictiorem, vel ad æqualem, vel tandem ad laxiorem.

In primo casu, non omninò prohibetur *jure communi* transitus ad arctiorem, sed vetatur solùm « ne quis ex » temeritate vel levitate, in *jacturam* vel *injuriam sui* » *Ordinis*, sub prætextu majoris Religionis, ad alium » Ordinem transvolaret. » Ita Innocent. III, cap. *Licet* 18, *De Regularibus*. Casus autem *injuriæ* et detrimenti

[1] Errat ergò D. Bouix asserens (certè ob inadvertentiam) in suo tractatu *De Regul.*, t. 1, p. 532, matrimonium ratum dirimi per vota Scholasticorum in Societate, et hunc effectum votis hujusmodi alligatum fuisse per Constitutionem Gregorii XIII. Vide contra : Sanchez, *De Matrimon.*, lib. 2, disp. 18, nº 6; Billuart, *De Matrim.*, diss. 5, art. 2, § 4, dico 1º, in fine; Concil. Trident., sess. 24, can. 6.

Ordinis contingeret si quæstio esset de transitu religiosi doctissimi, vel in aliquâ arte peritissimi, vel si is transitus in dedecus et contemptum Ordinis derelicti vergeret. Vide Gautrelet (tom. 2, p. 123, edit. 1846).

2606. Ab Innocentio III (*ibid.*) præcipitur ut petatur licentia præfatum transitum peragendi; sed non exigitur quòd obtineatur: « Liberè potest, inquit Pontifex, sanc- » tioris vitæ propositum adimplere, non obstante contra- » dictione Prælati. »

2607. Diximus *jure communi:* quia ferè omnes Religiones privilegium hodie habent, ut fieri nequeat transitus ab ipsis ad arctiorem, cum solâ petitâ et non obtentâ licentiâ, et quòd tunc obtinenda sit licentia seu dispensatio à S. Sede. Sunt tamen plures Congregationes nondum approbatæ, quæ tali certè privilegio non gaudent, quorum proinde religiosi transire possunt à Religione laxiori ad arctiorem, petitâ licet non obtentâ licentiâ. Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 530-533.

2608. Moniales solemniter professæ non possunt transferri ad aliud monasterium, absque Indulto S. Sedis, quo super lege clausuræ cum eisdem dispensetur. Vide *Prælect. S. Sulpit.* (n° 451, in fine).

2609. *In secundo casu*, absque licentiâ vel Sedis Apostolicæ vel saltem Superiorum, religiosus, neque licitè neque validè, ad æqualem Religionem transire valet : ratio est, quia vi votorum suorum religiosus Congregationi suæ in perpetuum alligatur, salvâ duntaxât libertate in *melius* vota hæc commutandi. — Licentiam, in hoc casu, potest Papa concedere etiam sinè causâ; sed causâ justâ indigent Superiores, uti DD. communiter tenent. (Vide ap. D. Bouix, *De Regul.*, tom. 2, p. 527.)

2610. *In tertio casu*, omninò prohibetur transitus: « Nemo etiam regularis, inquit Synod. Trident. (sess. 25, » cap. 19, *De Regular.*), cujuscumque facultatis vigore » transferatur ad laxiorem religionem; » unde à solo Papâ hujusmodi transitus concedi potest. (Bouix., *ib.*, p. 528.)

2611. Sed undenam dignosci valeat an aliqua Religio alterâ sit arctior?

Resp. Difficilis et multùm intricata est hæc quæstio: satis omnes consentiunt vitam *contemplativam vitæ activæ* esse anteponendam, sed controvertitur utrum *vitæ mixtæ* sit etiam anteferenda: unicuique propria commoda et pericula inesse asserit Suarez; S. Thomas verò vitam mixtam contemplativæ præfert eò quòd vitæ Christi sit conformior. Vide P. Gautrelet, *Tr. de l'état relig.*, tom. 1, p. 180.

Ad dignoscendum autem num una Religio sit arctior seu perfectior, communiter DD. dicunt non attendendam esse primariam ipsius institutionem, sed actualem ipsius observantiam.

Eò etiam perfectior est Ordo quò excellentior et universalior sit finis proximus ab ipso intentus; nempe, vel perfectio propria tantùm, vel simul proximi, sublevatio spiritualis aliorum aut corporalis duntaxat. Finis autem ultimus, scilicet perfectio charitatis, idem est in omnibus.

Eò pariter perfectior est Ordo quò media præbeat efficaciora ad assequendum finem intentum.

Non ergo semper et absolutè perfectior est Ordo in quo observantur arctior paupertas, major solitudo, durior corporis maceratio, vel perenniori orationi vacatur: siquidem hæc sunt tantùm media, et finis pariter est æstimandus, et diligenter est pensandum quomodo regulæ custodiantur: cæteris tamen paribus, perfectior est ordo in quo major austeritas, paupertas strictior, sacratius silentium vigent. Absque dubio tandem Ordo dicendus est perfectior qui austerior est, si per austeritatem non tantùm maceratio exterior, sed præsertim interior mortificatio voluntatis et judicii, praxis humiliationum, vitiorum resecatio, etc., intelligantur. (Vide Gautrelet, *ib.*, p. 182.)

2612. Non obstante dictâ opinandi varietate, concordant generaliter DD. in admittendâ Carthusianorum Religione tanquam omnium arctissimâ.

2613. Evanescit in praxi difficultas, cùm, ut diximus supra, de jure particulari, necessaria sit ferè semper ad legitimandum transitum licentia vel proprii Prælati, vel Sedis Apostolicæ. (Vide Bouix, *De Regul.*, tom. 2, p. 530.)

Ad Congregat. Episcop. et Regular, vel Concil., vel ad

Pœnitentiariam recurrendum est pro dictâ S. Sedis licentiâ obtinendâ. Vide Cardin. Petra, apud D. Bouix, *ibidem*, p. 533 ; et infr. (3100, 3101).

2614. Monialibus ad aliam Religionem transeuntibus dos est reddenda, præsertim si absque illâ, in alium conventum non essent recipiendæ : probari potest decisione S. Congregat. Episcop. et Regul. anni 1748, ubi dicitur : « Collegium teneatur dotes ab eis perceptas, necnon mo- » bilia existentia in illarum cubiculis, restituere. » Standum est tamen specialibus Statutis singularum Congregationum. Vide *Prælect. S. Sulpit.* (n° 450, versùs finem), et infra dicenda (2739).

2615. 4° *Ob statum episcopalem* ingressus in Religionem impeditur : certum est enim Episcopum, jam consecratum et etiam solummodo confirmatum, non posse Religionem ingredi absque S. Pontificis licentiâ, ob votum quo Episcopus Ecclesiæ suæ obstringitur in perpetuum. Constat ex cap. *Licet* supra citatum (2605), *de regular.*, cap. *Inter* 2, *de translat. Episcop.*, cap. *Nisi cùm pridem* 10, *de renunt.* Hæc regula extenditur etiam ad Episcopos titulares seu *in partibus infidelium*, juxta *Prælect. S. Sulpit.*, n° 29. Casus autem in quibus Papa potest et solet Episcopis concedere licentiam Episcopatum dimittendi enumerati fuerunt supra (514).

2616. Quærit. An ad Religionem admitti possint clerici præsertim curam animarum habentes absque licentiâ Episcopi?

Resp. Affirmativè, et certò constare videtur, tum ex unanimi DD. sententiâ, tum præsertim ex auctoritate Bened. XIV in suo Brevi *Ex quo*, 14 jan. 1747, in quo illud variis capitulis juris canonici demonstrat, et tandem quæstionem definiens, etiam erga eum qui *in Ecclesiâ sub Episcopo populum retinet*, sic concludit : « Quisquis igitur hoc spi- » ritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat » liber, nostrâ auctoritate. »

2617. Et hoc intelligendum est etiam de ingressu in Religiones ubi emittuntur vota duntaxat simplicia, dummodo essentiam Statûs religiosi retineant : quia etiam hoc

modo amplectitur status perfectior: Ita D. Bouix (*De Regul.*, tom. 1, p. 549); secus autem sentit auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 450, III), quia ingressus in monasterium intelligi debet de monasterio strictè dicto; sed hæc ratio ad rem non videtur facere, quia facultas ingrediendi Religionem sine licentiâ Episcopi, fundata videtur super principium quòd liceat unicuique meliorem et perfectiorem Statum amplecti.

Quoad autem Congregationes quæ essentiam Statûs religiosi non servant, non clarè patet quòd absque licentiâ Episcopi, clerici curam præsertim animarum habentes, possint illas ingredi. (Vide Bouix, *ib.*)

2618. Disputatur utrum saltem licentiam Episcopi petere debeant clerici Religionem ingredi cupientes. Quidquid sit de hâc quæstione, nemo in dubium revocat teneri clericum de suo ad Religionem ingressu certiorem Episcopum facere, ut is vacanti suo muneri alium substituere possit, præsertim si exerceret curam animarum. Insuper casu quo Ecclesia grave damnum pateretur ex transitu clerici ad Religionem, Episcopus posset illum repetere, etiam post Professionem : ita prælaudatus Pontifex in eodem Brevi : « quod verò jus, inquit, certis in casibus, certisve de causis » competit Superiori Ordinis laxioris ut suum subditum » regularem ad strictiorem Ordinem digressum, etiam » post solemnem Professionem in eo emissam, repetere et » revocare valeat, idem similiter, certis in casibus, jus- » tisque exigentibus causis, Episcopo competit ut suum » clericum sæcularem, Ordini regulari adscriptum, reti- » nere possit. » Et in probationem doctissimus Pontifex adducit cap. *Licet*, *de regular.*, idem pronuntians. (Vide Bouix, *ib.*, p. 549.)

2619. Attamen, inquit D. Bouix (tom. 1, p. 550-552), clericus qui se adstrinxit ad serviendum diœcesi per aliquot annorum spatium, nequit Religionem ingredi antequam elapsum fuerit tempus præfixum, quia religiosum Statum amplecti est tantùm de consilio, dum de præcepto est quòd solvantur debita ; sed exinde non potest rigorosè concludi Religionem non posse amplecti clericos qui, Gu-

bernii sumptibus aut piorum fundatorum, ad sacerdoti fuerunt evecti.

2620. Sedulò hic observandum est, auctoritate S. Pontificis Pii IX statutum esse, 25 januar. 1848, ne quis possit, in religiosis Ordinibus et Congregationibus, etiam ad habitum admitti, absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum Ordinarii loci in quo postulans ultra annum moratus sit : « Ordinarii, inquit, in præfatis litteris » testimonialibus, postquam diligenter exquisiverint, etiam » per secretas informationes, de postulantis qualitatibus, » referre debeant de ejus natalibus, ætate, moribus, vitâ, » famâ, conditione, educatione, scientiâ ; an sit inquisi- » tus, aliquâ censurâ, irregularitate, aut alio canonico » impedimento irretitus, ære alieno gravatus, reddendæ » alicujus administrationis rationi obnoxius. Et sciant Or- » dinarii eorum conscientiam super veritate expositorum » oneratam remanere, nec ipsis unquam liberum esse hu- » jusmodi testimoniales litteras denegare. » Postea contra regulares hoc decretum non servantes, statuitur pœna privationis officiorum, vocisque activæ, necnon habilitatis ad alia officia in posterum obtinenda. (Ap. Bouix, *De Regularibus*, tom. 1, p. 552.)

2621. Hoc Decretum extenditur etiam, juxta eumdem D. Bouix (*ibid.*, p. 575), ad Congregationes in quibus vota emittuntur duntaxat simplicia; sed non videtur esse intelligendum de monialibus.

Valida autem esset professio, etsi illicita, supra dictis non observatis. Ita S. Congreg. Episcop. et Regul., 1 maii 1851. Vide *Instit.*, R. de M. (tom. 1, p. 487).

2622. — III. In casu *necessitatis parentum*, regula generalis est : neminem posse Religionem ingredi quando parentes extremâ, vel etiam gravi necessitate, premuntur. Ita communiter DD. (ap. S. Liguor., lib. 4, n° 66) : necessitas verò communis non est impedimentum sufficiens (*ib.*).

2623. Quod dicitur de parentibus intelligi debet etiam de filiis (*ibid.*) : in utroque tamen casu professio esset valida, quamvis illicita.

Notandum est 1° : si filius manens in sæculo nequiret ne-

cessitatibus parentum subvenire, ipsi licitum esset Religionem ingredi; 2° idem est dicendum, juxta S. Thomam, si manens in sæculo esset in proximo et gravi periculo in peccatum mortale labendi (S. Liguor., *ib.*) ; 3° filii jam professi tenentur è conventu egredi, si parentes evidenter ad extremam necessitatem essent deducti, et aliter eis provideri non posset : casu verò quo gravi duntaxat necessitate premerentur, an etiam teneantur exire, non concordant DD.: probabiliùs putat S. Liguor. (*ib.*, n° 67) quòd ut tunc licitè egredi valeant, filii indigeant Superioris licentiâ, sive necessitas parentum ingressum religionis præcesserit, sive fuerit subsecuta.

2624. Non est autem obligatio manendi in sæculo ad subveniendum gravi necessitati fratrum et sororum (secus si necessitas sit extrema); attamen hoc est licitum; sed si fuisset emissum votum Religionem ingrediendi, necessaria esset dispensatio ut quis, per longum tempus posset differre ingressum propter gravem necessitatem fratrum. (Vide S. Liguor., lib. 4, n° 70.)

2625. Quærit. An filii licitè possint Religionem ingredi, invitis aut insciis parentibus?

Resp. Filios qui annos pubertatis impleverunt, licitè posse, invitis aut insciis parentibus, Religionem ingredi. Ita S. Liguor. (*ib.*, n° 68) qui citat Concil. Toletan. X, cap. ult. et Concil. Tiburt., causa 24 : et dicit DD. sic communiter sentire.

Ratio est quia non est obligatio parentibus obsequendi quoad electionem Statûs, præsertim religiosi, eò quòd non tantùm non habeant experientiam, sed ob proprium interesse aut mundanum affectum mutentur in hostes. — Contrarii tamen sunt apud nos artic. 372 et 374 *Codicis civilis :* auctores etiam cum S. Liguor. advertunt filios debere, in casu oppositionis parentum, aliquantulum expectare, donec illi benè admoneantur de suâ obligatione, imò par esse, si ipsi possint facilè et tutò illorum consensum obtinere, ut non discedant sinè parentum benedictione.

2626. Non est illicitum parentibus filios etiam nondum

usum rationis habentes, monasteriis offerre ut Religionem profiteantur quando ætatem habebunt; sed statim ac puberes illi efficiuntur, liberum est ipsis egredi, si velint. Vide Bouix, *De Regular.* (tom. 1, p. 540, 541).

2627. Cæterùm qui etiam ad simpliciter ingrediendum monasterium (non verò Congregationes ubi non emittuntur vota solemnia, uti declaravit S. Pœnitentiaria 15 martii 1861. Vide *Rev. des sciences ecclésiast.*, n° 18, p. 555) cogunt puellas et mulieres, in casibus quibus id jure non licet, excommunicationem incurrunt ex cap. 18, sess. 25 Concil. Trid (Vide Gautrelet, tom. 1, p. 84): hanc etiam incurrunt consilium, favorem dantes, etc.

2628. « Simili quoque anathemati subjicit Trident. (*ib.*) » eos qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo, » sinè justâ causâ impedierint. » Hujusmodi pœnæ non incurruntur, si adhibitæ fuerint tantùm preces et sollicitationes, licet in his casibus potuerit esse peccatum. Vide Gautrelet, *ib.*, p. 52 et 84; S. Liguor., lib. 4, n° 77, lib. 7, n° 212; et infra dicenda (6568).

Hujusmodi autem pœnæ non incurruntur quando agitur de viris. Item si agatur de Instituto in quo non emittuntur vota solemnia. Ita decisum a S. Pœnitentiariâ, 15 martii 1861. Vide *Revue des sciences ecclésiast.*, n° 18, p. 555.

2629. Quoad autem parentes, ipsi non possunt Religionem ingredi, non solùm quando illorum filii sunt in gravi necessitate, sed etiam quamdiu non sunt emancipati, et nondum proviserunt eorum educationi et sustentationi; secus postea, modò filii non sint in necessitate gravi. S. Liguor., lib. 4, n° 69.

2630. — IV. Jure communi, etiam hodierno, illegitimi non prohibentur Religionem ingredi (Vide Constit. *Circumspecta* Gregor. XIV et Const. Sixti V *Convocatis*); secus de jure particulari quarumdam Religionum.

2631. — V. Bullâ suâ *Cùm de omnibus*, Sixtus V vetuit ne in Religionem reciperentur « ingenti ære alieno supra » vires facultatum suarum gravati; vel reddendis ratiociniis ita obnoxii, ut ex hujusmodi causis, vel molestia

» eis jam illata sit, vel timendum est ne inferatur. » Irritam declaravit hujusmodi Professionem dictus Pontifex; sed hanc nullitatem sustulit Clemens VIII Constit. *In supremâ*, 2 apr. 1602.

2632. Hæc, juxta S. Liguor. (lib. 4, n° 71), intelliguntur « de eis qui aliter non possunt satisfacere, nisi in » sæculo manendo, et à quibus sperari potest solutio (con» tradicit tamen D. Bouix, *ibid.*, p. 536); item si magna » sint debita, superantia facultates proprias, cùm dicatur » in Bullâ, *ingenti ære alieno gravatis*. Præterea dicit Croix » cum Sanchez... hoc non procedere pro monialibus, nec » pro equitibus Ordinum militarium, quia hi in odiosis non » comprehenduntur nomine religiosorum : insuper neque » pro iis qui gravantur debitis tantùm incertis (cùm hujus» modi debita in pia opera impendi possunt, aut etiam » debent); nec pro eis, qui sinè culpâ gravi, inciderunt in » impotentiam : nam Bulla est tantùm pro dilapidatoribus » (quidam tamen hoc negant : vide Bouix, *ib.*, p. 536); nec » pro debitoribus ratione donationis. »

Obligatio autem de reddendis rationibus intelligenda est de valde litigiosis, intricatis, fraudulentis, litibus causam daturis : habendi sunt ut obligati ad ratiocinia, administratores rerum publicarum vel privatarum, tutores, procuratores, exsecutores testamentorum, etc.

2633. Si admissus fuerit in Religionem ære alieno gravatus, et professionem emiserit, ex justitiâ non tenetur Superior dare ei licentiam laborandi ut satisfaciat; teneri tamen potest ex charitate si nil obstaret. S. Liguor., *ibid.*

2634. Hæc ex jure positivo; sed quid dicendum ex jure naturali? Potestne ære alieno gravatus Religionem ingredi?

Tres sunt sententiæ : — *Prima* absolutè negat. *Secunda*, absolutè affirmat, modò debitor bona sua creditoribus suis cedat. *Tertia* distinguit et dicit quòd si debitor, brevi manens in sæculo, posset sinè magnâ difficultate saltem notabilem debiti sui partem acquirere ut satisfaciat, tenetur expectare; secus si ad hunc finem diù in sæculo manere deberet, vel nequiret satisfacere sinè notabili difficultate. Breve tempus Major putat triennium; Sanchez autem cum

Navarro, biennium. Vide S. Liguor. (lib. 4, n° 71) qui adjicit : *Hæ tres sententiæ sunt omnes probabiles, sed probabilior mihi videtur tertia : modò ex illâ brevi mansione* non immineat probabile periculum incidendi in peccata, vel amittendi vocationem religiosam.

2635. — VI. Sixtus V prohibuit ne in Religionem admitterentur ii quos actis publicis constat apud sæcularem Curiam accusatos vel inquisitos fuisse de crimine homicidii, furti, latrocinii et similium vel graviorum scelerum. Imò irritas declarârunt ipsorum admissionem et Professionem Constit. *Cùm de omnibus* et Constit. *Ad Romanum;* sed in ipsâ Constitutione excipiuntur mulieres, et præfatam nullitatem revocavit Clemens VIII in Const. *In Supremâ.* Licitè admitteretur qui in judicio absolutus fuisset seu declaratus innocens. Ita Suarez, apud Bouix (*De Regular.*, tom. 1, p. 538).

2636. — VII. Infirmitas gravis, quæ talis esset ut quis non posset onera portare vitæ communis, et Ordinis obligationes implere, esset impedimentum ut in eo admitteretur prout pariter difformitas notabilis, uti cæcitas, enormis claudicatio, etc. Volunt plurimi hîc applicandos esse canones de corpore vitiatis, de quibus supra (1855-1870).

2637. — VIII. Non sufficit vitio vacare eum qui in Religionem admittitur, inquirendum est adhuc : « Quo spiritu, » quâ mente, id vitæ genus elegerit; quem finem sibi propo- » suerit; num zelo perfectioris vitæ, an potiùs levitate, vel » humano affectu aliquo ducatur. » Ita Clemens VIII, Const. *Cùm ad regularem*, apud Lequeux, n° 627. Insuper necessaria est vocatio, de quâ vide S. Liguor., lib. 4, n° 78; et Gautrelet, *Tr. de l'état religieux*, 1re part., chap. 2.

PUNCTUM II.

DE ÆTATE REQUISITA SIVE AD NOVITIATUM SIVE AD PROFESSIONEM.

2638. Certum est ad Novitiatum sufficere pubertatis ætatem; imò nihil obstare videtur quòd etiam impuberes admittantur, modò usum rationis habeant, et sufficienter

intelligant quid sit Novitiatus. Reverà Clemens VIII decrevit conversos ante 20 annum non esse admittendos; sed in desuetudinem abiisse videtur hæc prohibitio. Ex Decreto autem S. Congregat. Episcop. et Regular. 23 maii 1659, moniales ad habitum admitti non debent ante expletum 15 annum. Vide apud D. Bouix, *De Regularibus,* tom. 1, p. 666.

2639. Quoad *Professionem,* sic statuit Concil. Trident. (sess. 25, c. 15) : « In quâcumque religione tam virorum » quàm mulierum, Professio non fiat ante decimum » sextum annum expletum... Antea facta, sit nulla nul» lamque pariat obligationem. »

Carthusienses tamen Professionem ante 20 annum emittere nequeunt. S. Pius V prohibuit ne etiam ad Novitiatum Servitæ admitterentur, qui nondum annum 19 attigerint, et ne Conventuales profiterentur, ante 19 annum, imò si essent Conversi, ante 25 annum; apud Minimos autem requiruntur 19 anni. Clemens VIII, Decreto suo 19 martii 1603, art. 23, prohibet ne Conversi ad professionem admittantur si nondum expleverint annum 21. Vide P. Gautrelet, *Tr. de l'état religieux*, tom. 1, p. 113, edit. 1846; et *Analecta,* 40ᵉ livr., col. 183.

2640. Juxta autem nostras leges civiles, in conventus admitti nequeunt minores nisi cum consensu parentum; quoad verò Professionem : « Aux termes des art. 7 et 8 du Décret » du 18 févr. 1809, les novices ne peuvent contracter des » vœux si elles n'ont atteint l'âge de 16 ans accomplis; » ces vœux ne sont que pour un an, si elles n'ont pas » 21 ans; passé cet âge, ils peuvent être contractés pour » 5 ans.

» L'émission des vœux ne peut avoir lieu qu'avec l'as» sentiment des parents lorsque la novice est mineure : » elle est alors tenue de présenter la preuve du consente» ment demandé par les art. 148 150, 159 et 160 du Code » Napoléon, pour contracter mariage.

» Le Décret du 18 février 1809 n'ayant pas prescrit » l'observation de l'art. 151, on doit en conclure que les » filles majeures ne sont pas obligées de requérir le consen-

» tement de leurs parents... » D. Calmette, *Tr. de l'adm. tempor. des Communautés relig.*, p. 32.

PUNCTUM III.

AD QUEM PERTINEAT NOVITIOS ADMITTERE.

2641. De jure communi, virorum Religiones ab Apostolicâ Sede approbatæ, etiam non exemptæ, aut licet vota solemnia non habeant, nullatenus ab Ordinario dependent quoad admissionem vel rejectionem novitiorum. Hæc enim potestas à S. Pontifice, Congregationibus non verò Episcopis, ordinariè conceditur. Vide D. Bouix ex Suarezio (*De Regul.*, tom 1, p. 555-558).

2642. Secus est dicendum de monialibus juxta plures, qui etiam asserunt eas, licet exemptas, indigere Episcopi licentiâ in scriptis, et referunt sic fuisse decisum à Sacrâ Congr. Episc. et Regul. — Contradicunt tamen Fagnanus et alii quidam: sed praxis communiter vigens est quòd detur licentia, vel ab Episcopo, si moniales regularibus non sint subjectæ, vel à Prælato regulari, si iis subdantur. (Bouix, *ib.*, p. 559-564.)

2643. Cæterùm moniales, etsi non exemptæ et sinè votis solemnibus, cogi nequeunt ab Ordinario ad recipiendam aliquam novitiam, vel ad manifestandam causam cur illam non admittant. Ita communiter; et ratio est quòd ad hanc admissionem necessarius est consensus Communitatis. Vide unam vel alteram exceptionem apud Bouix (*ib.*, p. 563 et 667).

2644. Ad religiosum Ordinem pertinet igitur receptio novitiorum. Per quosnam verò hæc receptio sit facienda, vide sancita à Sixto V et Clemente VIII, apud Bouix, *ib.*, p. 564-567; et p. 567-574 vide an et quomodo sint faciendæ informationes pro admissione. Vide etiam supra (2620).

2645. Nomen Sanctæ imponi debet novitiæ quæ titulo *sororis* non autem *domnæ* vocanda est. Vide Ferraris, v° *Moniales*, art. 1, n^{is} 74 et 75.

2646. Sinè causâ novitiæ licitè rejici nequeunt. Ita Ferraris, *ib.*, n° 109, qui citat S. Congr. Episcop. et Regul.

et addit : *Aliàs graviter peccari*, ut tradunt communiter DD. (Vide Bouix, *ib.*, p. 667.)

PUNCTUM IV.

DE NOVITIATUS DURATIONE.

2647. Secluso privilegio, per annum integrum durare debet Novitiatus : secus professio est nulla, juxta ipsummet Concil. Trid. (sess. 25, cap 15, *De Regul.*) : « Nec qui » minore tempore quàm per annum, post susceptum ha- » bitum in probatione steterit, ad professionem admitta- » tur : professio autem antea facta sit nulla. »

2648. Ex communiori sententiâ, annus integer esse debet mathematicè, à momento ad momentum ; plures tamen dicunt sufficere integritatem moralem. (Billuart, *De relig.*, diss. 4, art. 2, § 4.)

2649. Dictum fuit *secluso privilegio :* quia Monialibus S. Dominici, proinde ob communicationem privilegiorum, aliis religiosis, sive mulieribus sive viris, concessum fuit à S. Pio V (Constit. *Summi sacerdotii*), ut in casu morbi lethalis medici judicio, ipsis liceret, anno non expleto, professionem emittere, dummodo ætatem requisitam haberent (Billuart, *ib.*). Multi tamen volunt quòd prædicti novitii vel novitiæ, si convalescant, teneantur annum Novitiatûs complere et aliam professionem facere : quia S. Pius V voluit duntaxat providere uberiùs saluti sic profitentium. Ita Gautrelet opere citato, tom. 1, p. 88, etc., ubi addit Religionem non astringi per hujusmodi professionem ad admittendum et retinendum taliter profitentem, quia Contractus non fuit reciprocus : non debere tamen, sinè justâ causâ, talem rejici.

2650. Sunt insuper aliquæ circumstantiæ in quibus conceditur à S. Sede privilegium emittendi Professionem ante annum Novitiatûs elapsum : hoc contingit præsertim quando revalidatur Professio quæ fuerat nulliter emissa in Ordine nondum approbato, et refertur ab *Analectis jur. pontificii* casus in quo Professio nulla fuit renovata post decem duntaxat dies exercitiorum spiritualium (24e livraison, col. 472, 473).

2651. Annus Novitiatûs continuus esse debet: aliàs, juxta communissimam sententiam, professio nulla est (Billuart, *ib.*). Si quis ergo novitius, dimisso habitu, è conventu exeat cum animo Religionem deserendi, sive faciat propriâ voluntate, sive justè dimissus, interrumpitur Novitiatus, adeo ut teneatur denuò probationis annum inchoare, etsi tantùm post unum vel alterum diem, imò post aliquas duntaxat horas, aut unicum momentum, juxta Bouix (tom. 1, p. 577), novitius regrediatur ad conventum et ab ipso readmittatur. Ita declaravit S. Congr., anno 1740. Vide P. Gautrelet, *ibid.*, p. 74; Billuart, *ibid.*, § 5, *dico* 3°.

2652. Non discontinuatur tamen Novitiatus per exitum Novitii cum Superioris licentiâ, etiam illicitâ, etsi duret per sex menses. Vide Billuart et Bouix (locis modò citatis).

2653. Item non discontinuatur per morbum aut infirmitatem, etsi per decem menses duraverit (Bouix, *ib.*), nisi esset amentia proveniens, non ex violentiâ febris, sed ex causâ propriâ, saltem per mensem durans: casu hoc amentiæ, non discontinuatur præcisè Novitiatus, sed suspenditur, et suppleri debet tempus quo perduravit amentia.

2654. Imò non discontinuatur Novitiatus per exitum, etiam ob malum finem et sinè Superiorum licentiâ, si non egrediatur Novitius ex animo Religionem derelinquendi. (Billuart., *ib.*)

2655. Absoluto autem anno Novitiatûs integro, si novitius è conventu egrediatur, quamvis sinè animo redeundi, sinè vel cum licentiâ Superiorum, non iterum Novitiatus est inchoandus casu quo iterum rediret, nisi Religionis aut Novitii conditio sit ita mutata ut rursum necessarium sit experimentum annuale: sic declaravit S. Congreg. Conc., 27 febr. 1597 et 12 febr. 1598. (Billuart., *ibidem*, § 6.)

Transeuntibus ab una ad aliam Religionem, novus et integer probationis annus est necessarius, nisi fieret transitus ad aliud ejusdem Ordinis monasterium, quod eumdem Generalem haberet. (Billuart, *ib.*; Gautrelet, p. 75.)

2656. Quærit. An prorogari possit tempus Novitiatûs? Resp. Affirmativè, si adsit legitima causa; secus, si non adsit : sic enim habet Concil. Trident. (sess. 25, cap. 16, *De Regul.*) : « Finito tempore Novitiatûs, Superiores, no- » vitios quos habiles invenerint, ad professionem admittant, » aut è monasterio eos ejiciant. » Excipiuntur ibidem religiosi Societatis Jesu quorum Novitiatus per biennium perdurare debet.

Legitimitatem nostræ responsionis ostendit S. Congr. ex ore S. Pii V : « Sanctitas Sua dixit Decretum hujusmodi » Concilii (Trident. modò relatum) procedere tantùm in » illis Novitiis quos Superiores, lapso tempore Novitiatûs, » habiles invenerunt, non autem in his quos inhabiles » invenerunt, ut sunt illi qui non benè didicerunt; et ideo » quod attinet ad illos, Sanctitas Sua concessit quòd Su- » periores possint prolongare illorum Professionem dum- » modo habeant spem probabilem quòd efficiantur habiles » infra sex menses. »

2657. Præfatis legibus, Novitiatum respicientibus, non astringuntur Congregationes in quibus vota tantùm simplicia emittuntur; unde in iis Novitiatus anno brevior esse posset quin ideo esset nullus. Bouix, *ib.*, p. 578.

Regulæ pro rectâ institutione et gubernatione Novitiatûs exponuntur in Decreto Clementis VIII, 19 martii 1603. Vide *Analecta*, 40e livr., col. 183.

PUNCTUM V.

DE LEGITIMO LOCO NOVITIATUS.

2658. Quidquid fuerit de jure antiquo, jure novo à Concil. Trident. introducto, Novitiatus non videtur posse fieri extra monasterium, vel domos Ordinis quem novitius sibi proponit amplecti, nisi Superior permitteret aliter fieri per aliquot menses : hoc concluditur ex Concil. Trident. (sess. 25, c. 15), ubi irrita decernitur professio nisi profitens *per annum in probatione* steterit; in probatione autem non stat qui extra conventum degit; ratio hujus dispositionis est quòd aliter nec Religio nec novitius possent sufficienter

experiri utrum ipse sit aptus ad profitendum in hujusmodi Instituto. Ita declarasse S. Congr. refert Sanchez (lib. 1, *Summæ*, c. 4, n° 17).

2659. Juxta *Analecta* (40e livr., col. 178), S. Congr. Episcoporum et Regularium ut abusum damnat consuetudinem novitios mittendi in varias Congregationis domus, ut ibi juvenes vel puellas doceant, nondum expleto novitiatu; vide etiam circa hoc punctum instructionem ab eisdem *Analectis* relatam, janv. 1861, col. 509.

2660. In Italiâ, non tantùm in monasterio fieri debet Novitiatus, sed etiam in monasterio à S. Sede designato. Ita fuisse statutum à Clem. VIII et Innoc. X referunt Billuart (*De relig.*, *ib.*, art. 2 § 3); Ferraris (v° *Annus Probationis*, nis 36-43); Bouix (*ibid.*, p 579-581). Imò juxta *Analecta* (40e livr., col. 174) Decreto suo 20 jun. 1599, Clemens VIII hanc dispositionem extendit ad universum Orbem his verbis: « Art. 33. Nulli in posterum ad habitum et Professio- » nem admittantur, nisi in conventibus per Sedem Apos- » tolicam in quâlibet provinciâ deputandis. » Vide *ib.* multa documenta in confirmationem hujus assertionis congesta: sic in approbatione Maristarum 15 junii 1860, S. Sedes sibi reservat approbationem domuum Novitiatûs. Eadem reservatio afficit Congregationes mulierum, juxta *Analecta*, (*ib.*, col. 177).

2661. Locus separatus assignari debet pro Novitiatu, et ad id Ordinarius potest cogere etiam exemptas. Vide Ferraris (v° *Moniales*, art. 1, n° 76). Idem præscripsit pro viris Clemens VIII, Decreto 19 martii 1603, ab Urbano VIII confirmato, 26 octobris 1624, art. 7. Vide *Analecta*, 40e livr., col. 123.

2662. *Nota* quòd ex eodem Decreto Clementis VIII, art. 14, Magister novitiorum non minoris ætatis esse debeat quàm 35 annorum, et habere debeat decem annos professionis: socius verò ejus plus quàm 30 annos ætatis debet habere.

PUNCTUM VI.

DE HABITU IN QUO NOVITIATUS EST PERAGENDUS.

2663. Regulariter Novitiatus peragi debet in habitu Religionis quam novitius profiteri intendit. Vide cap. *Ad Apost.*, et cap. *Super eo, de Regularibus.* Et hoc requiritur etiam sub pœnâ nullitatis, juxta S. Congr. Episc. et Regul. (Ferraris, v° *Habitus*, n° 3.)

2664. Ex statutis tamen particularibus quorumdam Ordinum, vel subsistente causâ, in habitu sæculari peragi potest (cap. *Porrectum, de Regular.*, et cap. *Quia ingredientibus, de Testamentis).* Constat etiam ex Angliæ et Hiberniæ usu, sæculis proximè elapsis. Nullo autem jure præscribitur ut habitus novitii differat à professorum habitu.

2665. Habitus imponi debet à legitimo Superiore: ipse enim nomine Religionis cum novitio contrahit et acceptat. Billuart ut supra; Bouix, *ibid.*, p 581-583.

Novitiatus incipit a die susceptionis habitûs religiosi. (Bouix, *ib.*, p. 668.)

PUNCTUM VII.

DE DISPOSITIONIBUS QUÆ A NOVITIIS FIERI POSSUNT CIRCA SUA BONA TEMPORALIA.

2666. De iis hæc sancivit Synodus Tridentina (sess. 25, c. 16, *De Regularibus*) : « Nulla... renuntiatio aut obligatio » antea facta [1] etiam cum juramento, vel in favorem cu- » juscumque piæ causæ, valeat, nisi cum licentiâ Epis- » copi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos » ante professionem [2]; ac non aliàs intelligatur effectum

[1] Communiter hoc hodie non intelligitur de renuntiationibus factis ante ingressum in monasterium. (*Prælect. S. Sulpitii*, n° 432.)

[2] Hoc tamen intelligitur de renuntiationibus quibus notabiliter minuerentur bona novitii, non verò de aliis. Ita Schmalzgrueber apud Bouix, *ibid*, p. 584.

Juxta autem S. C. Concil., Decretum Trident. applicari debet etiam resignationibus beneficiorum. (Bouix, *ib.*, p. 597.)

» suum sortiri, nisi secutâ professione; aliter verò facta
» (etiamsi cum hujus favoris expressâ renuntiatione etiam
» juratâ) sit irrita et nullius effectûs... Per hæc tamen
» S. Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere,
» quin Religio clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum
» Institutum à Sede Apostolicâ approbatum, Domino et ejus
» Ecclesiæ inservire possint: sed neque ante Professionem,
» excepto victu et vestitu, novitii vel novitiæ illius temporis,
» quo in probatione est, quocumque prætextu à parenti-
» bus vel propinquis aut curatoribus ejus, monasterio ali-
» quid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hâc occasione dis-
» cedere nequeat quòd totam vel majorem partem
» substantiæ suæ monasterium possideat, nec facilè, si
» discesserit, id recuperare possit. Quin potiùs præcipit
» S. Synodus sub anathematis pœnâ dantibus et recipien-
» tibus, ne hoc ullo modo fiat; et ut abeuntibus ante pro-
» fessionem omnia restituantur quæ sua erant. Quòd ut
» rectè fiat, Episcopus etiam per censuras ecclesiasticas,
» si opus fuerit, compellat. »

Legi potest apud D. Bouix solutio plurium quæstionum hanc Trident. legem spectantium (*ib.*, p. 584-591).

2667. In Congregationibus vota solemnia non habentibus, validè fieri possunt à Novitiis donationes et renuntiationes, inobservatâ Trident. Decreti formâ, quia Concilium loquitur solùm de Ordinibus in quibus fit *Professio*, quæ in strictori sensu vota supponit solemnia. Vide D. Bouix (*De Regular.*, tom. 1, p. 599); P. Gautrelet (*Tr. de l'état relig.*, tom. 1, p. 85, edit. 1846).

2668. Quando novitius ante professionem testamentum non condidit, vi professionis in ejus bona et jura succedit monasterium, si Ordo sit capax possidendi in communi; si autem Ordo non sit capax sic possidendi, consanguinei succedunt (Vide Ferraris, v° *Novitiatus*, n° 53.)

2669. Sub excommunicatione Papæ reservatâ, prohibitum est ne regulares aliquam pecuniæ summam à parentibus novitii exigant pro convivio occasione Vestitionis vel Professionis faciendo. Ita Extrav. *Sanè, de Simoniâ*. Vide Ferraris, *ib.*, n° 63.

Ex contrariâ tamen conventuum consuetudine, id licere tenent Suarezius et alii. Vide Bouix, *ib.*. p. 590.

2670. Novitio egredienti non est relinquendus Religionis habitus, sed tantùm ei restituendum illius pretium, si sumptibus ejus comparatus fuerit. Ita S. Congr. Conc., ap. Ferraris, *ib.*, n° 68; Gautrelet, *ib.*, tom. 1, p. 86.

2671. Novitius egrediens tenetur solvere expensas pro ipso à monasterio factas, si de hoc intervenerit pactum, vel si ita ferat Ordinis consuetudo, vel non habuerit intentionem vota emittendi et, suis laboribus aut aliunde, dictas expensas non compensaverit; secus, non tenetur. Hæc colligi posse videntur ex supra relato Concilii Trident. Decreto, et hoc intelligi debet de omnibus Congregationibus, inquit P. Gautrelet (opere citato, tom. 1, p. 87).

PUNCTUM VIII.

DE DISPOSITIONIBUS JURIS CIRCA NOVITIORUM BENEFICIA.

2672. Ex cap. *Beneficium*, *de Regul.* in 6°, beneficium clerici Religionem ingredientis alteri nequit conferri intra Novitiatûs annum : imò Sanchez cum aliis docet non posse conferri ante Professionem, etsi differatur ultra annum. Proinde si novitius esset Canonicus, jus dandi vocem in Capitulo retineret, si vellet : sed quia reputatur absens, non est necessariò vocandus. (Bouix, *ib.*, p. 596.)

2673. Durante autem Novitiatu, beneficii functiones Vicario sunt committendæ, assignatâ eidem ab Episcopo portione congruâ ex fructibus beneficii : residui autem beneficii fructus, reservandi sunt Novitio si Professionem non emittat; si verò emittat nec de illis antea disposuerit, juxta sententiam communiorem, monasterio, si capax sit possidendi in communi, acquiruntur : si non sit capax, applicandi sunt Ecclesiæ vel piis causis.

Quoad hæc, et quoad beneficiarios qui Societatem Jesu ingrediuntur, vide D. Bouix, *ib.*, p. 591-593.

2674. Vacat verò beneficium statim ac emittitur Professio solemnis; secus si talis non sit Professio : proinde in hoc casu, si beneficium residentiam exigat, Ordinarius

potest ejusmodi professis terminum præfigere, intra quem resignare teneantur: quo elapso, aliis conferri potest beneficium. Ita decisum à S. Congr. Conc., 14 decembr. 1833 refertur apud Bouix, *ib.*, p. 594-596.

PUNCTUM IX.

QUORUMNAM JURISDICTIONI SUBJACEANT NOVITII.

2675. Controvertitur inter DD. an novitii teneantur Prælatis Religionis obedire. Vide Bouix, *De Regular.*, t. 1, p. 598.

A quibusnam novitii possint à peccatis absolvi diximus supra (1576).

2676. Ex decentiâ duntaxat tenetur novitius regulas observare. Ita communiter juxta Bouix (*ib.*, p. 601); *Prælect. S. Sulpitii*, n° 433. Si tamen eas non observet plecti potest à Superioribus, ex cap. *Recolentes, de statu monach*; imò juxta P. Gautrelet, aliquando novitii etiam graviter in hoc possent peccare (*Traité de l'état relig.*, tom. 1, p. 79, edit. 1846).

PUNCTUM X.

DE PRIVILEGIIS NOVITIORUM.

2677. Generatim novitii gaudent omnibus privilegiis, indulgentiis, protectione canonis, etc., quibus fruuntur professi Ordinis quem intendunt amplecti; nam ex regulâ juris 55, in 6° : « Qui sentit onus sentire debet et commo- » dum. »

2678. Indulgentiam plenariam lucrantur die susceptionis habitûs et die Professionis, præmissis confessione et sanctissimæ Eucharistiæ sumptione. Ap. Bouix (*ib.*, p. 599).

2679. Probabiliùs putat Suarez novitium debere ordinari ab Episcopo à quo ante ingressum in monasterium ordinandus erat : probabile tamen habet illum posse etiam ordinari ab Episcopo diœcesis in quâ situm est monasterium; sic pariter sentit Ferraris (v° *Novitiatus*, n° 95) et multi cum eo. Quædam tamen Religiones, inter quas Societas Jesu, specialia habent in hoc privilegia, quæ observanda sunt. (Bouix, *ib.*, p. 599.)

2680. Absque rationabili causâ novitius non debet ejici : et si nihilominus ejiciatur, ad Superiorem potest appellare. Ita plures decisiones Congreg. Roman.

2681. Econtra *generatim* loquendo novitii possunt Religionem deserere et ad sæculum redire, non petitâ licentiâ. (Cap. *Statuimus* 23, *De Regular.*)

2682. Dictum *generatim loquendo* : quia si novitius emisisset votum talem ingrediendi Religionem, non posset sinè peccato, ex merâ levitate, aut sensualitate ad sæculum reverti; imò, juxta S. Liguor. (lib. 4, nº 72), non sufficeret quòd expertus fuisset talem vitam esse incommodam, sed tantùm si difficultatem valde gravem expertus fuisset; et illam sententiam vocat *veram :* unde juxta eumdem probabiliùs lethaliter peccaret novitius qui sinè causâ post votum religionem ingrediendi, conventum relinqueret.

2683. Quid si quis ejiciatur à Religione post votum profitendi? — Esset ne liber à voto?

Duplex est sententia : juxta S. Liguor., (*ibid.*) probabiliùs non liberaretur à voto, sed teneretur, mediocrem diligentiam adhibendo, aliam Religionem quærere. Communiter asserunt DD. præfatum non teneri petere Religionem extra propriam nationem vel provinciam ; et mulieres non debere longè à suis parentibus exquirere monasterium : quia ad id non censentur voluisse se obligare. Vide Gautrelet (*ibid.*, p. 59).

II.

De Professione religiosâ.

2684. « Professio Religiosa, inquit Billuart (*De Statu*
» *relig.*, diss. 4, art. 3), non est simplex promissio, ut in
» voto simplici, sed *est simul suî traditio ad cultum divi-*
» *num, seu ad vivendum castè, sinè proprio et sub obedientiâ*
» *in Religione approbatâ et simul traditionem accipiente.* »
Proinde est ac si quis alteri promitteret fructus agri et promittendo daret ipsum agrum, seque obligaret ad illum excolendum juxta voluntatem acceptantis. (Billuart, *ib.*)

2685. Hæc definitio supponit voventem abdicare non

tantùm usum bonorum sed et proprietatem. Diximus tamen supra id non esse de essentiâ statûs religiosi (2483, 2484): unde loco verborum *sinè proprio*, ut definitio accuratior fiat juxta dicta supra, ponendæ sunt voces, *sinè usu bonorum independente*, quando non agitur de solemni Professione.

2686. Professio est vel *latè* sumpta, qualis est quam modò definimus; vel strictè seu potiùs *strictissimè sumpta*, et talis est professio quâ vota solemnia emittuntur, et cui specialiter convenit definitio Billuart supra relata (2684).

2687. Item Professio vel est *expressa*, quæ verbo, scripturâ aliisque nutibus consensum sufficienter declarantibus exprimitur; vel *tacita* quæ nec voce, nec scripto, etc., fit, sed per unum vel plures actus professis proprios censetur induci. Ita Schmalzgrueber, ap. Bouix (*ib.*, p. 604).

2688. Ad valorem Professionis multa requiruntur : I. Ut profitens sit habilis ad ingrediendum Religionem. Qui inhabiles sint diximus in § præcedenti (2598-2640).

II. Ut *decimum sextum annum* impleverit, uti sancivit Synodus Tridentina. Vide supra (2639). Porrò si una tantùm hora deesset, irrita Professio foret, quia juxta S. Congreg. et omnes DD., ætas à Synodo determinata computari debet mathematicè et de momento ad momentum; imò in quibusdam Religionibus ætas provectior exigitur, ut supra diximus (2639).

2689. Die 19 martii 1857 emanavit Decretum sequens à S. Congreg. super Statu regularium : « ...Ex Apostolicâ
» Auctoritatis plenitudine, statuit atque decernit (S. C.)
» et ab omnibus ad quos spectant... observari... jubet, et
» contrariis quibuscumque, etiam speciali et individuâ
» mentione et derogatione dignis, derogat...

» Peractâ probatione et Novitiatu ad præscriptum...,
» novitii vota simplicia emittant postquam expleverint
» ætatem annorum 16...; et quoad laicos et conversos
» postquam ad eam pervenerint ætatem quæ in Constit.
» Clement. VIII, incip. *In supremâ*, præfinita est (2638).

» Professi post triennium, à die quo vota simplicia emise-
» rint computandum, si digni reperiantur, ad Professionem

» votorum solemnium admittantur... Poterit verò Superior
» Provincialis ex justis et rationabilibus causis professio-
» nem votorum solemnium differre, non tamen ultra æta-
» tem annorum 25 expletorum. Si verò in Instituto Pro-
» vinciales non habeantur, eadem facultas attribuitur
» etiam Superiori domûs Novitiatûs, de consensu tamen
» Magistri novitiorum et duorum religiosorum qui in Insti
» tuto aliquo gradu insigniti sunt... »

2690. Die autem 17 julii 1858 nova prodiit declaratio ex Secretaria S. Congreg., ad resolvenda nonnulla dubia :

« 1° Vota simplicia de quibus agitur, perpetua erunt ex
» parte voventis...

» 2° Eorumdem votorum simplicium dispensatio reser-
» vata est Romano Pontifici.

» 3° Eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte
» Ordinis, ita ut, datâ dimissione, professi ab omni dicto-
» rum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

» 4° Facultas... dimittendi professos... votorum simpli-
» cium... spectat ad Commissarium Apostolicum Ordinis
» cum suo Consilio Generali... Idem... cum suo Consilio
» Generali poterit in casibus extraordinariis et præsertim
» pro regionibus... longinquis ad dimissionem decernen-
» dam, subdelegare religiosos probos et prudentes...
» saltem tres.

» 5° Licet ad decernendam dimissionem neque... judicii
» forma requiratur...; tamen Superiores procedere debent
» summâ charitate, prudentiâ et exquisitis.... causis....
» Nemo autem, ex causâ infirmitatis post professionem vo-
» torum simplicium superventæ, dimitti poterit.

» 6° Professi dictorum votorum simplicium participes
» erunt omnium gratiarum et privilegiorum quibus pro-
» fessi votorum solemnium in memorato Ordine.... gau-
» dent.

» 7° Superiores regulares ad quos spectat, concedere
» poterunt hujusmodi professis litteras dimissorias dun-
» taxat ad 1am tonsuram et ad ordines minores, servatis
» servandis.

» 8° Anni professionis qui in dicto Ordine requiruntur

» ut quis voce activâ et passivâ gaudeat et ad officia ad» mitti possit, à die emissionis votorum simplicium com» putantur; et professi votorum simplicium suffragium » habeant.., quatenus... solemniter professi...

» 9° Professi votorum simplicium dominium *radicale*... » suorum bonorum retinere poterunt; sed eis omnino in» terdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio » atque usus: debent propterea, ante professionem votorum » simplicium, cedere pro tempore quo in eâdem... perman» serint, administrationem... quibus eis placuerit.., etiam » suo Ordini, si ita existimaverint.

» 10° Professi votorum simplicium remanere debent in » domibus professoriis et studiorum, et vitam communem » perfectam observare.

» 11° Ad validè emittenda vota solemnia post vota sim» plicia, requiritur Professio expressa, et ideo Professio » tacita omnino abrogata est (solummodo tamen quoad » vota solemnia).

» Hæc Sanctitas Sua statuit.., contrariis quibuscumque, » etiam speciali mentione dignis, non obstantibus, quibus » apostolicâ auctoritate derogat... »

2691. Hujusmodi declarationes non prodierunt in formâ Decreti generalis jus commune constituentis. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 434; et Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 215.

2692. Anno verò 1860, die 20 januar., rescriptum fuit Archiepiscopo Mexicano, jussu S. Pontificis:

1° Quòd regulares, post emissa vota simplicia, et ante emissionem solemnium, non possint ad sacros ordines promoveri titulo paupertatis.

2° Quòd Provinciales, gaudentes apostolico Indulto, possint dispensare cum novitiis super defectu natalium ante emissionem votorum solemnium, sed ad primam tonsuram tantùm et minores ordines.

3° Quòd expectandum sit triennium ante Professionem solemnem, etsi religiosus induerit habitum major 25 annis.

4° Quòd Episcopus possit se gerere cum dimissis non-

dum solemniter professis prout se gerit cum cæteris suis diœcesanis.

Vide apud *Analecta juris pontif.*, janv. et févr. 1860, col. 2157 et 2158.

2693. — III. Requiritur ad Professionem ut præcesserit *integer annus* probationis, ut diximus supra (2647, etc.), nisi obtenta fuerit dispensatio à S. Sede.

Professio autem nulla ex hoc defectu non videtur posse revalidari ex permanentiâ in Religione, id est per tacitam Pofessionem. Ita S. Congr. Conc., in causâ *Pragensi*, ap. Bouix (*De Regular.*, tom. 1, p. 628).

IV. Ut fiat cum intentione Professionem faciendi: ratio patet.

V. Ut Professio non emittatur ob fraudem seu dolum: tunc enim deesset consensus.

2694. — VI. Ut non fiat ex vi vel metu, tam ex parte profitentis, quàm ex parte monasterii acceptantis (Conc. Trident., sess. 25, c. 19, *de Regular.*). Porrò velut metus gravis haberi deberet incarceratio, alimentorum substractio, etc.; itemque metus reverentialis, non quidem se solo, sed accedente precum, blanditiarum et imperii sæpiùs repetitâ importunitate, aut gravi offensione, aut diu continuatâ indignatione consanguineorum, adjunctis etiam minis de subsidiis negandis, si ex Religione egrediatur: hæc enim, vel singula vel certè simul juncta, consideratâ conditione hominis rudis, timidi, Professionem irritare possunt propter metum exindè incussum. S. Liguor. (lib. 4, n° 7).

Professio facta ex metu inferni vel mortis naturalis, non est invalida, cùm non procedat ab extrinseco. — Nec quæ fieret ex metu mortis violentæ, si non foret in ordine ad obtinendam Professionem. Vide infra (5188).

VII. Ut emittantur expressè et æquivalenter tria vota substantialia. Vide supra (2460).

VIII. Ut Professio fiat in aliquâ Religione approbatâ (2464-2466; 2523-2529).

IX. Ut Professio acceptetur ab habente ad id potestatem; (2464) et infra dicenda (2704, etc.).

X. Ut profitens nullam apponat conditionem substantiæ Religionis repugnantem. Vide Bouix (*De Regular.*, ibid., p. 604, 606).

2695. — *Nota* quòd, in cæremoniâ vestitionis vel emissionis votorum, non liceat uti libris qui non essent à S. Sede aut saltem ab Ordinariis approbati. Ita S. Rit. Congreg., 12 sept. 1857, ad 18^m; sed non videtur quòd ideo Professio foret nulla. Vide *Analecta* (23e livr., col. 343 et 355).

PUNCTUM I.

DE PROFESSIONE TACITA.

2696. Etsi ante Tridentinam Synodum locus frequentior esset tacitæ Professioni, attamen à tempore hujus Concilii, non omnino desiit vigere hujusmodi genus profitendi, ut satis constat ex Const. Sixti V *Ad Romanum*.

Tunc potissimùm contingere solet, quando Professio *expressa*, propter certos quosdam juris defectus, fuit nulla, v. g., ob metum : si enim, metu cessante, professus scienter non reclamet, sed remaneat in monasterio actus professis proprios exercens, eo ipso censetur tacitam Professionem facere ; si verò, in monasterio permaneret quia nullitatem suæ Professionis ignorat, multùm disceptatur an tunc ratificetur Professio. (Vide Bouix, *ib.*, p. 624.)

2697. Congrüenter his principiis, Concil. Trid. (sess. 25, cap. 19, *de Regular.*) decernit ne ullus post quinquennium contra Professionis suæ valorem reclamare possit : sanè quia meritò tunc præsumitur Professionem saltem tacitè ratificasse.

Die 29 martii 1598, S. Congr. Concil. sequentem edidit declarationem : « S. C.... censuit quòd Professio fuerit » nulla : ex quo tamen post expletum annum probatio» nis permansit in habitu regulari per duos vel tres an» nos, censeri *tacitam* fuisse Professionem, et dici *profes» sum.* » Quidam tamen hoc genus ratificationis impugnant: et locum non habet hodie pro solemni Professione ut declaratum fuit à Secretario Congreg., super *statu regular.* nomine S. Pontificis, ut vidimus supra (2690, 11°). Vide Bouix, *ibid.*, p. 621, etc.

2698. Extra casum supra expositum, potest fieri adhuc Professio tacita si, v. g., Prælato sciente et non dissentiente, novitius omnes conditiones ad Professionem possidens, suffragium ferat in Capitulo; vel si professorum habitum ab habitu novitiorum distinctum, per tres dies in monasterio gestet; secus si foris tantùm gestasset.

2699. Ad hoc Professionis genus eædem requiruntur conditiones quas modò enumeravimus; et insuper requiritur ut novitius sciat per præfatos actus induci tacitam Professionem. (Bouix, *ib.*, p. 609.)

2700. Non sufficienter convalidatur Professio nulliter facta per renovationem votorum quæ fit quotannis in quibusdam Religionibus ex præscripto regulæ à Sede Apostolicâ approbatæ; quia cùm fiat ex regulâ, non est plenè libera. Ita pluries et constanter à S. Congr. Conc. fuit declaratum, v. g., in *Lingonensi*, 12 apr. et 30 decembr. 1698. Vide Bouix (*ib.*, p. 623).

PUNCTUM II.

DE PROFESSIONE EXPRESSA.

2701. Etsi consuetudo communis sit in Ecclesiâ quòd Professio fiat in scriptis, de jure tamen communi fieri etiam potest non tantùm verbis sed etiam nutibus, ut passim DD. colligunt ex cap. *Porrectum, de Regularibus*.

Sub conditione de futuro, quæ substantiæ Religionis non repugnet, emitti potest; et tunc, conditione impletâ, Professio absque novo consensu in absolutam transit.

2702. Quocumque loco, etiam extra Monasterium, si Italiam et Insulas adjacentes excipias, et quolibet tempore fieri potest.

2703. Professio contra constitutiones Ordinis emissa, non ideo est nulla; nisi nullitatis pœna in eisdem constitutionibus à Sede Apostolicâ specificè approbatis fuerit adjecta. Colligitur ex Decretis S. Congr. (Vide Bouix, *De Regul.*, tom. 1, p. 609-611.)

PUNCTUM III.

AD QUEM PERTINEAT AD PROFESSIONEM ADMITTERE.

2704. « Pour devenir religieux, inquiunt *Analecta* » (22ᵉ livr., col. 216), il faut de toute nécessité qu'il y ait » quelqu'un qui ait le pouvoir de recevoir la profession au » nom de Dieu et de l'Eglise. Or cela peut se faire de plu- » sieurs manières : 1° Par *légitime succession* de religieux » qui aient le pouvoir de recevoir les novices à la profes- » sion suivant les règles canoniques : il faut pour cela l'exis- » tence non interrompue du Chapitre régulier. 2° Par » *légitime mission* de religieux de l'un et de l'autre sexe, » qui soient envoyés par autorité, pour fonder de nou- » veaux monastères : cette mission autorisée par le S. Siége, » donne le pouvoir d'incorporer de nouveaux membres à » la Communauté. 3° Par *délégation apostolique* : lorsqu'il » n'y a pas de réguliers dans un lieu et qu'on n'en a point » pris dans un autre couvent pour fonder de nouveaux » monastères, le Saint-Siége peut commettre la réception » des prétendants et des novices à un Délégué Apostolique » qui accepte les professions en son nom. » Vide etiam *Instit.*, R. de M., pars 2, lib. 1, cap. 2, § 3.

2705. Ut nunc quæstioni propositæ magis specialiter respondeamus, distinguendum est : vel de Ordinibus exemptis agitur vel de non exemptis : si priùs, non potest Episcopus ad Professionem validè admittere, quia hujusmodi admissio est actus ad superioritatem pertinens, ut ait Fagnanus post alios plures, et probatur ex cap. 16, sess. 25 Conc. Trid., *De Regul.*, ubi dicitur : « Superiores novitios » quos habiles invenerint, ad profitendum admittant. »

Si posteriùs, jure communi et secluso casu negligentiæ ex parte Conventûs, etiam ad Episcopum non pertinet ad Professionem admittere, sed hoc spectat ad Superiores conventûs, non solùm cum consilio sed etiam cum consensu majoris et principalioris partis Capituli (S. Liguor., lib. 4, n° 6). Unde si Episcopus sit Superior, regulariter indiget consensu Capituli. Et hæc sunt intelligenda etiam

de Congregationibus in quibus emittuntur duntaxat vota simplicia, aut quæ etiam votis carent.

2706. Intelligenda sunt etiam de monialibus : « quamvis, » inquit Ferraris (v° *Moniales*, art. 1, n° 101), Professio » monialium in manu Ordinarii principaliter, non autem » Abbatissæ, fieri debeat..., tamen si fiat in manu Supe- » riorissæ de consensu majoris partis Capituli, est valida : » cùm Superiossa, per se sola, cum dicto consensu » majoris partis monialium, illam possit recipere, nisi obs- » tent peculiares Constitutiones Religionis. De jure enim » monialium receptio non spectat ad Ordinarium, sed ad » Abbatissam et monasterium. »

Dictum fuit *de jure communi* : nam jure particulari, consuetudine aut Statutis Ordinis firmato, ad Episcopum etiam solum spectare potest jus ad professionem admittendi. Ita Fagn. c. *Porrectum*, *de Reg.* Inspiciendæ sunt ergo, quoad eos qui ad professionem admittere valent, constitutiones et consuetudines legitimæ uniuscujusque Congregationis. Vide Bouix, *De Regul.*, tom 1, p. 611-616.

PUNCTUM IV.

DE EFFECTIBUS PROFESSIONIS VALIDÆ.

2707. 1° Professionem emittens consequitur remissionem omnium peccatorum quoad culpam et quoad pœnam, dummodo non sit in peccato mortali. Ita communiter post S. Thomam (2, 2, q. 189, art. 3, ad 3). Paulus V indulgentiam plenariam pro die Professionis concessit per Bullam *Romanus Pontifex*, 23 maii 1606.

2708. Hæc quidem de solis religiosis solemnem Professionem emittentibus intelligi debent : attamen ex responsione S. Pœnitentiariæ 2 jan. 1836 ad RR. DD. Bouvier directâ, moniales in Galliâ, etsi simplicia tantùm vota emittant, indulgentiis eorum Ordini concessis frui possunt; imò ex respons. S. Congr. Indulg., 22 februar. 1847, religiosæ, etsi non approbatæ à S. Sede pro Galliâ, lucrari tamen valent omnes indulgentias concessas monialibus ejusdem familiæ quæ Romæ vel alibi, ubi fuerunt à Papâ appro-

batæ, existunt. Vide opus *Le chrétien éclairé*, etc., par le P. Maurel, p. 258). Imo variæ indulg. religios. solemniter concess., etiam iis qui simplicia vota emittunt concedi solent si petantur. : « Ces indulgences, ait idem, selon » plusieurs déclarations ultérieures, sont encore générale- » ment accordées à toutes les corporations d'hommes, » ainsi qu'aux monastères, Congrégations, Communautés » de religieuses, vivant sans la clôture et ne s'engageant » à Dieu que par des vœux simples (*Raccolta*, p. 402). »

2709. — 2° Professio extinguit omnia vota priùs emissa : ita tenent ferè omnes, inquit Bouix (*ib.*, tom. 2, p. 497). Attamen hæc doctrina non est omninò certa ; et probabile est, inquit idem, aliqua vota in sæculo facta non extingui etiam per solemnem Professionem : etenim vota alia sunt cum Statu religioso compossibilia ut certæ orationes, jejunia, etc. ; alia sunt cum eodem Statu incompossibilia ut vota peregrinandi, dandi eleemosynas, etc.

2710. Porrò : 1° Certum est vota incompossibilia cum Statu religioso, per Professionem extingui : quia votum, naturà suâ, includit conditionem quòd majus bonum non impediat ; constat autem, inquit Suarez, majus esse bonum Religionis quàm quodlibet aliud.

2711. — 2° Certum est pariter vota cum professione compossibilia extingui per eam, etiam in Religione ubi tantùm emittuntur vota simplicia, si sit in eâ essentia Status religiosi, modò ita *velit profitens :* quia unicuique licet votum suum simplex in melius mutare.... In hoc tamen adverte quòd votum ingrediendi Religionem strictiorem extinguatur quidem per Professionem in laxiori, sed non ex jure divino aut naturâ Professionis, sed ex merâ juris positivi dispositione : hujusmodi autem Professio est illicita, juxta Suarez, contra S. Antoninum et alios; quod probari potest ex Decretali Bonifacii VIII (*Qui post votum* 5, *De Regular.*, in 6o), ubi dicitur : « Qui post votum à se de » certâ Religione emissum, Religionem aliam *etiam* » *laxiorem* ingreditur et profitetur in ipsâ, potest, voto » non obstante (cui tanquam simplici per *votum solemne* » noscitur derogatum), manere licitè in eâdem ; pro voto

» tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda. » (Vide etiam S. Liguor., lib. 3, nº 237.)

2712. Diximus *modò velit profitens* sua vota extingui per professionem : nam si defuerit talis voluntas in profitente, probabilem, imò valde probabilem Suarez habet sententiam quòd solo facto Professionis solemnis non extinguantur vota compossibilia cum Statu religioso, quia de illâ irritatione silent jus divinum et jus ecclesiasticum; ideo prædictus auctor consulit, « ut qui profitentur admoneantur » semper de hujusmodi commutatione faciendâ; vel certè » ut Superiores post factam Professionem illa irritent, quod » facere possunt.» Vide apud D. Bouix (*De Regul.*, tom. 2, p. 497-498). Certo tamen id nequeunt juxta S. Lig., l. 3,237.

2713. Casu quo professio non est solemnis, etsi congregatio substantiam Statûs religiosi contineat, vota cum Statu religioso incompatibilia, desinunt quidem facto hujusmodi Professionis, at cùm tales profitentes possint aliquando à religione dimitti, non omnino extinguuntur, sed potiùs suspenditur eorum obligatio quamdiu in Religione manent voventes. Vide Bouix (*ib.*, tom. 2, p. 499-501). Si verò Congregatio Statûs religiosi essentiam non habeat, in eâ profitens non solvitur votis simplicibus antea factis, nisi vota quæ in congregatione fiunt, sint ex naturâ suâ melioris boni, et ipse vovens in ea commutet sua vota præcedentia, aut nisi cum eo in votis præcedentibus legitimè dispensetur. Vide D. Bouix (*ib.*, tom. 2, p. 502).

2714. — 3° Professio solemnis aufert irregularitatem ex natalium defectu, sed tantummodo ad suscipiendos sacros ordines, non verò quoad Prælaturas vel Dignitates obtinendas. Ita cap. *Ut filii, de filiis* : cæteras irregularitates per Professm non auferri est sententia communior. Bouix, *ibid.*, tom. 1, p. 616; et supra dicta (1772).

2715.—4° Professio dirimit sponsalia, et si solemnis sit, non tantùm est impedimentum dirimens matrimonium subsequens, sed etiam irritat matrimonium præcedens, modò fuerit ratum tantùm et non consummatum. Ita Concil. Trident., sess. 24, can. 6[1].

[1] Juxta nostras leges civiles : « Les vœux faits pour 5 ans étant

2716.—5° Professio liberat professum à patriâ potestate, non obstante lege civili; et hoc certum est : unde parentes qui sæculari lege innixi filium aut filiam, post emissam Professionem, è conventu extraherent, procul dubio graviter peccarent. Bouix (*ib.*, p. 617).

Plures alii effectus Professionis religiosæ numerari possent, sed vel ex antea dictis vel ex infra dicendis sufficienter intelligi poterunt.

PUNCTUM V.

QUID SIT AGENDUM IN CASU PROFESSIONIS NULLIUS VEL IN QUO UT NULLA PRÆTENDITUR.

2717. — 1° Nulliter professus, remoto impedimento, Professionem ratificare potest *expressè* vel *tacitè* : *Expressè* coram Superiore si causa nullitatis fuerit nota, absque Superiore si occulta fuerit causa ; *Tacitè* si Professorum habitum proprium deferat, actusque eis proprios exerceat cum intentione ut talis Ordinis professus efficiatur. S. Liguor., lib. 4, n° 8; DD. Bouvier, *De Decalogo.*

2718. — 2° Quicumque nulliter est professus, reclamare potest servando dispositiones Concilii Trident. (sess. 25, cap. 19, *de Regular.*) ubi decernitur : « Quicumque regu-
» laris prætendat se per vim et metum ingressum esse
» Religionem ; aut etiam dicat, ante ætatem debitam pro-
» fessum fuisse, aut quid simile; velitque habitum dimit-
» tere quâcumque de causâ, aut etiam cum habitu disce-
» dere sinè licentiâ Superiorum, non audiatur, nisi intra
» quinquennium tantùm à die professionis, et tunc non
» aliter nisi causas quas prætenderit deduxerit coram
» Superiore suo et Ordinario. Quod si antea habitum
» spontè dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque
» causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur,

» reconnus par la loi (en France), une religieuse qui, après les avoir
» prononcés, abandonnerait son état, ne pourrait se marier avant l'ex-
» piration de son engagement. L'officier de l'état civil devrait refuser
» l'acte de célébration. » Calmette, *Tr. de l'adm. tempor. des commun. relig.*, p. 34.

» et tanquam apostata puniatur; interim verò nullo privi-
» legio suæ Religionis juvetur. »

2719. Unde professus qui prætendit suam Professionem fuisse nullam : 1° non debet habitum deponere, nec è monasterio cum habitu religioso sinè licentiâ Superioris discedere, nisi, Superiore licentiam negante, ex justâ causâ sinè habitu è monasterio aufugeret, et Superiorem majorem vel Ordinarium loci, causam nullitatis defensurus, adiret; 2° causam nullitatis ante egressum, coram Superiore, Abbate videlicet, aut Guardiano aut Priore, etc., et simul Ordinario loci deducere et probare debet; si Ordinarius et Superior regularis à se invicem dissentiant, causa devolvitur ad Sedem Apostolicam (Bulla Bened. XIV *Si datam*); 3° dicta in numero præcedenti fieri debent intra quinquennium à die Professionis inchoandum. Juxta Gautrelet, *Tr. de l'état relig.*, tom. 1, p. 120, fieri possent etiam post quinquennium in congregationibus in quibus emittuntur tantùm vota simplicia; elapso autem quinquennio, adhuc potest haberi recursus ad S. Pontificem, sed viâ tantùm extraordinariâ. Vide DD. Bouvier, *ibid.*, ut supra et D. Bouix, *De Regular.*, tom. 1, p. 629, 630, et *De Judiciis*, tom. 2, p. 470 et 473.

2720. Post primam sententiam, nondum potest professus è Religione egredi; sed secundam sententiam, post appellationem à defensore validitatis professionis ab Ordinario loci deputando interjectam, expectare debet. Vide Bouix, *De Judiciis*, tom. 2, p. 469-470; S. Liguor., lib. 4, n° 8, in fine. Quæcumque autem sancita sunt quoad Defensorem matrimonii, quæ videri poterunt infra (6087, 6088, etc.), applicanda sunt Defensori Professionis religiosæ.

2721. Causæ nullitatis pro monialibus non exemptis dignoscendæ sunt à solo Ordinario : pro exemptis verò ab Ordinario conjunctim et Prælato cui regimen monasterii commissum est. Casu quo isti judices non concordarent, lis per Sedem Apostolicam esset dirimenda. Billuart, t. 12, p. 474, *petes* 5°, edit. 1828; Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 468. De formâ in hujusmodi processibus servandâ, vide Bullam *Si datam*, supra citatam.

2722.—3° Controvertitur an ei qui conscius est nullitatis suæ Professionis, sed nequit probare illam esse invalidam, liceat ad sæculum redire et matrimonium contrahere : sententia communis affirmat, dummodo sinè gravi scandalo, aut alio majore incommodo possit è conventu abire. Ita Sanchez, Layman, Navarrus, Pirrhing, Reiffenstuel, etc. : Fagnanus verò adhæret sententiæ neganti, et in eamdem valde inclinatur D. Bouix. Vide quæstionem apud istum fusè discussam, *De Regular.*, tom. 1, p. 631-642.— Auctor verò *Prælect. S. Sulpitii* propendit in primam sententiam affirmantem.

PUNCTUM VI.

AN PROFESSIO NULLITER EMISSA QUOSDAM TAMEN HABEAT EFFECTUS ET VALEAT SALTEM UT VOTUM SIMPLEX.

2723. Difficultate non caret solutio hujus dubii : ex unâ parte, Synodus Tridentina ita annullat Professionem, ante expletos 16 annos aut nondum finito Novitiatûs tyrocinio emissam, ut *nullam inducat obligationem ad quoscumque effectus* (sess. 25, c. 15, *De Regular.*); et Clemens VIII professiones emissas extra conventus designatos, *nullas et irritas esse ad quemcumque effectum* declarat in Decreto *Sanctissimus* (20 jun. 1599) : attamen ex aliâ parte, Sacra Congr. Concil. juxta Fagnanum declaravit quòd « *Decretum* Clementis VIII, quamvis decernat » nullas esse ad quemcumque effectum receptiones ad » habitum et Professiones emissas in monasteriis non » designatis..., tamen per ea verba non sustulit obliga- » tionem quæ ex voto proficiscitur... quemadmodum De- » cretum Concilii..., quamvis utatur verbis multò magis » urgentibus, decernendo irritas Professiones ante annum » 16..., addendo, ut nullam inducat obligationem ad *ali-* » *cujus regulæ vel Religionis vel Ordinis observationem*, » aut ad alios quoscumque effectus, nihilominus S. Congr » à Cardin. Bellarmino consulta, declaravit Concilium » nihil disposuisse de voto. » Item ex cap. *Quidam* 3, *de convers. conjugat.*, etsi conjugati Professio facta sinè consensu compartis sit nulla, vim tamen habet voti perpetui

castitatis. Unde Professio nulliter emissa quosdam habet effectus in certis casibus, et valet saltem ut votum simplex castitatis : hoc tamen non admittit DD. Bouvier, et contrarium probabilius existimat Billuart (tom. 12, *de stat. relig.*, p. 468, edit. 1828).

2724. Certum est Professionem non valere etiam ut votum simplex castitatis si ipsa fuerit nulla ex defectu consensûs. Sed si talis professus probare nequiret consensûs defectum, cogi posset ad manendum in monasterio ; imò juxta plures, exire non posset tutâ conscientiâ, etsi aufugere posset sinè scandalo. Vide apud Bouix (*De Regular.*, t. 1, p. 642-646).

Item, juxta eumdem (*ib.*, p. 646-649), Professio nulla ex eo capite quòd emissa fuerit in Religione non approbatâ, effectum habet voti simplicis, et obligat ad ingrediendam Religionem ex approbatis : id auctor probat ex Bullâ *Romanus Pontifex* Urbani VIII, 20 maii 1626. Quæstio tamen est controversa (*ibid.*).

§ III.

De quibusdam iuris dispositionibus monialium Novitiatui aut Professioni specialibus.

PUNCTUM I.

DE EXAMINE ANTE NOVITIATUM ET PROFESSIONEM.

2725. Sancitum fuit à Concilio Tridentino (sess. 25, c. 17, *De Regular.*) quòd ante Novitiatum et Professionem moniales ab Episcopis examinarentur : sic enim habet : « S. Synodus statuit atque decernit ut si puella, quæ ha- » bitum regularem suscipere voluerit, major duodecim » annis sit, non ante eum suscipiat ; nec postea ipsa vel » alia Professionem emittat quàm exploraverit Episcopus » (vel, eo absente vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis » eorum sumptibus ab eis deputatus) virginis voluntatem » diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat ; » et si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habuerit-

que conditiones requisitas juxta monasterii illius et Or-
» dinis regulam, necnon monasterium fuerit idoneum,
» liberè ei profiteri liceat. Cujus professionis tempus, ne
» Episcopus ignoret, teneatur Præfecta monasterio eum
» ante mensem certiorem facere. Quòd si Præfecta certio-
» rem Episcopum non fecerit, quamdiù Episcopo videbi-
» tur, ab officio suspensa sit. »

2726. Hodie dari nequit casus puellæ habitum ante 12 annum suscipientis, quia intervenit Decretum S. C. Episcop. et Regul. prohibens ne ante expletum annum 15 puellæ ad habitum admitterentur. (Vide Bouix, *De Regul.*, tom. 1, p. 652.)

Ex Decreto modò relato Concilii Trident., duplex est facienda *exploratio*: nempe antequam puella *habitum suscipiat*, et antequam *Professionem emittat*. Non defuère quidem auctores qui consuetudine nixi, sustinuerunt unicam sufficere explorationem, sed tuta non videtur illa consuetudo, sicubi existat, utpote Conc. Tridentino adversa, contra quod prævalere posse consuetudinem, saltem admodum est dubitandum, ut diximus supra (144).

2727. Defectu præfatorum examinum, non est invalida Professio: quia de hujusmodi nullitate tacet omnino Concilium Trident. Ita Fagnan, asserens pluries sic à S. Congr. Concilii fuisse decisum; sic etiam S. Liguor., lib. 4, n° 5.

2728. Etiam moniales exemptæ examinandæ sunt ab Episcopo ante ingressum in Religionem et ante Professionem: estque id extra omnem controversiam apud Doctores; sic pluries fuit decisum à S. C. Concil., et signanter 13 nov. 1627 et 16 decembr. 1645.

2729. Prædictæ explorationes infra quindecim dies, postquam Episcopus aut ipsius Vicarius requisitus fuerit, fieri possunt et debent, juxta Constit. S. Pii V *Etsi mendicantium*, 16 maii 1567. — Ex eâdem Constit., ad crates monasterii est peragenda, et prohibetur ne aliæ interrogationes fiant quàm eæ quas *Concilium Trident. jubet*, scilicet: *an Deo dicanda coacta, an seducta sit, an sciat quid agat*. Possunt tamen tres illæ quæstiones variis formulis exprimi; sed vitandum est, variando formulas, ad alia

excurrere; indebita enim foret, v. g. interrogatio quâ à novitiâ postularetur *num aliquando de ineundo matrimonio excogitavit; num christianè vixerit; num carnis tentationibus aut lapsibus sit obnoxia*, etc. — Per se vel Delegatum Episcopus et ipsius Vicarius valent hoc examen peragere.

2730. Quamvis præfatâ lege Concil. Trident. non ligetur Episcopus nisi quoad moniales quæ vota solemnia emittunt: Concilium enim et S. Pius V loquuntur de suscipiendis in ordine ad *Professionem*, quæ in jure est *Professio solemnis;* attamen Episcopus potest, si velit, vetare ne puellæ, etiam in Congregationibus quæ vel solùm simplicia vel nulla vota habent, ad habitum vel professionem admittantur ante factum à se examen, in quo tunc non astringitur ad formam à Concilio Trid. et S. Pio V determinatam, sed duntaxat ad prudentiam et æquitatem à jure naturali præscriptam. (Vide Bouix, *De Regul.*, tom. 1, p. 651-658.)

PUNCTUM II.

DE NUMERO MONIALIUM ADMITTENDO.

2731. Ex Concil. Trident. (sess. 25, cap. 3, *De Regular.*) et pluribus Pontificiis Constitutionibus, præfigendus est monialium numerus qui redditibus conventûs vel consuetis eleemosynis sustentari valeat. Hæc assignatio fieri debet vel ab Episcopo solo, si monasterium non sit exemptum, vel ab Episcopo unà cum Prælato regulari cui monasterium est subjectum. Vide Constit. *Deo sacris* Gregorii XIII.

2732. Hæ dispositiones non attingunt Congregationes in quibus vota solemnia non emittuntur. Bouix, *De Regul.* (tom. 1, p. 658-660), et dicta supra (2563, etc.).

PUNCTUM III.

DE DOTE MONIALIUM.

2733. Dotis nomine intelligitur certa summa pecuniæ, taxata à legitimo superiore, monasterio danda in sustentationem monialis in eo profitentis.

In *Thesauro resolutionum* S. C. Concilii (tom. 3, p. 154),

sequentia leguntur circa dotem : « Communissima et re-
» cepta sententia esse videtur, quòd vera committatur
» simonia, quando fit pactio dandi dotem monasterio, sive
» diviti sive pauperi, tanquam pretium ingressûs in Reli-
» gionem, vel Professionis : sed quando fit pactio dandi
» dotem in causam alimentorum ingredientis vel profi-
» tentis, tunc si *monasterium est opulentum, pactio redolet*
» *speciem simoniæ et avaritiæ :* secus autem quando Mo-
» nasterium est inops : tunc quippe pactio permissa est et
» à totius Ecclesiæ consuetudine approbata. » Vide hoc decisum à S. Congr. Conc., 14 apr. 1725, ap. Bouix, *ib.*, tom. 1, p. 661.

2734. Potest tamen monasterium etiam opulentum dotem recipere si sponte offeratur; imò Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 11, cap. 6, n° 5) dicit ipsi licitum esse exigere; et Ferraris (v° *Monialis*, art. 2, n° 18) vult quòd moniales velatæ absque dote non debeant admitti sinè dispensatione S. Congr. Episcop. et Regul., ad quam recurrendum est etiam pro Congregationibus vota duntaxat simplicia habentibus, quia talis receptio est quædam species alienationis. Et in hoc sensu citantur plures decis. S. Congr. Episc. et Regul., ap. *Analecta*, 32ᵉ livr., col. 1530-1538.

2735. Taxatio autem dotis ad superiores monialium spectat, nempe Episcopos pro monialibus vota simplicia emittentibus, prout in Galliâ : consultum est tamen ut hæc taxatio de consensu saltem majoris ac sanioris partis monialium fiat; pro exemptis, hodie recurri debet ad S. Congreg. Episcop. et Regular. Vide Bouix (*De Regular.*, tom. 1, p. 663; et *Analecta*, 32ᵉ livr., col. 1527-1529.

2736. Dotes solvi debent ære, nec pro eis assignari possunt bona immobilia aut census. (Ferraris, v° *Moniales*, art. 2, n° 19; *Analecta*, ib., col. 1538-1540.)

Non potest dos monasterio consignari, etiam titulo depositi, ante professionem (Ferraris, v° *Novitius*, nis 64 et 65) : in hoc tamen plurimùm attendendum esse ad receptas regionum consuetudines, communiter asserunt DD., ap. D. Bouix, *ibid.*, p. 664.

2737. *Nota* quòd bona monasteriorum et dotes monia-

lium nequeant alienari absque Sedis Apostolicæ beneplacito. Vide decisum à S. Congregat. Concil., ap. *Analecta* (*ib.*, col. 1546); sed ita collocari debent ut frugiferæ efficiantur (*ibid.*, col. 1549).

2738. In Galliâ et Belgio hodie non stipulatur pro *dote*, quia ibi lex civilis *dotem* religiosam non recognoscit, sed pro *sustentatione*. Bouix, *ibid.*, p. 665.

De quo sic habet D. Calmette (*Tr. de l'administr. des Communautés relig.*, p. 35) : « Plusieurs contestations » se sont élevées sur la validité du contrat qui intervient à » cette occasion... Mais la jurisprudence a toujours vu avec » raison, dans de telles conventions, un contrat commu- » tatif, et elle a, en conséquence, repoussé ces prétentions » (ex parte nempe hæredum repetendi dotem tanquam donationem à lege prohibitam). « Ainsi jugé par la cour » royale d'Agen. Arrêt du 22 mars 1836 » : quod ab eodem auctore refertur ex parte, *ibidem*.

2739. Quærit. An Monialibus, è monasterio egredientibus vi legitimæ dispensationis, dos sit restituenda ?

Resp. Si vota sint simplicia, dos in casu est restituenda. Ita S. C. Conc., in causâ civitatis *Castellanæ*. Æquum tamen videtur ut aliqua pars dotis relinquatur monasterio in compensationem expensarum pro sustentatione factarum.

Si verò vota essent solemnia, dos non esset restituenda : cùm per professionem solemnem illius dominium transferatur irrevocabiliter in monasterium : ideoque egrediens à Religione, vel ad aliam transiens, nequit illam dotem repetere, neque alimenta consequi valet. Ita Pignatelli, ap. Bouix, *ibid.*, p. 666.

Si tandem quæstio esset de Instituto ubi nulla emittuntur vota, sed ex eo moniales liberè recedere aut ab eo dimitti possunt, tunc juxta Card. De Luca, dos non est restituenda si sponte moniales egrediantur ; secus si invitæ et absque culpâ dimitterentur. Vide dicta supra (2614) et infra dicenda (2764, 3099).

2740. Attamen *Analecta*, paulò aliter quæstionem solvunt (*ibid.*, col. 1556) : « Il faut distinguer plusieurs cas,

» inquiunt : 1° Si les règles ont été approuvées par le Saint-Siége, on doit se conformer à ce qu'elles prescrivent, et cela concerne les Instituts où il n'y a pas de vœux ; 2° si les religieux font des vœux, la question de la restitution de la dot est résolue par le Saint-Siége dans le même temps qu'il décide s'il y a lieu à dispenser de ces vœux ; car les Evêques n'ont pas, en vertu de leur jurisdiction ordinaire, le pouvoir de dispenser des vœux religieux même simples [1]... ; 3° enfin dans le cas où les Sœurs ont embrassé un Institut dans lequel il n'y a aucune obligation de persévérer, la restitution de la dot se juge suivant les lois ordinaires des contrats. »

2741. Quoad leges civiles in Galliâ, valida esset dimissio monialis approbata ab Ordinario post deliberationem Consilii Administrationis : *Decis. Minister.*, 24 août 1811. In hoc casu, monialis dimissa jus habet ad recuperandam dotem à se allatam : « Elle ne pourrait dans aucun cas demander le partage des bénéfices et des économies réalisées par la communauté, et elle n'aurait droit à aucune pension alimentaire, ni à aucune indemnité. Ainsi jugé par le tribunal de la Seine, le 4 juin 1831, et par celui du Puy le 16 juin 1853. » D. Calmette, *Tr. de l'administ. tempor.*, etc. (p. 41).

PUNCTUM IV.

PUELLIS AUT MULIERIBUS QUÆ CAUSA EDUCATIONIS AUT ALIORUM TITULORUM IN MONASTERIIS ADMITTUNTUR

2742. Puellæ, causâ educationis, recipi possunt in monasteriis monialium, etsi clausuræ papali subjectarum Id constat pluribus S. Congr. Episc. et Regul. decisionibus, suppositis tamen pluribus conditionibus : 1° ut Congregatio

[1] Hæc assertio est vera quidem quoad votum castitatis perpetuæ ; item quoad cætera vota religiosa, si non consentiat dispensationi Institutum vel congregatio religiosa ; si verò assentiat, non videtur assertio generaliter vera nisi pro Institutis in quibus adesset specialis reservatio à S. Sede facta. Ratio sic decidendi est quòd vota simplicia non sint generatim reservata. Unde in iis Episcopus potest dispensare, nisi adsit reservatio specialis. Vide dicta infra (3069).

ad educandas puellas sit à S. Sede approbata, vel habeatur expressa licentia S. Congr. Episc. et Regular...; Superior vel Episcopus qui receptionem puellæ permitteret, excommunicationi subjaceret : nec valet consuetudo in contrarium, inquit Bouix (*De Regul.*, tom. 1, p. 669) ; 2° ut locus iis puellis destinatus in monasterio, distinctus sit ab ædibus à monialibus occupatis ; 3° ut puellæ de consensu Superioris et monialium per suffragia secreta recipiantur ; 4° ut non excedatur numerus monasterio assignatus ; 5° ut non admittantur ante septimum annum et post annum 25 : completo autem anno 25, puellæ jam admissæ præfigendus est ab Ordinario terminus, intra quem vel egrediatur vel habitum Religionis suscipiat ; 6° ut puella sinè ancillâ admittatur, modesto et non mundano habitu induta ; 7° ut semel admissa non egrediatur, aut si egressa fuerit, denuò non suscipiatur absque expressâ S. Congr. licentiâ, nisi rediret ad suscipiendum habitum religiosum.

2743. Illæ tamen conditiones non requiruntur pro monasteriis clausuræ papali non subjectis, proinde in Galliâ non requiruntur. Vide Bouix, *ibid.,* p. 668-671.

2744. In Galliâ, Congregationes religiosæ à Gubernio quoad hoc approbatæ, puellarum educationi incumbere possunt : imò religiosæ hujusmodi Institutorum habiles reputantur huic muneri, modò obtineant à suâ Superiorissâ Generali *litteras obedientiales,* quæ eis locum tenent *Brevis Capacitatis* (*brevet de capacité*) à lege requisiti (art. 49, legis 15 martii 1850). — Cæterùm de legislatione civili circa instructionem datam in Congregationibus religiosis, vide citatum D. Calmette, *Traité de l'admin. tempor. des Commun. reliq.,* etc., p. 192-245.

2745. De licentiâ solius Papæ famulæ sæculares ad obeunda communia monasterii servitia admitti possunt in monasteriis mulierum clausuræ papali subjacentium ; cæteræ mulieres non sunt item admittendæ absque licentia Sedis Apostolicæ. Vide Bouix, *ib.*, p. 673.

Quid autem sit dicendum de puellis in monasteria admissis, quoad matrimonium, Communionem Paschalem,

Viaticum, Extremam-Unctionem, diximus supra, *De Parocho* (1348-1387; 1400-1402).

ART. V.

DE RELIGIOSORUM OBLIGATIONIBUS.

2746. Ad tria præsertim capita reduci possunt religiosorum obligationes; videlicet : 1° ad obligationes provenientes ex eorum votis; 2° ad obligationem tendendi ad perfectionem; 3° ad plures alias obligationes, uti servandi regulam, clausuram, gestandi habitum religiosum et nonnulla alia observandi. De obligatione religiosorum quoad divinum officium dicemus in libro 2, *de officio divino*. Vide etiam infra (2945).

§ I.

De obligationibus religiosorum ex eorum votis procedentibus.

PUNCTUM I.

DE OBLIGATIONIBUS EX VOTO CASTITATIS.

2747. Per votum castitatis religiosi, non solùm matrimonio, sed etiam omni delectationi venereæ seu turpi renuntiant [1], adeo ut contra castitatem peccantes, simul et votum violant, proin peccatum perpetrant triplicem malitiam continens, nempe *impudicitiæ* contra castitatem; *infidelitatis*, contra Deum, ob non impletionem promissionis ipsi factæ; *sacrilegii*, ob violationem seu profanationem personæ Deo consecratæ; et hoc est certum, si votum sit *solemne;* probabilius autem si votum sit duntaxat simplex, uti docet S. Liguor. (lib. 3, n° 47).

[1] Juxta P. Gautrelet votum *virginitatis*, extra Religionem emissum, non obligat ad vitanda peccata interna cogitationis, desiderii, etc nisi vovens ad ea vitanda expressè voluerit se obligare (*Tr. de l'état relig.*, tom. 1, p. 312). Sed qui extra Religionem vovit continentiam seu *castitatem*, videtur se obligasse ad vitanda etiam peccata interna quæ, etsi non lædant *virginitatem*, lædunt tamen continentiam et castitatem.

PUNCTUM II.

DE OBLIGATIONIBUS EX VOTO PAUPERTATIS.

2748. Ex capit. *Cùm ad monasterium, de Statu monach.*, et ex Concil. Trident. (sess 25, cap. 2, *de regular.*), per votum paupertatis religiosi censentur se spoliasse saltem *jure independenti* utendi rebus temporalibus; sic hodie communiter intelligitur votum paupertatis apud omnes religiosorum familias : unde peccant religiosi quoties absque legitimâ Superiorum licentiâ de bono aliquo temporali disponunt.

2749. Quærit. 1° Quænam bona temporalia abdicet pauperiatem vovens ?

Resp. Jam solutam fuisse hanc quæstionem supra (2477). Supersunt tamen quædam dubia hìc solvenda :

1° Certum est honorem, famam, scientiam, jus eligendi, præsentandi et conferendi beneficium regulare non esse necessariò de objecto paupertatis religiosæ. S. Liguor., lib. 4, n° 14.

2750. 2° Controvertitur utrum manuscripta ad religiosos pertineant, ita ut possint ea secum deferre, et aliis prout libuerit cedere sinè violatione voti paupertatis : sententiam affirmantem communissimè tanquam probabiliorem DD. tenent; tum quia hæc sunt aliquid spirituale, cùm sint partus ingenii, quamvis alieno studio elaborata; tum quia pertinent ad scientiam, quæ sub paupertatis voto non cadit; tum denique quia sic fert usus communis. Constat aliundè ex Brevi *Postulat* Bened. XIII anni 1724 et Declarat. Clementis VIII; dummodo tamen contrarium non fuerit definitum in Ordinis Constitutionibus. Quod autem de manuscriptis, idem dicunt Salmanticenses de Reliquiis.

2751. Quoad picturas à religioso elaboratas, aliqui sic distinguunt : si monasterium telas, colores et alia ejusmodi religioso præbuerit, picturæ ad monasterium pertinent : si hæc ab aliis ministrata fuerint, non ad monasterium, sed ad hæc subministrantes spectant. Vide S. Lig., lib. 4, n° 14. At cùm pictura ordinariè sit id quod est præ-

cipuum in tabellis[1], si habeatur ut opus spirituale, non video quid impediret quin proprietas tribuatur religioso qui illas elaboravit.

2752.—3° Religiosus cui legitimè collatum fuit beneficium ecclesiasticum, potest illud administrare et de illius redditibus disponere independenter à Superiore, quia res est spirituali annexa; non tamen potest id licitè, nisi ad propriam sustentationem et pios usus. Vide S. Liguor., lib. 4, n° 16.

2753. Quærit. 2° An sit licitum religiosis habere peculium, id est bonum temporale ad uniuscujusque, non autem ad communes usus monasterii destinatum [1]?

Resp. 1° Certè illicitum est religiosis peculium habere cum independenti ipsius usu : est id extra omnem controversiam apud Doctores, et constat Concil. Trident. (sess. 25, c. 1, *de regul.*), ubi statuitur: « Nemini igitur regularium, » tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia vel » mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis » modo ab iis acquisito, *tanquam propria, aut etiam nomine conventûs*, possidere, vel tenere; *sed statim ea* » *Superiori tradantur, conventuique incorporentur;* nec » deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari » concedere, etiam ad *usumfructum vel usum*, administra» tionem, aut commendam. Administratio autem bono» rum monasteriorum ad solos officiales eorumdem, ad » nutum Superiorum amovibiles pertineat; mobilium verò » usum, ita Superiores permittant, ut eorum suppellex » statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat; nihil» que superflui in eâ sit; nihil etiam quod sit necessarium » eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere » deprehenditur, aut convictus fuerit, is biennio activâ et » passivâ voce privatus sit, etc. »

Jam idem ante Tridentin. prohibitum fuerat à Concilio Lateran. III: « Monachi non pretio recipiantur, nec *peculium* permittantur habere. » (Cap. *Monachi, de statu Monach.*)

2754. — 2° Jure naturali peculium cum usu dependenti

[1] Conventus in quibus nullum admittitur peculium, dicuntur *vitam communem* habere.

Statui religioso, etiam strictè dicto, non repugnat: contrarium olim nonnulli tenuerunt, uti videre est ap. S. Liguor., lib. 4, nº 15; sed sic fert hodie sententia communiter recepta : et ratio est quia is non agit contra paupertatem etiam primi gradûs qui bonis non utitur nisi cum dependentiâ Superiorum.

2755.—3º Controvertitur utrum peculia cum usu dependenti fuerint prohibita à Concilio Tridentino : probabilior videtur sententia affirmans : nam in Concilio Trident., loco citato (2753) dicitur : *Nemini liceat... bona..., etiam nomine conventûs, possidere vel tenere*. Responderi potest prohiberi quidem à Synodo ne religiosus *peculium apud se* habeat, et injungi ut ad Superiorem deferatur; non autem ne habeat aliquid apud Superiorem depositum; sed huic interpretationi opponi possunt verba *conventuique incorporentur*, quæ vitæ communis injunctionem et peculiorum interdictionem sonare videntur. Vide ap. D. Bouix (*De Regular.*, tom. 1, p. 544); et ap. S. Liguor. (*ib.*).

2756.—4º Certum est peculia, etiam cum usu dependenti, fuisse à Clemente VIII per Decretum *Nullus* prohibita: evolvens enim et innovans præfatam Concilii Tridentini dispositionem addit : « Ea omnia (bona) statim Superiori » tradantur et conventui incorporentur, atque *cum cæteris* » illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus con» fundantur : quo communis inde victus et vestitus omnibus » suppeditari possit. » Ergo, etc.

2757. Attamen 5º Ex consuetudine et Sedis Apostolicæ praxi, in pluribus monasteriis, perseverat adhuc usus peculiorum, et licitus est juxta S. Liguor. (lib. 4, nº 15). Ipsemet Clemens VIII, in Decreto ab eodem S. Liguorio relato, declaravit : « Moniales verò, quæ... in posterum » admittentur in iis monasteriis, *in quibus subventiones* » *retinentur, nullatenus* invitæ cogantur ad vitam commu» nem. » Idem constat pariter pluribus aliis, etiam à SS. Pontificibus emanatis qui legi possunt apud D. Bouix (*De Regular.*, tom. 2, p. 545-548) : « Omnes conveniunt, in» quit S. Liguor. (lib. 4, nº 15), quòd in iis conventibus » in quibus non observatur vita communis ob pauperta-

» tem, vel incuriam Superiorum subministrandi subditis » necessaria, possunt concedi peculia ad nutum Prælato- » rum : ratio quia Trident. tunc præcipit religiosis vitam » communem, cùm à conventu *nihil quòd sit necessarium* » *denegetur.* »

2758. Modò autem religiosis necessaria suppeditentur, tenentur ipsi peculia, etiam cum usu dependenti habita, abjicere, si Superiores vitam communem restaurare velint: nec potest objici praxis in contrarium, quia *peculii* usus non est nec potest esse licitus nisi cum dependentiâ; et proinde cessare debet statim ac Superiores illud prohibent. Vide ap. D. Bouix, *ib.*

Usus *peculii* non potest licitè introduci ubi viget vita communis. Vide S. Liguor., *ibid.*

2759. — 6° Quoad conditiones quibus peculia et *Livella* seu census legitimè haberi possunt, numero quinque enumerantur à Ferrario (v° *Moniales*, art. 2, n° 71) : « *Prima...* » quòd (moniales, idem dic de religiosis) habeant depen- » denter à voluntate Superioris; *secunda* ut sint paratæ » peculium consignare ad nutum ejusdem Superioris; » *tertia*, ut pecunias convertant in licitos et pios usus...; » *quarta*, quòd non sit peculium superfluum; *quinta*, quòd » sit penes capsam depositi, seu ærarium commune. » — Ex Collatore tamen Andegavensi posset poni seorsim, vel annotari in registro sub nomine religiosi cui peculium datur, modò non sit sub illius manu. Vide P. Gautrelet, *Tr. de l'état relig.*, tom. 1, p. 270, edit. 1846.

2760. Cùm Trident. Synodus jubeat ut omnia bona *Superiori tradantur,* non potest religiosus peculium suum apud se asservare : si tamen contraria invaluisset consuetudo, non liquet illam esse omninò abjiciendam; modò tamen religiosus peculium suum non ita occultet ut clavibus obserat, quominus de eo Superior nequeat liberè disponere : aliàs non servaret cum dependentiâ Superioris. Vide apud Bouix, *ib.*, p. 551.

2761. Supradicta *livella,* seu census ad usus particulares alicujus regularis destinati, constitui nequeunt à consanguineis aut aliis nisi cum superiorum licentiâ, et monas-

terio, non verò religioso acquiruntur. Cùm autem à Concil. Trident. prohibitum sit ne superflua religiosis concedantur, necessaria est S. Sedis licentia quando agitur de censibus pinguibus constituendis. Vide Ferraris, v° *Moniales*, art. 2, n° 80.

2762. Sinè licentiâ S. Congregationis moniales et regulares nequeunt cedere livella suis consanguineis (Ferraris, *ib.*, n° 72); ipsis tamen possunt cedere fructus illorum cum superiorum consensu, modò ad magnam summam non pertingant; aliàs obstarent Decreta Clementis VIII et Urbani VIII de largitione munerum. Imò pro condonatione fructuum *futurorum annorum* requiritur licentia S. Sedis. Ferraris, *ib.*, n^is^ 73, 74, *addit.* n° 12.

2763. Legatum alicui regulari relictum sub conditione quòd ad ipsum, durante vitâ, pertinebit, independenter à Superioris licentiâ, monasterio acquiritur, et dicta conditio pro non adjectâ habetur. Ferraris, *ib.*, n° 83.

2764. Quando religiosi ad aliud monasterium, vel ad aliam Religionem transeunt, ipsorum pensiones cum eis ad novum monasterium vel novam Religionem transeunt. Ita decisum refert Cardin. Petra, ap. D. Bouix (*De Regul.*, tom. 2, p. 552, 553). Vide dicta supra (2739, 2740). — Contradicit autem R. de M. Vide infra (3099).

2765. Quærit. 3° An et quatenus religiosus aliquid dare valeat?

Resp. Generatim religiosus, aliquid ex rebus ipsi in usum concessis in alium usum expendens absque licentiâ, aut culpabiliter amittens aut destruens, peccat contra votum paupertatis : quia per hujusmodi votum usum rerum independentem sibi abstulit.

2766. Quidam casus excipiuntur : 1° succurrere possunt pauperi magnâ paupertate laboranti, quando aditus ad Superiorem non patet ; 2° eis licet moderatas eleemosynas facere, si versentur extra conventum cum debitâ licentiâ; imò Bordonius eis permittit dare pauperibus aliquid esculenti quando sunt in conventu, quia meritò Prælatus præsumitur in iis consentire; 3° eis etiam permittitur leves donationes facere amicis et consanguineis in signum grati

animi, vel debitæ amicitiæ, vel ad conciliandum amorem erga Religionem : modò non excedant limites à Clemente VIII et Urbano VIII pro largitione munerum præfixos ; 4° etiam sinè licentiâ, religiosus potest donationes facere remuneratorias ex bonis sibi concessis ad usum ; imò plus potest donare quàm accepit, usque ad excessum quartæ partis, quia gratitudo postulat ut plus reddatur quàm fuerit acceptum ; 5° probabiliùs est quòd religiosus non possit donare quæ parciùs vivendo sibi subtraxit ex rebus sibi concessis ad usum, nisi certa quantitas èi assignetur, ita ut nec monasterium teneatur aliud præstare, nec ipse pro illâ rationem reddere. De his vide S. Liguor. (lib. 4, n^is 19-23).

2767. Quærit. 1° An religiosis sit prohibitum munera elargiri ?

Resp. Generatim Constitutione *Religiosæ* Clementis VIII, moderatâ per Decretum *Nuper* Urbani VIII (quæ in extenso reperiri possunt ap. Ferraris, v° *Regulares*, art. 1, n° 67), prohibetur ne ullus regularis ullum munus elargiatur : et in hàc prohibitione, comprehendundur etiam conventus et ipsorum Capitula ; accipientes autem munera à regularibus cogi debent ad restitutionem conventui faciendam.

2768. Quidquid sit de reservat. Papæ peccati recept. munerum a regular., de quo v. Ferr. v° *Res. Cas.* 14, hæc certe non attingit illos qui munera accipiunt à Religiosis alterutrius sexûs pertinentibus ad Instituta in quibus vota tantùm simplicia nuncupantur. Ita decisum à S. Pœnitentiariâ, 13 martii 1861 : vide *Revue des sciences ecclés.*, n° 18, p. 555.

2769. A dictâ generali prohibitione excipiuntur : 1° *leviora esculenta* et *poculenta* : item *munuscula ad devotionem pertinentia*, etsi donentur sinè consensu conventûs. Ita saltem ordinariè.

2770. — 2° In Decreto Urbani VIII declaratur : « Munera à religiosis utriusque sexûs, tribui posse ex causis » gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ ejusque con- » servationis erga ipsam Religionem vel conventum, » aliisque causis ex sui naturâ actum virtutis et meriti con- » tinentibus : modestè tamen et discretè, et dummodò id

» non fiat nisi de Superiorum localium licentiâ, ac etiam » cum consensu majoris partis conventûs, si talis con» sensus, de jure vel ex constitutionibus seu consuetudi» nibus cujusque Religionis respectivè, in hujusmodi casi» bus requiratur. » Quoad quantitatem, ex circumstantiis personarum et causarum est judicandum. Vide infra : Quær. 10° (2789).

2771. — 3° Ex eodem Decreto non sunt illicita convivia in recipiendis benefactoribus, protectoribus Ordinis, modò non excedant limites decentiæ regularibus in iis impositæ. — Item non prohibetur, imò valde commendatur hospitalitas, præsertim erga pauperes et peregrinos. Vide D. Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 555-556. Legi insuper potest apud *Analecta,* mai et juin 1859, col. 1540, etc., quomodo repressi fuerint quidam abusus in regno Neapolitano irrepti occasione Assumptionis habitûs religiosi et Professionis monialium :

2772. « Il est un usage, assez répandu, inquit P. Gau» trelet (*Tr. de l'état relig.*, tom. 1, p. 292), qui consiste à » donner des repas splendides le jour de la prise d'habit et » de la Profession... Urbain V... s'élève avec force contre » la pratique... de forcer les parents à donner ces repas » aux monastères... Ces défenses ont été renouvelées par » Grégoire XI, en 1372 : nous ne pensons pas qu'elles » soient applicables à la lettre aux nombreuses Commu» nautés de femmes qui sont maintenant en France. Be» noît XIV engage les Évêques à retrancher les abus qui » pourraient se glisser dans cette pratique. » (*De Syn.*, lib. 11, cap. 6.)

2773. Vicarii Generales implere debent gratis functiones moniales respicientes. Ita S. C. Episc. et Regular., jul. 1731, apud *Analecta*, janv. et févr. 1860, col. 2110.

2774. Quærit. 5° An liceat religiosis aliquid acceptare vel abnuere?

Resp. 1° Cum licentiâ Superiorum, saltem præsumptâ, religiosi recipere vel abnuere possunt : secus, si tali licentiâ careant.

2° Certum est eos, absque licentiâ, non posse renuntiare

sive legatis aut successionibus ipsis obvenientibus, sive mercedibus ipsis debitis ex justitià, quia hæc monasterio acquiruntur. Secus de muneribus: quia votum paupertatis non obligat ad acquirendum monasterio: hinc volentem dare centum tibi religioso benè potes rogare ut det tuo consanguineo vel amico; attamen etsi contra votum paupertatis non peccaret is qui denegaret munera sine justâ causâ, peccaret tamen contra charitatem erga conventum, si iste indigeret. Vide S. Liguor., lib. 4, n° 20.

2775. Quærit. 6° An regularibus solemniter professis liceat testamentum condere?

Resp. Negativè, etiam pro piis causis et cum licentià Prælati seu Superioris: neque possunt testamentum à se ante professionem conditum moderare per viam declarationis · possunt tamen interpretari et declarare, si declaratione et interpretatione indigeat. Vide Ferraris (v° *Regularis*, art. 1, n^is 62-66; et v° *Testamentum*, art. 3, n° 37).

2776. Duo casus excipiuntur: 1° Si paterfamiliâs omiserit ante professionem disponere de bonis suis, potest illa distribuere inter filios post professionem; hoc casu excepto, si novitius testari omittat ante Professionem, ipsius bona et jura transeunt ad monasterium si capax sit bonorum; secus, ad consanguineos hæredes ab intestato. (Ferraris, v° *Testamentum*, art. 3, n° 41.)

2777. — 2° Religiosus professus licitè et validè potest testamentum condere ex licentiâ S. Pontificis. Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 558.

Si religiosus à Superiore licentiam petat aliquid donandi post mortem, et is promittat exequi, tenetur Prælatus stare promissis. (S. Liguor., lib. 4, n° 22.)

2778. Quoad regulares qui simplicia duntaxat vota emiserunt, si dominium directum suorum bonorum retineant, illicitè quidem, per testamenta aut alios modos, de suis bonis absque Superioris licentiâ disponerent, sed nihilominus validè juxta Suarezium contra Molina, cùm sint proprietarii, et à nullo jure hujusmodi dispositiones invalidentur. Irritabiles tamen esse videntur hujusmodi donationes, eò quòd omnes regulares. etiam vota simplicia emit-

tentes, potestati dominativæ Superiorum sint subjecti. Vide ap. D. Bouix, *ib.,* tom. 2, p. 559, etc.

2779. Quærit. 7° Qualis esse debeat licentia à Superiore data pro dispositionibus quæ licentiam istam requirunt?

Resp. 1° Nulla potest esse difficultas de licentiâ *expressâ*, modò sit vera, nec metu nec fraude extorta : aliàs invalidæ forent dispositiones ex tali licentiâ peractæ; et modò etiam sit rationabilis : secus probabiliùs essent pariter invalidæ, juxta S. Liguor., lib. 4, n° 31.

2780. — 2° Communiter dicunt DD. sufficere licentiam *tacitam*, nempe silentium Superioris scientis et non prohibentis, cùm facilè *prohibere posset :* quia *expressi et taciti* eadem est virtus, cùm reipsa concessio existat. S. Liguor., lib. 4, n° 17.

2781. — 3° Idem est dicendum de licentiâ præsumptâ *de præsenti ;* sed controvertitur de licentiâ præsumptâ *de futuro*, præsumendo nempe quòd Superior consentiret si rogaretur : plures negant talem licentiam sufficere : quia religiosus indiget actuali licentiâ Superioris, ut validè de bonis communibus disponere valeat, sicut confessarius actuali jurisdictione opus habet ut validè absolvat; multi ècontra affirmant cum S. Thomâ in 4, D. 15, q. 2, art. 5, ubi ait : « Non esse proprietarium religiosum qui donat » aliquid ponens spem ratihabitionis Prælati. » Et ratio est quia ad non peccandum contra votum paupertatis ea sufficit licentia quæ efficit ut acceptio non fiat nomine proprio, sed cum dependentiâ à voluntate Superioris; et confirmatur ex eo quòd, ex lib. 46, § 7, *de furto*, non est reus furti qui aliquid accipit putans dominum probabiliter consensurum si ab eo peteretur. Hanc secundam sententiam probabiliorem existimat S. Liguor., *ib.,* n° 18.

2782. Adverte tamen quòd hujusmodi licentiæ non sint facilè præsumendæ; et quòd id fieri non debeat nisi saltem habeatur certa probabilitas de futurâ concessione; nec quod ordinariè dantes vel accipientes excusentur à culpâ veniali : quia plerumque, si non quoad substantiam, saltem quoad modum inviti sunt superiores.

2783. Licentia autem petita, sed indebitè negata non ex-

cusat à transgressione voti, nisi periculum gravis damni sit in morâ. S. Liguor., *ib.*, n° 33.

2784. Quærit. 8° Quænam quantitas requiratur ut religiosus eam expendens sinè licentiâ, graviter peccet?

Respond. In hâc quantitate assignandâ valde dissentire DD. : generaliter tamen convenire eam saltem requiri quantitatem quæ in furto est necessaria ad constituendum peccatum mortale. Sunt autem qui dicunt tantam requiri quantitatem quanta requiritur in furto filiorumfamiliâs; id est probabiliter duplò majorem quàm in extraneorum furtis : sed hoc negatur ab aliis, et probabiliùs falsum reputat S. Liguor. (*ib.*, n° 24); Bouix autem grave esse peccatum judicat si religiosus in proprium usum absumat, aut alteri religioso ejusdem monasterii donet valorem 20 francorum; si verò extraneis daret, gravis materia esse videntur 10 franci, supponendo monasterium nec egenum esse nec opulentum.

2785. Si accipiat sinè licentiâ, cum animo in proprium usum assumendi, materia 20 francorum est gravis ; si accipiat nomine monasterii et cum intentione in manus Prælati consignandi, nullum est regulariter peccatum : quia meritò Prælatus præsumitur consentire. Si rem etiam pretiosam subripiat in monasterio, eâ mente ut postea loco suo reponat, non erit materia gravis : et hoc verum videtur saltem ordinariè. Vide Bouix, *De Regul.*, tom. 2, p. 562.

2786. Religiosus qui mutuo præstaret sinè licentiâ res sibi ad usum concessas, peccaret quidem, sed non graviter si tutus esset de restitutione. S. Liguor., lib. 4, n° 27.

2787. Quærit. 9° Quænam latæ sint pœnæ contra regularem qui proprietarius obiisse deprehenderetur?

Respond. « Regulares utriusque sexûs deprehensi in » morte habere aliquam proprietatem, debent cum ipsâ » subterrari extra monasterium in sterquilinio, in signum » suæ damnationis æternæ.

» Pro (tali regulari) non sunt offerenda sacrificia, nec » fieri debent orationes... Si (cum aliis fratribus) sepultus » fuerit, debet inde exhumari, si sinè scandalo id fieri » possit.

2788. » ... Dicta... pœna tumulationis in sterquilinio, » non est danda indifferenter omnibus cum pecuniâ decedentibus; sed solùm illis qui, admonitione præmissâ..., » in morte inventi fuerint cum peculio quo noluerunt se » spoliare. » (Ferraris, v° *Votum*, art. 2, n° 151, ubi responsio variis auctoritatibus probatur.) — Vide insuper Concil. Trid., sess. 25, cap. 2 in fine, *De Regularibus*.

2789. Quærit. 10° An Superior regularis possit dare subditis licentiam aliquam pecuniæ summam ludo exponendi?

Resp. Affirmativè, si summa sit modica; et in hoc casu, subditus uti potest licentiâ tacitâ sive præsumptâ.

Quoad quantitatem, alii dicunt posse religiosum exponere quantùm posset liberaliter donare; alii dicunt quatuor vel quinque aureos [1] pro centum ex iis ad usum sibi quotannis concessis; ludus autem debet esse licitus. Cæterùm ex consuetudine permittitur ludere modicam summam chartis lusoriis. Ita Salmantic., etc., ap. S. Liguor., lib. 4, n° 32.

2790. Quærit. 11° Quomodo servandum sit votum paupertatis in iis Religionibus quæ in communi possidere nequeunt?

Observandum est quòd Concilium Trident. (sess. 25, cap. 3, *De Regulur.*) concessit omnibus Religionibus, solis *Capuccinis et Minoribus de Observantiâ exceptis*, posse habere bona etiam immobilia, etiamsi antea eis fuisset prohibitum; huic concessioni de facto renuntiant Jesuitæ et Carmelitæ discalceati quoad domos professionis. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 441, in fine. Sunt ergo Religiones quæ in communi possidere nequeunt, et quæritur quomodo in eis votum paupertatis sit servandum.

2791. Resp. 1° Religiones istas, nullius boni immobilis, præter domûs ad habitandum, ecclesiæ et horti domui conjuncti proprietatem retinere posse; imò Capuccinos et Minores *de Observantiâ*, nec præfatorum dominium habere posse, nec etiam mobilium ipsorum usui necessariorum, sed tantum usum facti, proprietate remanente penes S.

[1] Juxta D. Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 291, scutum aureum æquivalet circiter 8 fr. 80. Vide infra (2914).

Pontificem seu Ecclesiam. Jesuitæ verò habent in communi non tantùm mobilium ipsis inservientium, sed etiam dominium domûs professionis quam habitant cum horto et ecclesiâ, etsi alia immobilia in sustentationem non habeant. Jura autem et actiones ad annuas pensiones, bonis immobilibus accensentur.

2792. Incapacitas istarum Religionum immobilia possidendi non excludit fundationes et annuos census pro expensis cultûs divini; et quoad ista, religiosi sunt tantùm suæ ecclesiæ œconomi, nec possunt istos redditus ad propriam sustentationem convertere. Capuccini etiam et Minores *De Observantiâ* capaces sunt hujusmodi legata recipiendi; sed per modum eleemosynæ aut alio modo, nec per se nec per syndicos aut alios, possunt ea exigere sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ; legatum tamen non est nullum : sed si hæres nolit illud spontè dictis regularibus erogare, ad fabricam S. Petri, vigore privilegiorum pontificiorum, spectat illud etiam judicialiter exigere; si autem legatum adjunctum habeat onus celebrandi missas, aut quid aliud, declarare debent dicti regulares se velle quidem piam testatoris intentionem implere, sed nullam acceptare obligationem ex justitiâ. Vide Ferraris, v° *Legatum*, n° 95; Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 562-565; P. Gautrelet, *Traité de l'état relig.*, tom. 1, p. 205-210.

2793. Quærit. 12° Quo sensu Minoribus et Capuccinis prohibitum sit pecuniam habere, atque etiam manu tangere?

Resp. Hunc sensum exponi in Constit. *Sollicitudo*, § 4, ubi dicitur : « aliarum rerum necessariarum Fratres Mi-
» nores de Corpore Observantiæ hujusmodi habere usum,
» licet non dominium; *denariorum autem nec dominium*
» *nec usum : et proinde quævis contrectatio pecuniæ seu*
» *denariorum, quæ non sit purè naturalis*, seu quæ sit
» quovis modo *politica*, cujuscumque domini sint denarii
» seu pecunia, *Fratribus Minoribus De Observantiâ est*
» *omnino prohibita.* »

2794. Per contrectationem pecuniæ *politicam* intelli-

gitur ea quæ fit ad pecuniam in usus varios expendendam seu permutandam, non autem quæ fit curiositatis causâ, v. g., ad discernendam effigiem, vel ad deferendam creditori ob restitutionem à pœnitente factam.

2795. Cæterùm, inquit D. Bouix (*ib.*, p. 566), dictis regularibus non licet in suis ecclesiis eleemosynas petere ac colligere, nec gazophilacium habere in quod eleemosynæ deponantur, etsi non ipsi sed Syndicus claves detineret.

PUNCTUM III.

DE OBLIGATIONIBUS EX VOTO OBEDIENTIÆ.

2796. Obedientia primum locum tenet inter tria regularium vota, ait Ferraris (v° *Votum*, art. 2, n° 9) : unde Joannes XXII, Extrav. *Quorumdam, de verb. significat.*, ait : « Magna quidem paupertas, sed major integritas : » *bonum est obedientia maximum*, si custodiatur illæsa : » nam prima rebus, secunda carni, tertia verò menti » dominatur et animo. »

2797. Ex voto obedientiæ religiosus obstringitur ad obtemperandum omnibus quæ Superior præcipit secundùm regulas et constitutiones Ordinis, sive directè et expressè, sive indirectè et implicitè, ut ad pœnas in transgressores regularum latas et statuta ad earum observationem legitimè condita. Vide Busembaum, apud S. Liguor., lib 4, n° 38; Bouvier, tom. 5, p. 215, 1ª edit. Quinimo ipsamet clausura posset per statutum vel per S. Pontificem introduci in Instituta monialium quæ antea ei non subjiciebantur : sic Bonifacius VIII ei subjecit moniales sui ævi per Decretalem *Periculoso, de statu regular.*, in 6°; item Concil. Trident. ad eam pariter adstrinxit moniales suo tempore exstantes (sess. 25, c. 5, *De Regular.*). Vide Bouix, *ibidem*, tom. 2, p. 603-605; à fortiori vita communis restitui posset in Religiones in quibus abiisset in desuetudinem.

2798. Votum obedientiæ non imponit obligationem 1° obediendi Superiori illegitimo; 2° obediendi in eis quæ à vitâ religiosâ aliena sunt; 3° obediendi in iis quæ

sunt contra[1] vel supra vel extra regulas, vel constitutiones Ordinis qualiter hic et nunc observantur : quia profitendo Religionem non intendit aliter se obligare quàm secundùm regulas et constitutiones Ordinis. Vide DD. Bouvier, t. 5, p. 214, 1ª edit.

Unde, v. g., Superior Ordinis contemplativi non potest à suis subditis exigere ut se ministerio publico impendant : quia hoc est à fine Instituti alienum; nec ipse aut alius Superior potest præcipere observantiam regularum juxta primitivam severitatem, si rigor ille auctoritate legitimâ fuerit moderatus : necessaria est tunc S. Pontificis auctoritas. Vide *Prælect. S. Sulpit.*, nis 442 et 444.

2799. Vi sui obedientiæ voti professus non se astringit ad obediendum in rebus impossibilibus vel illicitis, ut liquet; nec in rebus sibi graviter damnosis, nisi agatur de officiis intra vitæ religiosæ limites implendis, v. g., de curandis religiosis pestiferis : sic etiam religiosus non tenetur ire ad infideles cum manifesto periculo vitæ aut servitutis. (S. Liguor., lib. 4, nº 40.)

2800. Procul ergo à vero distant Ordinum religiosorum osores qui prætendunt monachalem obedientiam inducere religiosos ad faciendum cæcâ mente, sive justè sive injustè, quidquid præcipit Superior. Reverà à Sanctis valde commendatur obedientia quæ vocatur *cæca :* sed per hujusmodi obedientiam non intelligitur nisi ea pia cordis dispositio quâ religiosus paratus est semper ad obsequendum suo Superiori, non dijudicando motiva mandati nec opportunitatem, in iis quæ cæteroquin ipsi non videntur ullo modo illicita. Vide *Prælect. S. Sulpitii,* nº 442.

2801. Juxta probabiliorem sententiam, religiosus inobediens duplici modo peccat : contra Religionem nempe ratione voti; et contra virtutem obedientiæ ex quâ religiosus tenetur Prælato obedire, ratione promissionis et traditione sui quam fecit profitendo, propter quam etiam

[1] Nisi Superior possit dispensare et justam dispensandi causam habeat : debet autem constare quòd Superior dispensat sinè causâ, ut inferior eximatur ab obligatione ei obediendi. (S. Liguor., lib. 4, nº 39.)

sinè voto teneretur obedire. Ita Salmantic. ap. S. Liguor. (lib. 4, n° 46); plures tamen dicunt unicum tunc committi peccatum contra votum (*ibid.*); imò juxta P. Gautrelet, religiosus inobediens non semper contra votum suum peccat. Vide infra dicenda (3017, 3018).

2802. Peccatum autem religiosi inobedientis est mortale, vel veniale, aut nullum secundùm materiam et voluntatem præcipientis, qui posset non habere animum obligandi; nec sufficit quòd Superior præcipiat dicendo : *jubeo, præcipio*, etc , nisi addat, v. g.: *in nomine J. C., in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœnâ excommunicationis*, etc. Est sententia communis, inquit DD. Bouvier (*ib.*).Vide etiam D. Bouix (*ib.*, tom 2, p. 428, etc.).

2803. Superior, cui regularis obedire tenetur, non tantùm est Prælatus regularis, sed etiam S. Pontifex, Congregatio Regular., Episcopus in iis in quibus ipsius jurisdictioni subduntur (S. Liguor., lib. 4, n° 51). Moniales Abbatissæ obedire tenentur etiam in conscientiâ secundùm regulam, juxta sententiam quam S. Liguor. absolutè probabiliorem judicat (lib. 4, n° 52).

2804. Hæc obedientiam in religioso necessariam spectant : quoad verò obedientiam perfectam ad quam tendere debet omnis regularis qui veros in virtute progressus facere cupit, multa alia requiruntur : de quibus agitur præsertim apud asceticos. Vide Bouix , *ib.*, p. 568-571.

2805. Observandum hìc imprimis post Suarezium et cum Patre Gautrelet, tom. 2, p. 26 : « Que le religieux par
» sa profession, ne s'engage pas à accomplir les comman-
» dements de Dieu auxquels il est dejà tenu comme chré-
» tien ; il ne fait pas vœu non plus d'obéir à l'Eglise, à ses
» définitions, à ses lois, à ses décrets ; il y est obligé
» comme chrétien : et il n'ajoute pas l'obligation du vœu
» à celle qui le lie déjà. »

Sunt adhuc plura dicenda quæ ad obedientiam pertinent, sed quæ opportuniùs expendentur tractando de regimine religiosorum (2867, etc.).

§ II.

De obligatione tendendi ad perfectionem.

2806. Tenetur religiosus, non quidem esse perfectus, ut jam diximus (2458), sed tendere aliquo modo ad perfectionem; peccaret mortaliter, juxta S. Liguor. (lib. 4, n° 10) si firmiter statueret se nullo modo conaturum ad illam acquirendam aut de eâ curaturum.

Sed eo ipso quòd servat sua vota et cætera omnia quæ ipsi sub peccato injunguntur, verè tendit ad perfectionem: cùm eo ipso consilia evangelica in aliquo saltem gradu observet.

2807. Imò, etsi de eo sit controversia, probabiliùs habet S. Liguor. (*ib.*, n° 11) quòd is tendat adhuc ad perfectionem regularem, qui servans voluntatem custodiendi mandata sub gravi obligantia, statuit tamen alia transgredi aut de iis non curare, quia intendendo servare mandata sub gravi obligantia, simul intendit custodire consilia evangelica quibus ducitur ad perfectionem. « Hoc tamen intelligi, pergit Sanctus (n° 12), quòd ille excusabitur à mortali, » ratione hujus præcisæ obligationis quam habet tendendi » ad perfectionem: nam difficillimè excusabitur ratione » periculi transgrediendi vota, vel grave damnum religioni » inferendi quoad regularem disciplinam, etc. »

2808. Religiosi qui simplicia vota emittunt, prout Scholastici in Societate Jesu et alii, peccant mortaliter, non tantùm si se incorrigibiles ostendant, sed etiamsi de industriâ quærant dimitti et ob hunc finem plures etiam leves culpas committant: quia profitendo, sese obstrinxerunt ad tendendum ad perfectionem, proinde ad remanendum in Religione. Qui autem pravis moribus de industriâ dimissionem extorsit, vel falsis allegationibus illam impetravit, non liberatur à votis. Vide S. Liguor., lib. 4, n° 7; Bouix *De Regular.*, tom. 2, p. 584.

§ III.

De obligatione servandi regulam et clausuram, habitum gestandi religiosum, et nonnullis aliis obligationibus.

PUNCTUM I.

DE OBLIGATIONE REGULAM SERVANDI.

2809. Nomine Regulæ, quoad præsentem quæstionem, comprehenduntur etiam constitutiones; eadem est enim obligatio istas ac illam observandi. De discrimine inter regulas et constitutiones, vide supra (2522).

2810. Quærit. 1° Quanta sit vis regulæ religiosos obligandi?

Resp. 1° *Regula religiosa non est merum consilium,* inquit Suarez; plus enim habet roboris obligandi quàm consilia de quibus regula tacet : cùm saltem violationes regulæ possint à Superiore puniri. Vide Bouix, *ib.*, tom. 2, p. 573, 575.

2811. — 2° Dari potest regula quæ obliget sub mortali, aut sub veniali, aut solummodo ad pœnam.

Regula tamen non obligat vi voti obedientiæ, nisi fortè id in eà claré exprimatur : quia ordinariè religiosi non emittunt votum regulam observandi, sed solùm obediendi secundùm regulam. (Bouix, *ib.*, p. 574.)

2812. « Si regula sub peccato obliget, ejus transgressio » est contra votum et sacrilega : ratio est quia talis regula » non est minus præceptiva quàm vox Superioris..; proinde... Carthusianus, v. g. carnes edens, vel Franciscanus feriâ sextâ non jejunans, contra obedientiam et » contra temperantiam peccant. » S. Liguor., lib. 4, n° 41.

2813. — 3° Si in regulâ expressè dicatur eam obligare quantùm potest, ejus violatio erit peccatum mortale aut veniale, prout materia est gravis aut levis : quia regula non est minus obligans quàm vox Superioris, et superior potest obligare juxta gravitatem materiæ.

2814. — 4° Regula per se, ne sub veniali quidem obli-

gat, si hoc in ipsâ declaretur. Si verò de hoc regula omnino sileat, controvertitur an tunc regula obliget : anteponenda est, inquit D. Bouix post Suarezium, sententia quæ tenet regulam tunc sub gravi non obligare, et dignoscendum est ex circumstantiis, et receptâ interpretatione in unâquâque Religione, an obliget sub levi aut tantùm ad pœnam subeundam (*ib.*, 576) : si ex bono fine quis regulam silentii transgrediatur, ut, v. g., socium mœstum soletur, nullo modo peccat. (S. Liguor., lib. 4, nº 10.)

2815. Meritò tamen notant plures DD. hujusmodi transgressiones rarò omni culpâ vacare, propter negligentiam, contemptum aliumve inordinatum affectum; imò si quis frequenter et quasi per consuetudinem regulam transgrediatur, religiosam disciplinam graviter perturbet (v. g., si nollet unquam servare silentium, nec orare, nec modestè incedere, si ingrederetur omnium religiosorum cubicula, et similia Religionis statuta transgrederetur) eâque ex causâ in periculo expulsionis se constituat, graviter peccat, ut diximus supra ex S. Liguorio (2808). — Graviter peccat qui regulam infringit ex contemptu formali Superioris, ut, v. g., ostendat Superiorem à se despici et pro nihilo haberi, prout unanimiter tenent DD; item si ex odio contra Religionem aut personas ejus, vel ex voluntate resistendi Prælato; item si se exponat proximo periculo labendi in peccatum mortale : si quis proponat nunquam regulam servare, vix fieri potest ut non adsit contemptus. Ita Suarez, apud D. Bouix, *ib.*, tom. 2, p. 577 et 578; et S. Liguor., lib. 4, nº 20.

2816. Sola autem frequentia infractionum non videtur sufficienter probare *contemptum* : cùm hæc frequentia oriri possit ex magnâ desidiâ, in quâ tamen desidiosus magni adhuc potest facere regulas, Superiores et Religionem. Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 577.

2817. Quæritur 2º an Prælatus defectus leves subditorum corrigere negligens graviter aliquando peccet?

Respondet affirmativè S. Liguorius, lib. 4, nº 13, cum communi contra Lorca, pro casu quo plures essent defectus et tales, v. g., circa silentium, jejunia, etc., ut disciplinam valeant relaxare : unde de iis debet inquirere ut corrigat,

sinè tamen nimiâ sollicitudine : aliquando prudenter dissimulans, si non debeat scandalum exoriri, vel si prævideat subditum ex correctione pejorem fieri, vel si tempus opportunius sit expectandum.

PUNCTUM II.

DE OBLIGATIONE HABITUM RELIGIOSUM GESTANDI.

2818. Sunt Instituta religiosa, quale v. g., Societas Jesu, in quibus nulla præscribitur forma specialis habitûs : de iis hic non potest esse quæstio, sed duntaxat de aliis Ordinibus in quibus certus habitus in signum Professionis religiosæ deferendus injungitur.

2819. Duplici modo dimitti potest habitus religiosus: *materialiter*, v. g. ad dormiendum, aut balneum sumendum; *formaliter*, mutando habitum ut tanquam religiosus quis non agnoscatur :

2820. — 1° Regulariter dimissio formalis habitûs religiosi si fiat temerè, est peccatum mortale : et hoc est dicendum etiam in iis Religionibus in quibus regula sub gravi non obligat: quia non ex regulâ sed ex jure ecclesiastico oritur hæc obligatio : constat ex cap. 2, *ne clerici et monachi*, in 6°, ubi excommunicatur ipso facto omnis regularis professus temerè dimittens Religionis suæ habitum : excommunicatio autem major mortale supponit peccatum. Ita omnes DD., inquit Suarez, apud D. Bouix (*ib.*, p. 586). — Dimissio verò materialis non est peccatum, nisi etiam à regulâ sit prohibita.

2821. Dimissio formalis veluti temeraria tunc est habenda. quando non fit ex rationabili causâ; si enim fiat ex causâ justâ, v. g. propter necessitatem, ad tuendam vitam, vel vitandam gravem infamiam, tunc est licita ad tempus. Vide Glossam, in cap. 2, modò citato, *Ne clerici*, etc., et in cap. *Cleric.* 2, *de vitâ et honestate*, etc.

Dimissio habitûs religiosi etiam formalis potest esse duntaxat veniale peccatum, v. g., si ad brevissimum tempus contingat, ad jocandum, vel quid simile, si fiat ex parte tantùm, ita ut religiosus ut talis jam possit dignosci;

vel, ut putat Suarez, si servato integro habitu, saeculares vestes superinduantur et absit scandalum. Vide ap. Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 585, etc.

2822. — 2° Non videtur quòd Prælatus regularis habeat potestatem dispensandi circa obligationem gestandi habitum religiosum : quia hæc potestas, inquit Suarez, nullibi in jure invenitur data Prælatis; recurrendum est ergo ad S. Pontificem. In dubio tamen an adsit causa sufficiens dimittendi habitum, possunt Superiores declarare authenticè causam esse sufficientem. Vide Bouix, tom. 2, p. 588.

PUNCTUM III.

DE OBLIGATIONE CLAUSURAM SERVANDI

2823.— I. *De clausurâ apud viros:* regulariter loquendo, religiosis absque Prælati licentiâ è conventu exire non licet ; constat usu omnium Religionum, et tenent DD. communiter; insuper Concil. Trident. ait : « Non liceat regu- » laribus à suis conventibus recedere, etiam prætextu ad » Superiores suos accedendi, nisi ab eis missi aut vocati » fuerint. » (Sess. 25, cap. 4, *De Regular.*)

Diximus *regulariter :* quia interdum exitus ad tempus potest esse necessarius ex charitate proximi, ad illum nempe protegendum, vel ipsi morienti per absolutionem subveniendum, vel quid simile; sed, si fieri possit, etiam in hujusmodi casibus, petenda est à superioribus licentia egrediendi.

2824. Præfata exeundi prohibitio potiùs jure gubernandi et custodiendi subditum, quod ad Superiores pertinet, instituitur, quàm aliquâ præscriptione regulæ : sunt enim regulæ quæ sub peccato non obligant et tamen generali lege prohibetur religiosis è monasterio sinè Superioris licentiâ egredi.

2825. Violatio hujus prohibitionis est peccatum mortale ex genere suo; fieri potest tamen veniale ob parvitatem materiæ : si v. g., per communem januam duo religiosi exirent paulò post reversuri. Ita Suarez (apud D. Bouix, *ib.*, tom. 2,

p. 592); Gautrelet (*Traité de l'état relig.*, tom. 1, p. 225); S. Liguor. (lib. 7, nº 229).

2826. Grave autem esset peccatum, juxta eumdem Suarezium, si religiosus absque licentià è claustro furtivè egrederetur nocturno tempore, licet non ob finem graviter peccaminosum, aut etiam diurno cum animo extra monasterium pernoctandi. (Bouix, *ib.*, p. 593.)

2827. Quoad introductionem in virorum monasteria: certum est 1º nihil generaliter obstare admissioni virorum; de jure tamen particulari aliquarum Religionum, viri nequeunt introduci in certa clausuræ loca.

2828.— 2º Regula generalis est feminas claustra Religiosorum ingredientes excommunicationem Papæ reservatam incurrere : id constat ex Constit. S. Pii V *Regularium personarum*, anni 1566; Constit. ejusdem *Decet Romanum*, 16 junii 1570; Constit. Gregorii XIII, *Ubi gratia*, Declarat. S. Congr. Episcop. et Regular.; Constit. Bened. XIV, *Regularis disciplina*, 3 jan. 1742. (Vide 1640, VII.)

2829. — 3º « In prædictis Bullis, non comprehenduntur » Imperatrices et Reginæ, earumque filiæ et aliæ feminæ » quæcumque quæ illas comitantur. » (Pirrhing, in tit. 35, lib. 3 Decret., nº 45.)

2830. Sed comprehenduntur Ducissæ, fundatrices, benefactrices aliæve feminæ præter enumeratas, nisi privilegium pontificium habeant : necessarium est autem ut « concessiones hujusmodi, per apostolicas in formâ Brevis » vel sub plumbo desuper expeditas Litteras duntaxat, et » non aliter omnino factas et impertitas fuisse, priùs Ordi- » nariis locorum Antistibus per legitima et authentica docu- » menta constare fecerint. » (Bened. XIV, Constit. *Regularis*, etc.)

2831. Contrariam tamen esse praxim quoad Ducissas, fundatrices et benefactrices, asserit Ferraris (vº *Conventus*, art. 3, nº 20).

2832. Non omnino constat an infantulæ sint comprehendendæ in præfatâ prohibitione : idem Ferraris (*ibid.*) dicit, pluribus in locis, consuetudinem invaluisse, posse in monasteria virorum admitti hujusmodi parvulas puellas.

2833. — 4° Religiosi illicitè in clausuram feminas introducentes aut admittentes, ipso facto incurrunt privationem officiorum suorum, inhabilitatem ad ipsa et suspensionem à divinis. Imò si *sub prætextu* privilegiorum illæ feminæ ingrediantur, religiosi introducentes et admittentes, excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurrunt. Extra hunc casum controvertitur an hujusmodi excommunicationem incurrant religiosi. (Bouix, *ibid.*, p. 597.)

2834. « Nomine clausuræ conventuum in quam est feminis interdictus ingressus, intelligitur totum illud spatium quod intra septa monasterii.... continetur : id est claustra, cellæ, officinæ, cœnaculum... dormitorium, infirmaria, coquina et hujusmodi. » Ferraris (v° *Conventus*, art. 3, n° 9). — Item horti, viridaria, prata si sint conjuncta conventui ; secus si clavi, muro, separata sint ; sacristia, si non adsit accessus per ecclesiam omnibus fidelibus permissam. Servandi sunt clausuræ limites etsi murus corruerit. Ferraris (*ibid.*, n^is 14-29). Vide etiam Bouix, *De Regul.*, tom, 2, p. 594-599.

Hæc de jure communi ; consulendæ sunt insuper peculiaria religionum statuta, quæ aliquando strictiorem clausuram in quibusdam Institutis præscribunt.

2835. — II. *De clausurâ quoad moniales ;* clausura etiam quoad moniales non est de essentiâ Statûs religiosi, sed à jure positivo exigitur pro solemnitate votorum (2530-2531). Quomodo et à quo fuerit pro iis instituta ibidem diximus. Circa autem antiquitatem clausuræ monialium, vide *Analecta* (janv. et févr. 1858, col. 425-439).

2836. A clausurâ virorum multùm differt monialium clausura : viris enim non absolutè prohibetur exitus è monasterio, sed duntaxat exitus sinè *licentiâ Superioris;* dum monialibus etiam exitus cum licentiâ Abbatissæ est prohibitus : unde ad hoc indigent dispensatione ab auctoritate competenti.

2837. Extra casus *à jure exceptos*, egressus monialis professæ etiam conversæ extra clausuram, est peccatum mortale. Ita *Analecta* (*ib.*, col. 472), ex Constit. *Deo sacris* Gregor. XIII, § 6, et pluribus decis. S. Congreg. Episc et

Regul...— Vide etiam Const. S. Pii V *Decori* quæ decernit: « Aliter.... egredientes excommunicationis majoris latæ » sententiæ vinculo, eo ipso subjacere. » Insuper *ibidem* contra eas sancitur pœna privationis officiorum et inhabilitatis ad ipsa. Vide ap. D. Bouix, *De Regul.*, tom. 2, p. 606. Vide (1640, VI).

2838. Obligatio clausuræ tolli nequit consuetudine, quando est objectum speciale voti : quia contra vota non datur præscriptio (Bouix, *ibid.*); imò S. Congr. Concil. consulta « An Decretis Conciliaribus et Constitutionibus Apostolicis » clausuram præcipientibus obstet contraria consuetudo, » etiam post Concilium introducta? — Respondit: *Decretis Conciliaribus* et *Constitutionibus Apostolicis clausuram » præcipientibus, nullam consuetudinem obstare.* » Apud *Analecta*, 24e livr., col. 477. Ita etiam S. Congreg. Episc. et Regular., 30 julii 1823 (*ibid.*, col. 489, etc.).

2839. Observandum est *clausuram*, de quâ supra, esse clausuram papalem, cui astringuntur duntaxat moniales solemniter professæ; cæteræ verò moniales ad clausuram pariter obligari possunt ab Episcopo ex Declar. S. Pœnitentiariæ ad Episcopum Nannetensem, 23 jan. 1821. Vide P. Gautrelet, *Tr. de l'état relig.*, tom. 2, p. 281 ; et infra (2863, 2864).

2840. Quærit. 1° Qualis esse debeat egressus monialis ut prædictas pœnas incurrerit?

Resp. « Si monialis, inquit Ferraris (v° *Monialis*, art. 3, » n^is 10, 11, etc.), ambobus pedibus, uno vel altero palmo » extra clausuræ ostium pergat..., dictas pœnas incurrit; » si tamen uno palmo tantùm procedat, et statim redeat, » tenent nonnulli... non esse peccatum grave, nec sequi » excommunicationem...

» Si monialis ascendat supra tectum.., clausuram vio» lat, et dictas pœnas incurrit. Ita decisum à S. Congreg. » Episcop. et Regular...

» Idem dicendum, si monialis per fenestram extra clau» suram se suspendat, quamvis ad terram non perveniat, » vel ascendat arborem.., ita ut totum corpus extra clau» suram pendeat..., vel si egrediatur ad spatium quod est

» inter clausam monasterii januam, et aliam sæcularibus » patentem; vel si adeat ædes monasterii contiguas, à fe- » minis monialium servitio addictis inhabitatas; vel si exeat » in exteriorem monasterii ecclesiam. » Dicitur enim in Constit. *Deo sacris virginibus* Gregorii XIII : « Non liceat » monialibus ostium habere per quod ex monasterio intrare » possint in ecclesiam exteriorem. »

2841. Præfatas pœnas ipso facto incurrunt omnes cooperantes illicito egressui monialium, sive sint Episcopi, sive Prælati sive quilibet alii. Qui tamen post illicitum egressum monialem recipit aut comitatur, ut ipsius honori et decentiæ consulat, non agit illicitè. Ita Ferraris, *ibid.*, n° 7, etc.

2842. Hanc excommunicationem etiam occultam reservari S. Pontifici, declaravit S. Congr., apud Ferraris, *ib.*, n° 20; et remansit in Const. *Apostolicæ Sedis* inter excommunicationes R. P. simpliciter reservatas (1640, 6°); pro absolutione vero sequendæ sunt regulæ jam datæ (1621).

2843. Dictum fuit : *extra casus à jure exceptos* (2837) : licitè enim moniales possunt egredi, *ex causâ magni incendii, vel infirmitatis lepræ, et epidemiæ* prout expressè declaravit S. Pius V in suâ Constit. *Decori*. *Epidemiæ* voce intelligendam esse pestem propriè dictam, non autem alium morbum etiam contagiosum, veluti phtisim, pluries decisum fuit, ut videre est apud *Analecta* (24ᵉ livr., col. 481, 482), et in Opere *De Synodo diœcesanâ* (lib. 13, cap. 12, n° 27). Vide tamen Instructionem S. Congr. Episcop. et Regular. anni 1815, pro toto orbe Christiano, apud *Analecta*, *ibid.*, col. 488.

Egredi pariter possunt moniales in aliis casibus consimilibus, v. g. ratione belli imminentis, inundationis fluminis, ruinæ ædificii, etc. Ita communiter DD. apud Ferraris (*ibid.*. n° 28).

2844. In his tamen casibus, non possunt exire sinè licentiâ scriptis, si fieri potest, datâ : sive solius Episcopi, quando monasterium est ei subjectum; sive Episcopi simul et Prælati regularis, si exemptum sit monasterium. Ita sancivit S. Pius V, in præfatâ Constitut.; dictam licentiam

dare possunt etiam Vicarius Generalis et Vicarius Capitularis (Ferraris, *ib.*, n° 31).

2845. In cæteris casibus moniales egredi nequeunt sinè licentiâ S. Sedis, etiam ad audiendam missam diebus de præcepto in quibus non possent audire in Monasterio. Ita P. Gautrelet, *ib.*, tom. 1, p. 326; et *Analecta, ibidem*, col. 476, etc.

2846. Ut autem moniales possint ad aliud monasterium transferri, ad illud nempe fundandum, aut regendum, etc., omnino necessaria est Sedis Apostolicæ licentia : sic decisum fuit à Paulo V, 22 decembr. 1617 (Ferraris, *ibid.*, n° 34); idem dicendum est si extra mortis periculum monialis eat ad balnea, aut alia loca. (Bouix, *ibid.*, p. 609-611.)

2847. Quærit. 2° An et quatenus prohibitum sit clausuram monialium ingredi?

Resp. Generaliter *quibuslibet* personis, sub excommunicationis pœnâ Papæ reservatæ, prohibetur ingressus intra monialium septa sinè licentiâ S. Sedis, quibusdam tamen casibus exceptis infra recensendis. Constat ex Concil. Trident., sess. 25, cap. 5; Constit. *Circa Pastoralis*, S. Pii V; et Const. *Ubi gratia* Gregorii XIII, qui excommunicationem S. Sedi reservavit. Vide Ferraris, v° *Moniales*, art. 3, n° 49. Et servata est in C. *Apost. Sedis*.

2848. Diximus *quibuslibet* : proinde etiam Sororibus quæ gallicè *Tourneres* nuncupantur. Vide *Analecta* (24° liv., col. 474-476), ubi plures referuntur decisiones S. Congr. Episcop. et Regul. moniales Genuenses S. Benedicti concernentes; quibus tamen Congr., 29 jul. 1833, concessit ut tempore earum probationis, intra clausuram possent admitti dictæ Sorores conversæ Genuenses.

2849. Supradictam excommunicationem Papæ reservatam incurrunt moniales in monasterium introducentes (quâ voce intelligendæ sunt invitantes, consulentes, approbantes) vel admittentes.— Insuper Abbatissæ et aliæ Superiossæ, necnon monialium superiores, illicito ingressui cooperantes, incurrunt officiorum privationem et inhabilitatem ad ipsa. Ita Constit. Gregorii XIII modò citata.

2830. A prohibitione ingrediendi excipiuntur Imperatores, Reges, Imperatrices, Reginæ, atque eorum filii; Non autem Duces et alii præter dictos: proinde non magistratus aut ministri politiæ, modò tamen ingressus possit impediri sinè gravi periculo, quod fieri posse facilè non videtur apud nos, in Galliâ. Vide P. Gautrelet (*ibid.*, t. 1, p. 328, etc.). In his casibus, quantùm fieri potest, nihil est faciendum, inconsulto Episcopo, qui, in omni casu, apud nos, potest permittere monasteria monialium ingredi: cùm earum clausura non sit papalis, sed solùm episcopalis.

2831. Nec etiam pueruli et puellæ admitti possunt in septa monialium, ut constat ex Trident., sess. 25, cap. 5, verbis *cujuscumque sexûs vel ætatis*, et repetitis declarationibus S. Congr. Episcop. et Regular.

Nec ipsimet Episcopi aut Cardinales, quoad monasteria quæ eorum jurisdictioni non subsunt, aut quæ non exstant in ipsorum diœcesibus; sed possunt Episcopi clausuram monialium suæ diœcesis ingredi, in casibus non solùm necessariis, sed quoties id utile existimant, etiamsi agatur de Monasteriis regularibus subjectis (Bouix, *De Regul.*, tom. 2, 328), pro visitatione à seipsis facienda.

2832. Pro faciendâ visitatione, tanquam Ordinarii ingredi possunt, quando monasterium non est exemptum; si verò sit exemptum, ingrediuntur tanquam Sedis Apostolicæ delegati: sed tunc visitatio est facienda tantùm circa observationem clausuræ, et comitari debent *à paucis iisque senioribus ac religiosis personis*, ut ait Gregor. XIII; nec secum ducere debent plus quàm octo personas: aliàs contrahunt varias pœnas in Bullâ enumeratas. Vide Ferraris, *ibid.*, n° 64; *Analecta*, janv. 1858, col. 445. Idem est dicendum de Prælatis regularibus, pro monasteriis eorum jurisdictioni subjectis.

2833. Ingredi possunt monialium Confessarii, pro ministrandis sacramentis, et commendandâ animâ agonizantium (Const. *Felici* Alexand. VII, ap. *Analecta* (44e livr., col. 727); — medici pro curandis infirmis cum debitâ tamen licentiâ, generali quidem pro casibus urgentibus,

speciali pro aliis; operarii et alii ad servitium necessarii, similiter cum licentiâ, quæ in iis casibus necessariis dari debet ab Episcopo simul et Prælato regulari pro monasteriis exemptis, et à solo Episcopo pro non exemptis. Nomine autem Episcopi intelliguntur Vicarius Generalis si habeat speciale mandatum, et Vicarius Capitularis, Sede vacante.

2854. Notandum est 1° quòd ex mandato Clementis VIII, S. Cong. Episcop. et Regular. 26 nov. 1602, pœnâ excommunicationis majoris innodavit violantes clausuram monialium ob *malum finem* : quod non videtur posse intelligi nisi de iis qui facultatem ingrediendi habent, cùm cæteri clausuram violantes aliàs, ut jam diximus, excommunicentur: hujusmodi autem excommunicatio Papæ reservatur, sed intra Italiam tantùm. Videtur sublata a *C. Ap. Sedis*.

2855. Notandum est 2° quòd mulieres à Sede Apostolicâ licentiam habentes, non possint ingredi, nisi habito consensu monialium capitulariter præstito per suffragia secreta. Ferraris (v° *Moniales*, art. 3, n° 56).

2856. Quærit. 3° An sit prohibitum accedere ad moniales et cum eis colloqui?

Resp. Affirmativè. Omnibus generaliter, sive laicis sive ecclesiasticis sive regularibus, sub variis pœnis prohibitus est accessus ad moniales, sinè rationabili causâ, ex cap. *Monasteria* 8, *de vitâ et honest. cleric.*, cap. *Periculoso*, *de Statu regul.*, in 6° : quod innovatum fuit à Concil. Trident., sess. 25, c. 5, *De Regular.*, et à S. Pio V, Constit. *Circa pastoralis*. Vide Ferraris (v° *Moniales*, art. 4, n° 1).

2857. A dictâ prohibitione excipiuntur sæculares in 1° et 2° gradu monialibus conjuncti; pauperes qui eleemosynam petunt; famuli vel famulæ qui jussu dominorum suorum munera ad moniales deferunt; Confessarius tàm ordinarius quàm extraordinarius. (Ferraris, *ib.*, n^is 8, 37, 38.)

2858. Rigidior est prohibitio quoad religiosos : quippe nequeunt sinè licentiâ Episcopi accedere etiam ad moniales exemptas, et cum hujusmodi licentiâ possunt duntaxat quater in anno invisere conjunctas in primo aut secundo gradu, extra Adventum, Quadragesimam, Feriam VI,

Sabbatum, Vigilias et Dies festos. Insuper licentia subscribi debet à Prælato regulari quoad moniales exemptas.

2859. Religiosi alloquentes moniales aliasve sub clausurâ degentes sinè licentiâ, incurrunt ipso facto excommunicationem necnon privationem officiorum, dignitatum, beneficiorum, vocis activæ et passivæ, itemque inhabilitatem ad hæc omnia et ad audiendas confessiones. Ita Clemens IX, Constit. *Romanus Pontifex*. Vide alia multa circa hujusmodi accessus, ap. Ferraris, v° *Moniales*, art. 4, n^is 12, 50, 57; et Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 615-619.

2860. « Qui Capellani non sunt, possunt prohiberi ne acce-
» dant ad celebrandum in ecclesiis monialium etiam exemp-
» tarum, quia talis accessus pertinet ad custodiam clausuræ,
» super quâ Episcopus invigilat..., ut respondit S. Con-
» gregatio..., In ecclesiis monialium non debent regulares
» celebrare missas absque licentiâ Episcopi. » (Ferraris, v° *Missæ sacrificium*, n° 26.)

2861. Quærit. 4° Quid observandum sit quoad collocutorium et fenestrellam communionis?

Resp. 1° Nequeunt moniales uti confessionali pro locutorio: decisum à S. Congr. Episc. et Regul., ap. Ferraris, v° *Moniales*, art. 6, n° 28.

2° Nec Fenestrellâ communionis ad loquendum cum exteris, aut pro confessione faciendâ (*ib.*, n^is 29, 31).

3° Fenestrella communionis debet esse lata *palmo integro* et alta *dimidio* (*ibid.*, n° 36).

4° Clavis Fenestrellæ communionis ab Abbatissâ servari debet, non verò clavis tabernaculi, quæ apud sacerdoten exstare debet, non verò apud moniales (*ibid.*, n^is 37, 59).

5° Collocutorium non debet esse in secundo plano, neque in ecclesiâ; nec pro eo moniales uti possunt rotâ, nec cratibus in ecclesiâ existentibus (*ibid.*, n° 38).

6° Monasterii fenestræ ita debent esse dispositæ ut nequeant moniales videre exteros, aut ab eis videri (*ibid.*, n° 46).

Vide alia ap. D. Bouix (*De Regular.*, tom. 2, p. 620).

2862. Quæ diximus, intelligenda sunt de solâ clausurâ papali, quæ, casibus rarissimis exceptis, nonnisi pro mo-

nialibus vota solemnia emittentibus statui solet. Vide exceptiones ap. auctorem *Prælect. S. Sulpitii* (n° 448), et *Analecta* (sept. et octob. 1857, col. 197-204).

2863. Clausura *papalis* sic dicitur, quia in eâ, casibus necessitatis exceptis, solus Papa dispensat, et per solam ipsius auctoritatem expressam statuitur (*Analecta*, janv. et févr. 1858, col. 445). Vota autem monialium solemnia esse desinunt quando renuntiatur clausuræ papali (intellige de profitentibus post hujusmodi renuntiationem), prout renuntiârunt Visitandinæ civitatis Patavinæ , ut patet ex declar. S. Congr. Episc. et Regul., 17 martii 1848, apud *Analecta, ib.*, col. 506, n° 323.

2864. Præter hanc clausuram, est alia quæ Episcopis specialiùs est subjecta, quæque ideo *episcopalis* vocatur; in eâ servandâ, observari non debent omnia supra enuntiata. Juxta tamen suum arbitrium Episcopus non debet illam statuere, sed potiùs juxta receptas consuetudines; nec potest licentiam egrediendi denegare, sinè justâ causâ in casibus necessariis. Vide decisum à S. Congr. Episcop. et Regular., anno 1758, ap. *Analecta*, 24ᵉ livr., col. 497.

SCHOLIUM.

2865. Supersunt multæ aliæ obligationes regularium et monialium; imprimis obligatio divinum officium recitandi aut etiam cantandi; sed de eâ infra dicemus (2945).

Nota 1° Quoad frequentationem sacramentorum, verba Concil. Trid. (sess. 25, cap. 10) : « In constitutionibus » earum admoneantur (sanctimoniales), ut saltem semel » singulis mensibus, confessiones peccatorum faciant, et » sacrosanctam Eucharistiam sumant. » Ex eis nonnulli concludunt moniales teneri sub gravi singulis mensibus confiteri et communicare; sed hoc à multis negatur, et tam gravem obligationem non supponunt verba Concilii. Vide ap. D. Bouix (*ib.*) et ap. Gautrelet, tom. 2, p. 219.

2866. *Nota* 2° Quòd religiosi et religiosæ nequeant esse, etiam per procuratorem, compatres aut commatres. Ferraris, v° *Regulares*, art. 1, n° 14, et v° *Moniales* art. 6, n° 70.

ART. VI.

DE REGIMINE REGULARIUM.

2867. Regularium regimen vel ipsos regulares respicit, vel personas extraneas ; unde duo erunt paragraphi : in primo de regimine regularium ad extra; in secundo, de eodem regimine ad intra.

§ I.

De regimine regularium ad extra.

2868. Expendendum est hoc regimen sive quoad habilitatem ad munia ecclesiastica, sive quoad jus ipsorum sacrum ministerium exercendi, sive quoad administrationem bonorum temporalium, sive quoad privilegia , sive quoad Episcopos in Congregationibus virorum votis solemnibus carentibus, sive tandem quoad varia moniales spectantia.

PUNCTUM I.

DE HABILITATE REGULARIUM AD MUNIA ECCLESIASTICA.

2869. Nec jure naturali nec divino incapaces sunt regulares muniorum ecclesiasticorum. Vide id probatum apud D. Bouix (*De Regular.*, tom. 2, p. 2-15).

2870. Quærit. 1° An jure ecclesiastico hodierno regulares valeant promoveri ad ecclesias parochiales, aut ad beneficia sæcularia simplicia?

Resp. Vel illæ parochiæ monasteriis sunt unitæ vel non : in primo casu, certè regulares possunt promoveri ad hujusmodi parochias : constat ex Concil. Trident. (sess. 7, c. 7, *de reform.*), sive sint unitæ pleno jure (id est, unitæ non solùm quoad jus percipiendi redditus temporales, sed etiam quoad administrationem spiritualium, seu curam animarum), sive unitæ sint tantùm quoad *temporalia*. Sed in priori casu, si agatur de *mendicantibus aut monachis*, vi Constitutionis S. Pii V *Ad exequendum*, 1 nov. 1567, quæ in hoc non fuit revocata à Gregorio XIII (Vide Bouix,

ib., p. 24), religiosi ad has parœcias nominati *ad nutum* sui Prælati regularis sunt amovibiles: si agatur de aliis regularibus applicari potest Concil. Trident. (*ib.*), vi cujus vicarii etiam in *perpetuum* nominari possunt: quibusdam tamen casibus exemptis, de quibus vide D. Bouix (*De Regul.*, tom. 2, p. 22). Nominatio autem hujusmodi vicariorum ad eos pertinet quorum ecclesiis illæ parœciæ fuerunt unitæ: consequenter, quoad eos, locus non est concursui, modò constet de unione pleno jure. Si verò nominarentur sæculares ad hujusmodi parœcias: vel in perpetuum nominarentur, et tunc nominatio pertineret ad eos quibus unita fuit parœcia, approbatio autem ad Episcopum; si autem ad tempus solùm nominarentur, eorum nominatio ad Episcopum pertineret, quia sic disponit Concil. Trident. (sess. 7, c. 7, *de ref.*), et non fuit reformatum à præfatâ Constitut. S. Pii V *Ad exequendum*, nisi quoad nominationem *vicariorum perpetuorum* à Pontifice tributam monasteriorum Superioribus: unde Concil. Trident. vim suam retinet quoad nominationem vicariorum sæcularium temporalium. Vide decisum à S. Congr. Concil., anno 1593, ap. Bouix (*De Regular.*, tom. 2, p. 31), et supra (453).

Casu autem quo parœciæ sunt unitæ tantum quoad temporalia, vicarii à Monast. vel patron., præsentati in perpetuum, etsi regulares ab Episcopo per concursum sunt instituendi.

2671. Observandum est autem quòd, in casu quo religiosus nominatur Vicarius curatus parochiæ monasterio unitæ, necesse est, juxta præscriptum Constit. S. Pii V *Ad exequendum*, correctæ ab ejus Successore Gregorii XIII, ut unus religiosus (sed unicus tantùm) ipsi in socium adjungatur. Vide Bouix (*ibid.*, p. 32).

2672. Observandum insuper quòd religiosus in parochiâ unitâ ad curam deputatus *modo revocabili*, teneatur suo Superiori obedire, et regulam servare in iis quæ non spectant ad curam animarum; in cæteris autem, quæ hujusmodi curam respiciunt, obedire debet Episcopo. (Bouix, *ibid.*, Suarezium citans.)

Si autem in *perpetuum* deputatus esset, jam foret ab obedientiâ Prælati et à regulâ liber (*ibid.*) quatenus sunt

liberi regulares ad Episcopatum promoti. (Bouix, *ib.*)

2873. Idem à fortiori est dicendum si regularis ad beneficium sæculare esset promotus, nisi aliter statutum fuerit in proprio Instituto à Sede Apostolicâ approbato, prout in multis statuit Ordo Præmonstratensium; nec tunc tenetur vicarius curatus habere socium.

2874. In secundo casu, quo scilicet parochiæ monasteriis non sunt unitæ, sed sunt omnino sæculares, ad eas olim, etiam post Tridentinum, poterant regulares eligi, quamvis non ad cætera beneficia sæcularia simplicia: Clement. *Quia regulares, de supplendâ negligentiâ Præl.;* sed hodie omninò certum est jure communi haud posse hujusmodi parochias, absque dispensatione Papæ, regularibus conferri; illud constat ex pluribus S. Congr. Concil. declarationibus, Sedis Apostolicæ auctoritate firmatis: « Celebris jamdudum est controversia, inquit Bened. XIV » (Constit. *Quod inscrutabili,* 9 julii 1745), an Canonici re» gulares (idem à fortiori est dicendum de aliis regularibus) » capaces sint obtinendi et retinendi parochias sæculares » absque *Indulto Apostolico...*; sæpè responsum est *absque* » *Apostolico Indulto* ad sæculares parochias promoveri » non posse. Ita respondit Congr. Conc., anno 1581; ejus» que responsum approbatum fuit à Gregorio XIII. » Pro aliis regularibus, vide alias Declarationes ejusd. Congreg. apud D. Bouix (*De Regul.,* tom. 2, p. 46-48) qui ait rem esse hodie extra omnem controversiam.

2875. Excipiendi sunt tamen Præmonstratenses qui habent privilegium regimen parochiarum suscipiendi, à Bened. XIV confirmatum, in Constit. *Oneroso* 1 sept. 1750, ubi dicitur: « Præmonstratensibus conceditur ex integro » privilegium assequendi et retinendi quascumque paro» chiales ecclesias et vicarias, tam sæculares quàm regu» res, *absque dispensatione Apostolicâ.* »

2876. Religiosi vota simplicia emittentes, non videntur includi sub prohibitione accipiendi sæculares parochias absque Indulto Pontificio: quia hæc prohibitio utpote antiquæ libertatis restrictiva, strictè est intelligenda, proindè de solis regularibus in sensu strictiori dictis, seu solemnia

vota professis; unde professi vota simplicia sunt habiles ad recipiendas sæculares parochias absque Indulto pontificio, modò nihil in eorum regulâ particulari adversetur. Hinc benè possunt Episcopi in Galliâ parochias suas committere hujusmodi religiosis si eorum Superior assentiat. V. Bouix, *De Regular.* (*ib.*, p. 52).

2877. *Nota* quòd religiosus, cui confertur beneficium sæculare, acquirat Ecclesiæ, non monasterio: idem enim est de eo dicendum ac de regulari qui ad Episcopatum est promotus. Ita Suarez, apud D. Bouix (*ibid*, p. 50, etc.).

2878. Quærit. 2° An regulares eligi valeant: 1° in Examinatores synodales; 2° in Delegatos S. Pontificis; 3° in Conservatores; 4° in Vicarios Generales aut Capitulares; 5° in coadjutores parochorum; 6° an possint ad gradus academicos evehi?

Resp. Ad 1um affirmativè, ex Concil. Trident. (sess. 24, c. 18, *de ref.*) ubi dicitur: « Sunt verò hi Examinatores, » Magistri, seu Doctores... clerici *seu regulares, etiam ex* » *Ordine Mendicantium.* »

2879. Ad 2um affirmativè, modò sint in Dignitate constituti, id est non habentes in eodem monasterio ullum alium Superiorem immediatum supra se: sic Dignitas est Prior *conventualis,* non verò Prior claustralis, qui subest Abbati. Ex cap. *Statutum, de rescriptis,* in 6°.

2880. Ad 3um affirmativè, cum iisdem conditionibus. Constit. Gregor. XV, *De Conservatoribus.*

Ad 4um, vide quid dixerimus supra (1139-1140).

2881. Ad 5um, idem videtur esse dicendum ac dictum fuit de officio parochi in quæstione præcedenti.

2882. Ad 6um affirmativè, accedente Superioris licentiâ: imò ex privilegio apostolico, promoveri possunt extra publicas Universitates auctoritate Prælatorum religionis, prout Innocentius VIII concessit Dominicanis, Julius III Societati Jesu; et per communicationem privilegiorum id etiam aliis Religionibus competit.

2883. Pius IV concessit Societati ut etiam doctorare posset sæculares qui in ipsius collegiis studia peregerint. — Regulares possunt etiam esse professores in publicis

Universitatibus, nisi obstet proprium ipsorum Institutum. Vide apud D. Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 64, etc.

2884. Quærit. 3° An in Episcopos, Cardinales et SS. Pontifices possint regulares eligi?

Resp. Affirmativè: et primò quidem elegi possunt in Episcopos, prout certò constat ex Clem. 1, *de electione*, in quâ dicitur: « Per hoc autem, quin religiosus in Episco-» pum sæcularis vel cujuslibet regularis Ecclesiæ licitè » possit eligi, non intendimus prohibere. »

2° Eligi possunt in Cardinales et in SS. Pontifices, ut longâ experientiâ constat.

2885. Ut autem in Episcopos et Cardinales eligi valeant, religiosi indigent Superioris regularis licentiâ; constat ex cap. *Si religiosus*, *de electione*, in 6°, ubi statuitur: « Si » religiosus electioni de se, ad *Prælationem* aliquam extra » suum monasterium vel suam ecclesiam celebratæ, sui » Superioris (qui dare ipsam valeat) non petitâ et obtentâ » licentiâ, præsumpserit consentire, consensus sic præs-» titus non teneat, et... electio eadem ipso facto, viribus » vacuetur omnino. » Ibidem postea disponitur ut licentiam hanc dare valeat Superior absque consensu sui Capituli. Vide apud Bouix, *De Regul.*, *ib.*, p. 67.

2886. Quærit. 4° An regularis in Episcopum aut Cardinalem electus desinat esse religiosus?

Resp. Negativè: et hoc ut certum communiter habetur cum Suarez post S. Thomam: substantia enim statûs religiosi tunc remanet et obligatio votorum: nulla potest esse difficultas quoad castitatem; quoad verò obedientiam, desinit quidem religiosus suo Prælato subjici, sed constituitur sub obedientiâ Papæ; remanet pariter votum paupertatis: siquidem non magis quàm antea potest ullius rei dominium acquirere, quamvis non ampliùs monasterio, sed suæ mensæ seu Ecclesiæ acquirat: habet tamen usum rerum temporalium minus restrictum ob suæ Dignitatis exigentias. Vide Ferraris, v° *Episcopus*, art. 7; et Bouix, *De Regul.*, tom. 2, p. 68.

2887. Imò per Constit. *Custodes* Bened. XIII, 7 mart. 1725: « Iisdem regularibus tam ad Episcopatum quàm ad

» Cardinalatum evectis, præcipitur in virtute sanctæ obe- » dientiæ... ut singulis suæ regulæ officiis et obligationi- » bus, quæ Pontificale... aut Cardinalatûs officium minimè » impediunt, perpetuò subsint. » Unde etiam ad perpetuò servandam vitam quadragesimalem obstringuntur religiosi Minimi, etsi ad Episcopatum aut Cardinalatum evecti, quia de hâc servandâ quartum votum emittunt in suâ Professione. Vide Ferraris (v° *Episcopus*, art. 7, n° 3).

2888. Quoad habitum, etsi in cap. *Clerici, de vitâ et honest. cleric.*, statuatur monachum in Episcopum electum debere *ferre habitum monachalem*, tamen, retento colore habitûs suæ Religionis, potest se conformare cum Episcopis sæcularibus in formâ, et sic servatur in praxi. (Ferraris, *ib.*. art. 7, n° 5.)

2889. Quoad *paupertatem*, etsi religiosus, ante suam Professionem, juri successionis ad hæreditatem sibi postea obventuram renuntiaverit; sive in favorem monasterii, quando istud est capax possidendi in communi; sive in favorem consanguineorum aut extraneorum, quando monasterium est incapax dominii etiam in communi: post promotionem tamen ad Episcopatum aut Cardinalatum, hujusmodi successionis jus recuperat quoad hæreditates quæ nondum, ante promotionem, tertio sunt acquisitæ. Ita communiter, et sic fuit decisum à S. C. Concil. in *Neapolitanâ*, 3 decemb. 1637. Vide ap. Ferraris, *ib.*, n° 17; et ap. Bouix, *ib.*, p. 69-70.

2890. Episcopi regulares, si cum licentiâ Papæ renuntient vel deponantur, *ad claustra* sua redire tenentur *sub pœnâ privationis usûs pontificalium; et si manserint in contumaciâ non redeundi ad claustra post annum*, sint eo ipso suspensi à divinis. Ita Bened. XIII, in Constit. *Custodes* modò citatâ: proinde conventus tenetur eos alere, nisi aliunde habeant ex quo sibi subveniant. Vide Ferraris, v° *Episcopus*, art. 7; et *Analecta*, mai et juin 1859, col. 1619.

2891. Non tamen ex modo dictis concludi debet, juxta Busembaum, ap. S. Lig. (l. 4, 2), quod Episcopus stricte teneatur redire ad regularem observantiam cum adhuc

retineat eminentiam Episcopalem; secus de Cardinali, quia in casu dimissionis nihil ipsi remanet de Dignitate cardinalitiâ; hoc autem S. Liguor. putat probabilius (*ibid.*, n° 3).

PUNCTUM II.

DE JURE REGULARIUM QUOAD SACRI MINISTERII EXERCITIUM.

2892. Guillelmus à S. Amore, qui à SS. Thomâ et Bonaventurâ fuit confutatus, contendebat non esse permittendum regularibus ut prædicarent, confessiones audirent, ad Doctoratum et Cathedras in publicis Academiis admitterentur : quia, juxta ipsum, sacri ministerii exercitium cum naturâ et fine Statûs religiosi pugnat. Idem error renovatus fuit à Jansenistis in Synodo Pistoriensi, ut constat ex Bullâ *Auctorem fidei*, propos. 80; et tandem hisce temporibus in Belgio, à Mariano Verhoeven, juxta quem regulares non sunt instituti nisi in *subsidium tantùm et defectum cleri sæcularis, ita ut Episcopus non debeat regulares sacerdotes ad sæcularium confessiones audiendas assumere, ubi clerus sæcularis his sacris muniis obeundis aptus et sufficiens est.* Vide ap. D. Bouix (*De Regular.*, tom. 2, p. 178).

2893. Porrò hæc esse erronea satis constat, tum ex eo quòd plures Ordines religiosi à Sede Apostolicâ approbati fuerint cum missione sacrum ministerium exercendi, ut patet ex eorum constitutionibus, et si prædicta vera essent, hujusmodi Instituta suum finem persæpè attingere non valerent : « Fingamus, inquit D. Bouix (*ibid.*, p. 181), in » aliquâ diœcesi receptos Jesuitas, cùm nondum prædica- » tionibus et audiendis confessionibus par esset clerus sæ- » laris : contingere potest ut post menses aliquot, idem » sæcularis clerus sufficiens evadat; quid tunc fiet de » Jesuitis illis? debebuntne Instituto valedicere et ad vitam » contemplativam sese convertere? Sed ad id ex votis » suis non tenentur; ergo expellendi erunt et dicendum » ipsis erit ut migrent ad loca ubi adhuc insufficiens est » sæcularis clerus. »

Tum ex damnatione propositionis 80 Synodi Pistoriensis quæ sic habet : « Regula 1 quæ statuit universè et indiscri-

» minatim *Statum regularem... naturâ suâ componi non* » *posse cum animarum curâ, eumque vitæ pastoralis mune-* » *ribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticæ hie-* » *rarchiæ quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ* » *monasticæ principiis:* FALSA; PERNICIOSA; IN SANCTISSIMOS » ECCLESIÆ PATRES ET PRÆSULES, QUI REGULARIS VITÆ INS- » TITUTA CUM CLERICALIS ORDINIS MUNERIBUS CONSOCIARUNT, » INJURIOSA; PIO, PROBATO, VETUSTO ECCLESIÆ MORI SUMMO- » RUMQUE PONTIFICUM SANCTIONIBUS CONTRARIA. »

Tum ex variis juris dispositionibus; sufficiat referre Constit. *Superna*, 21 jun 1670, Clementis VIII, ubi dicitur § 3, Episcopum non debere *absque justâ et rationabili causâ* denegare licentiam prædicandi; et *licentiam semel concessam posse quidem suspendere, sed ob rationabiles causas licet occultas, prædicationem tamen concernentes; nec posse generatim prohibere regularibus quin in ecclesiis suorum ordinum prædicent*. Ergo sufficientia sacerdotum sæcularium non est ratio sufficiens denegandi regularibus licentiam prædicandi, alioquin posset Episcopus *generatim* hoc munus regularibus prohibere etiam ob causam prædicationem non concernentem. Vide dicta supra (595).

2894. Constat etiam pro sacramento Pœnitentiæ ex eâd. Constitutione, § 4, ubi dicitur: « Illos religiosos qui ad » confessiones audiendas *idonei generaliter reperti fuerint*, » ab Episcopis *generaliter quoque* et indistinctè absque » aliquâ limitatione temporis certorumque locorum aut » generis personarum *in diœcesi propriâ admittendos*. » Quoad cæteros verò qui non *adeo idonei* reperiuntur, si » petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, » ipsos cum limitatâ facultate, prout eisdem Ordinariis » magis expedire videbitur, probare et admittere.

» § 5. Regulares verò... absque ullâ temporis præfinitione » ab ipsomet Episcopo... approbatos (secus, si ab ejus » Vicario aut ab antecessoribus Episcopis), non posse ab » eodem qui sic approbavit iterum examinari, aut ab » eisdem confessionibus audiendis suspendi, *seu licentias* » *illis concessas* revocari, nisi novâ superveniente causâ » *quæ ipsas confessiones concernat;* de quâ tamen haud

» necessarium esse ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ » duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. » Vide dicta supra (1569).

Item S. Congr. Episcop. et Regular., 2 martii 1646 : « Nec confessarii regulares restringi debent ad duos pro » quâlibet ecclesiâ. »

Hæc manifestè probant sufficientiam cleri sæcularis non esse rationem sufficientem excludendi regulares à sacro Pœnitentiæ ministerio. Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 254.

2895. Quærit. 1° An regulari absolutam pro confessionibus approbationem postulanti, possit Ordinarius denegare examen, et vel nullam vel limitatam duntaxat approbationem concedere.

Resp. Vel Ordinarius absque examine, aptitudinem dicti regularis ad audiendas confessiones benè cognoscit, vel eam ignorat, aut de eâ dubitat :

In 1° casu, debet illum absque limitatione approbare. Vide supra (1569).

Si certò sciat illum esse incapacem, potest absque examine approbationem denegare, imò non posset eam licitè eidem concedere.

Si sciat illum non esse certò generaliter idoneum, pariter potest ei approbationem denegare absque examine : siquidem ex Constit. *Superna* Clementis X, 21 jun. 1670, *arbitrio Ordinariorum relinquitur cum limitatâ facultate admittere* eos qui, post examen, *non generaliter idonei reperti fuerunt :* ergo sicut post examen liberi sunt Ordinarii ut tales regulares non approbent, sic et ante examen hâc libertate gaudent, si absque examine certò cognoscant eos non esse generaliter idoneos.

2896. In 2° casu, nempe si benè non sit comperta regularis aptitudo ad audiendas confessiones, ipsi non debet denegari examen, nec approbatio, si generaliter idoneus repertus fuerit : hoc sequitur ex dictis in respons. ad quæstionem præcedentem. Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 239 et 240.

2897. Quærit. 2° An regulares indigeant approbatione ad prædicandum?

Resp. Jam huic dubio fuisse responsum (595, 1064, 1065) : notandum est hic insuper : 1° declarationem à S. Congr. Concil. fuisse emanatam, 8 maii 1751, quâ S. Sedes recessisse videtur in hâc parte à Constit. *Superna* Clementis X et quæ sic habet : ad dubium « An ad crates » ecclesiæ, seu collocutorii, aut alibi, liceat Commissario » monialium sermonem aut conciones habere ad moniales » sinè Episcopi licentiâ : — Respondit : *affirmativè* pro » solis monialibus, et januis clausis. » — Adverte tamen, inquit D. Bouix (*De Regular.*, t. 2, p. 264), « ibi excludi » quidem necessitatem *licentiæ* Episcopi, non autem *pe-* » *tendæ benedictionis*, saltem expressis terminis; Cle- » mens X petendam benedictionem solummodo injungit » in hoc casu. »

2898. — 2° Ex Constitutione *Superna* Clementis X, jus habet Episcopus regulares examinandi circa doctrinam, antequam prædicent in ecclesiis quæ non sunt suorum Ordinum; sed hoc jus ad Superiores tantùm pertinet si prædicent in ecclesiis Ordini propriis. Ita decisum à S. Congr., 19 decembr. 1610, refert Ferraris (v° *Prædicare*, n° 80).

2899. — 3° Quando regulares per totam Quadragesimam prædicant in ecclesiis suorum Ordinum, sufficit ut benedictionem ad id necessariam petant ante primam prædicationem (sess. 5, cap. 2, *de reform.*).

2900. — 4° Si Episcopus deneget regulari licentiam prædicandi, vel eum ab hoc munere ex legitimâ causâ suspendat, non tenetur causam hanc exprimere; possunt tamen regulares ad Sedem Apostolicam recurrere, et debet Episcopus tunc causam S. Congregationi patefacere. Ita decisum à S. Congr. Conc., in *Castellanensi*, 6 oct. 1603.

Vide alia apud D. Bouix (*De Regul.*, tom. 2, p. 263-268) et S. Liguor. (*De Privilegiis*, n[is] 126-128).

PUNCTUM III.

DE JURE REGULARIUM QUOAD BONORUM SUORUM TEMPORALIUM ADMINISTRATIONEM.

2901. Quædam notiones sunt præmittendæ :

1° Ut bona alicujus Communitatis ecclesiastica sint censenda, necesse est ut illa Communitas (vel Institutum) fuerit auctoritate ecclesiasticâ erecta : unde, quando Conservatoria, Societates, Seminaria, Collegia, etc., sunt erecta auctoritate Ordinarii, illorum bona sunt ecclesiastica : v. g., Societas S. Sulpitii et similium; secus si non sint taliter erecta.

2902. — 2° « Vox dominium sumi potest in usuali vel » strictiori sensu : juxta usualem..., ille dominium bono- » rum ecclesiasticorum habere dicitur, qui liberè de iis » disponere potest, etiamsi non ipsius sed Dei solius pro- » prietas sint. Sic... certum est Romano Pontifici compe- » tere bonorum omnium ecclesiasticorum dominium. » Disputatur autem an sit eorum dominus in stricto sensu.

2903. » Juxta receptam doctrinam, bonorum à Commu- » nitatibus religiosis in communi possessorum dominium » residet primariò penes Deum, secundariò penes Papam, » tertiariò penes ipsammet Communitatem. » (Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 271, 272.)—Sed de hâc quæstione vide infra dicenda (3274).

2904. Quoad Religiones in communi possidere non valentes, dominium rerum donatarum residet apud Deum et apud S. Pontificem. Quidam tamen dicunt dominium rerum usu consumptibilium remanere apud donantes donec illæ res à fratribus sint consumptæ. Vide Bouix (*ib.*); P. Gautrelet, *Traité de l'état relig.* (tom. 1, p. 205-214); dicta supra (2790-2793) et dicenda (3276).

2905. His præmissis, dicimus 1° : nisi lex ecclesiastica contrarium disponat, religiosa Communitas, etsi in eâ nulla vota aut solùm simplicia emittantur, ex seipsâ jus habet absque ullâ concessione ab Ecclesiâ factâ, sua administrandi bona : ratio est quia est Communitas; porrò, in-

quit Suarez (*De Relig.*, tract. 8, lib. 2, c. 26, n° 2, etc.): « Unaquæque Communitas habet jus proprium administrandi sua bona, quo non privatur Communitas religiosa, eò quòd religiosa sit : quia non repugnat voto paupertatis singulorum, nisi hoc etiam voluntariè profiteatur. »

Dictum jus residet primariò in Communitate ipsâ quatenus tali; non autem in ullo membro seorsim sumpto; sed quia non potest exerceri practicè à totâ Communitate, statuere potest ipsa Communitas ut à Prælato cum absolutâ independentiâ, vel cum consilio aut consensu Capituli, exerceatur, etiam alienando, modò in utilitatem monasterii et non in detrimentum ejus fiat alienatio.

Non obstat quòd dominium bonorum religiosorum resideat etiam apud S. Pontificem, ita ut possit Papa sibi reservare dispositionem hujusmodi bonorum : nam hoc non impedit quominus jus de iis disponendi remaneat apud Communitatem, quamdiu Papa sibi non reservaverit; sed jus Communitatis subordinatur auctoritati S. Pontificis, qui illud restringere aut adimere potest propter supereminens jus quod habet in omnia bona ecclesiastica. Vide Bouix, *ib.*, p. 273, 278.

2906. Dicimus 2° : *Seclusis specialibus Constitutionibus approbatis* quæ Episcopo supremam administrandæ rei temporalis alicujus familiæ religiosæ potestatem attribuisset, Episcopus nequit sese ingerere in hanc administrationem, nec illam potest restringere, quia hoc pertinet, non ad jurisdictionem, sed ad potestatem dominativam, ut Doctores communiter tradunt; porrò, secluso speciali statuto, Episcopus habet quidem jurisdictionem quamdam in hujumodi bona, sed nullam habet potestatem dominativam, etiam quoad Congregationes mulierum. Vide infra (2984).

2907.—1° Episcopus habet *in illa bona quamdam jurisdictionem :* vi enim hujusmodi jurisdictionis, potest coercere et punire delicta quæ in administratione talium bonorum committerentur: si nempe dilapidarentur aut nimiis debitis et oneribus gravarentur. Casu ergo quo legitimum fundamentum habet formidandi ne tales aut similes excessus com-

mittantur, potest Ordinarius inquisitionem præscribere, et Communitatem cogere ad reddendam computorum rationem. Vide Bouix, *ib.*, p. 279-280.

2908.—2° *Seclusis specialibus Constitutionibus, Episcopus nullam habet potestatem dominativam etiam quoad Congregationes mulierum :* quia ex *specialibus constitutionibus*, moniales præsertim, quoad actus administrativos magni momenti, pendent ab Ordinario aut à Prælatis suis regularibus.

2909. Quærit. 1° An jure positivo, in aliquo adempta fuerit religiosis libera bonorum suorum administratio?

Resp. Affirmativè, et constat 1° Extravag. *Ambitiosæ* Pauli II, anno 1468, ubi dicitur: « Ambitiosæ cupiditati...
» occurrere cupientes, omnium rerum et bonorum eccle-
» siasticorum alienationem, omne pactum per quod ipso-
» rum dominium transfertur, concessionem, hypothecam,
» locationem et conductionem ultra triennium, necnon
» infeudationem, vel contractum emphyteoticum, præter-
» quam in casibus à jure permissis..., et cum ecclesiarum
» evidenti utilitate, ac de fructibus et bonis quæ... servari
» non possunt..., fieri prohibemus...

» Alienanti verò bona ecclesiarum, monasteriorum,
» locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano
» Pontifice, aut contra præsentis Constitutionis tenorem,
» si Pontificali seu Abbatiali præfulgeat Dignitate, ingressus
» ecclesiæ sit penitus interdictus. Si per sex menses....
» animo perseveret indurato..., è regimine et administra-
» tione suæ ecclesiæ vel monasterii sit eo ipso suspensus. »
In cæteros alienantes, decernitur pœna privationis officii, Dignitatis, beneficii et administrationis.

2910. Constat 2° Decreto Urbani VIII : die enim 7 sept. 1624, S. Congr. Concilii, jussu Urbani VIII, Decretum edidit sequens : « S. Congregatio. speciali Sanctissimi D. N. jussu...
» Generalibus vel Provincialibus Capitulis vel Congrega-
» tionibus... et quibuscumque... Superioribus regularibus
» cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis vel Instituti,
» intra fines Europæ existentibus, omnium rerum et *bo-*
» *norum immobilium ac pretiosorum mobilium* alienatio-
» nem, omneque pactum per quod ipsorum dominium

» transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, » locationem et conductionem ultra triennium, etc..., » præterquam incasibus à jure permissis, fieri perpetuò » inhibet atque interdicit, absque ipsius Congregationis » Concilii expressâ licentiâ in scriptis et gratis conce- » dendâ. » Postea hujusmodi actus irritat, et præter pœnas à Decretali *Ambitiosæ* statutas decernit pœnam privationis officiorum, vocis activæ et passivæ, necnon inhabilitatis perpetuæ ad illa obtinenda ipso facto incurrendam : « *non* » *obstantibus consuetudinibus etiam immemorialibus, privi-* » *legiis*, et ordinationibus apostolicis quibuslibet. » Vide Ferraris, v° *Alienatio*, art. 4, n° 30.

2911. Ex præfatis documentis 1° patet alienationem bonorum ecclesiasticorum *immobilium et mobilium pretiosorum*, et omnes dispositiones in eis enumeratas circa hujusmodi bona esse prohibitas, si fiant inconsulto Romano Pontifice, præterquam in casibus à jure permissis, v. g., si instet necessitas, et Papa de facili adiri non possit, ut si fames regionem invaserit, nec valeat aliter pauperibus provideri.

2912. — 2° Dictâ prohibitione comprehenduntur non solùm Religiones in quibus vota solemnia emittuntur, sed etiam omnes religiosæ Congregationes in quibus nulla etiam profitentur vota, siquidem lex attingit omnia bona ecclesiastica ; porrò in omnibus Institutis legitimâ auctoritate erectis, bona sunt ecclesiastica, etsi nulla vota in eis emittantur. Ergo, etc.

Imò aliqui sustinent requiri Beneplacitum Apostolicum pro alienatione etiam bonorum pertinentium ad *pia opera merè laicalia nullâ auctoritate ecclesiasticâ erecta*. Vide Bouix ex *Thesauro resolutionum* (*ib.*, tom. 2, p. 289).

2913. — 3° Ordines tamen incapaces possidendi in communi, uti Minores Observantes et Capuccini, comprehendi nequeunt sub prohibitione alienandi bona immobilia inconsulto Papâ : eis enim bona hujusmodi dari possunt, non quidem ut retineri valeant, sed ut vendant, et inde proventam pecuniam in usus suos consumere queant ; proinde ipsis S. Pontifex non intendit alienationem hujus-

modi bonorum interdicere. Ita Canonistæ omnes, et sic decisum fuit a S. Congr. Concil., uti videre est apud Ferraris (vº *Alienatio*, art. 3, nº 5).

2914. — 4º Immobilia *modici valoris* alienari possunt absque Pontificis licentiâ, nam ante Decretalem *Ambitiosæ* alienari poterant de consensu Episcopi, ut constat ex cap. *Terrulas*, causa 12, q. 2; porrò S. Congr. Concil. censuit 11 jan. 1596, Constitutionem Pauli II non derogasse dicto cap. *Terrulas*.

Res esse *modici valoris* judicavit S. Congr. Episcop. et Regular. (22 maii 1611, in *unâ Faventinâ*) quando non æstimantur ultra 20 solidos seu 25 scuta aurea, quæ circiter 41 scutis monetæ romanæ æquivalent et circiter 220 francis nostræ monetæ Galliæ. Vide D. Bouix, *De Regul.*, tom. 2, p. 291, qui dicit æquivalere circiter 267 francis, sed nescimus quo fundamento.

2915. Variantur tamen opiniones circa quantitatem requisitam ut res dicatur *modici valoris* : et meritò observat idem D. Bouix pecuniam multò majoris valoris fuisse, tempore quo lata fuit præfata decisio, quàm hodiernâ die : unde hodie putat modici valoris posse dici summam qui 500 francos non excedit : et per hanc regulam posse judicari quandonam res mobiles habendæ sint veluti pretiosæ.

2916. Item vendi possunt succisiones arborum in sylvis cæduis, et etiam arbores quarum fructus ferò omnes in earum succisione consistunt, modò ex ipsâ fundus non fiat deterior et in locum demortuarum aliæ arbores sint tunc submittendæ. Vide Card. Soglia, *Institut. juris priv.*, § 112. — Generatim *mobilia pretiosa* præcipuè determinantur vel ex materiâ, ut aurum, margaritæ ; vel ex formâ, uti picturæ, opera textilia et alia id genus, quæ ob artem, vel antiquitatem ad thesaurum Ecclesiæ pertinent. (Card. Soglia, *ibid.*)

2917. — 5º Sunt res pretio nullatenus æstimabiles quæ habendæ sunt ut pretiosæ, et ideo absque Pontificiâ licentiâ alienari nequeunt ; tales sunt Reliquiæ modò sint insignes. Ita S. Congr. Conc., 14 jan. 1702, apud D. Bouix, *De Regul.*, *ib.*, p. 292. — Idem dicendum ait de sacris imagi-

nibus quæ in magnâ sunt veneratione apud populum, aut aliâ de causâ magni pretii habentur. Vide similiter decisum (*ibid.*).

« Jura quoque incorporea jurisdictionem vel præeminentiam, aliudve jus honorificum concernentia. » Card. De Luca (apud Bouix, *ib.*, p. 296).

2918. — 6° Sunt casus in quibus etiam pecunia alienari nequit absque Beneplacito Apostolico; illorum enumeratio videri potest apud Bouix (*ib.*, p. 293, 294), qui addit posse pecuniam collocari apud Gubernium absque recursu ad Sedem Apostolicam, quia sic collocata non censetur habere destinationem immutabilem, cùm semper possit retrahi (*ibidem.*)

2919. — 7° Etiam alienationes inter conventus ejusdem Ordinis prohibentur absque licentiâ S. Sedis : Sacra enim Congreg. Concil. consulta « An alienationes de quibus » agitur in Decreto de rebus regularium non alienandis, » quatenus inter monasteria ejusdem Ordinis, et quidem » cum utriusque contrahentis monasterii utilitate, fiant, » ita prohibitæ et interdictæ censeantur, ut absque Sacri » Congreg. licentiâ perfici non possint; sub die 27 febr. 1666 » respondit : ita esse prohibita. » Quam declarationem Sanctissimus probavit : conventus enim etiam ejusdem Ordinis sunt tamen collegia distincta, ita ut nequeat Prælatus regularis redditus exuberantes unius monasterii convertere in solutionem debitorum alterius. Ita S. Congr., 27 julii 1647.

2920. Secus tamen est dicendum, quando conventus unicum efficiunt corpus sociale sub Generali Prælato; tunc ex communi massâ, absque S. Sedis Beneplacito, subveniri potest conventibus indigentibus. Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 295-296.

2921. Præter Beneplacitum Apostolicum, certum est insuper requiri ad præfatas alienationes, causam *necessitatis, vel evidentis seu certæ utilitatis:* illud constat ex Decretali *Ambitiosæ* supra relatâ, quæ non fuit quoad hoc revocata. (Bouix, *ib.*, p. 298-301.)

2922. Quærit. 2° An extra Italiam obligare desierit lex

requirens licentiam S. Pontificis pro alienationibus bonorum ecclesiasticorum immobilium et mobilium pretiosorum?

Resp. Cardinalis De Luca, apud D. Bouix (*ib.*, p. 301-302), putat consuetudinem non posse eximere ab obligatione requirendi Beneplacitum Apostolicum in prædictis casibus; et in probationem adducit decisionem S. Cong. anni 1655; sed hæc decisio videtur probare duntaxat pro diœcesi Mediolanensi, in quâ allegata consuetudo fortè non habebat conditiones requisitas : meliùs adductum fuisset Decretum Urbani VIII supra relatum (2910).

2923. Dicit autem D. Bouix (*ibid.*), sed in hoc, uti mox dicemus, deceptus fuisse videtur, quòd ferè in toto mundo, si Italiam excipias, vigeat à duobus circiter sæculis eadem consuetudo alienandi bona ecclesiastica absque S. Sedis Beneplacito; et asserit illud constare ex registris Procuratorum generalium variorum Ordinum religiosorum Romæ degentium, in quibus referuntur quidem variæ petitiones pro bonis religiosorum in Italiâ et Insulis adjacentibus commorantium alienandis, nullæ verò pro cæteris regionibus; nullæ etiam citantur in recenti editione Ferraris, quamvis ibi multæ pro Italiâ recenseantur. Porrò hujusmodi consuetudo non videtur destitui conditionibus requisitis ut sit legitima : nam 1° est rationabilis, cùm sæpe utilis sit posse alienare, non expectatâ licentiâ S. Sedis, et periculosum esset illam expectare, ita ut ipsamet S. Sedes variis Ordinibus hoc privilegium concesserit; 2° est sufficienter præscripta, cùm tempus requisitum ad legitimam præscriptionem effluxerit; 3° adest consensus, saltem legalis imò et tacitus S. Pontificis, qui non potuit ignorare hujusmodi consuetudinem, et tamen tacet, cùm posset certè reclamare quin aliquid mali ex parte religiosorum esset formidandum. Ergo videtur legitima consuetudo præfata alienandi absque Beneplacito Pontificio: hanc tamen conclusionem D. Bouix non vult fore habendam ut omnino tutam : et reverâ adversatur C. *Apostol. Sedis*, 3ª excomm. non reserv.

2924. Et reverà in *Analectis* (janvier et février 1860, col. 2114-2147) innumeræ referuntur respons. S. Congr.

Episcop. et Regul., in quibus declaratur necessarium esse recursum ad S. Sedem pro alienandis bonis ecclesiasticis non solùm in Italiâ, sed in toto mundo; vide *ib.*, n° 93, ubi venditio bonorum quarumdam monialium in Hispaniâ, absque Indulto Apostolico facta, irrita declaratur; vide etiam n° 140, pro alienatione in Poloniâ peractâ; n° 145, ubi referuntur Durand de Maillane, v° *Aliénation*, et Gohard, t. 4, *Traité des bénéfices ecclésiast.*, p. 138: qui agnoscunt, in quibusdam saltem, Beneplaciti Apostolici, pro alienandis bonis ecclesiasticis, necessitatem, etc., etc. Unde deceptus fuisse videtur D. Bouix in assertione supra relatâ. —Iterùm quæstionem expendemus infra, pro alienationibus in genere in Galliâ peragendis (5320, etc.).

2925. Quærit. 3° An regulares ab Ordinario dependeant quoad bonorum alienationem?

Resp. Ab illo non dependent quoad alienationes quæ Beneplacito Apostolico egent: tunc enim sufficit licentia S. Pontificis.

2926. Quoad alias alienationes: si sint *boni immobilis modici valoris*, certum est licentiam Ordinarii esse requisitam saltem quoad *Communitates non exemptas*; constat ex cap. *Terrulas* 12, q. 2...: quod non fuit quoad hoc revocatum, ut pluries declaravit S. Cong. Concilii;—quoad verò *Communitates exemptas*, non ita constat: in eodem tamen sensu fuit decisum in casu particulari à S. Congr. Concilii, 8 maii 1751. Vide Bouix (*ib.*, p. 297-298).

2927. Si verò sint *bonorum mobilium non pretiosorum*, distinguendum est inter Communitates virorum et mulierum; in prioribus, sive vota emittantur sive non (prout v. g. in Congregat. Sulpitianorum), libera est omnino administratio bonorum, immobilibus vel mobilibus pretiosis exceptis; constat ex eo quòd hujusmodi Communitates habeant ex se facultatem bona sua administrandi, quoties contrarium lex ecclesiastica non statuit: porrò nullum est jus commune præcipiens Communitatibus virorum ut Ordinario subjiciant interiores œconomiæ actus: imò in hoc sensu fuit decisum pro Oratorianis S. Philippi Nerii, et decisionem confirmavit Bened. XIV in suâ Constit. *Emanavit*, 21 jan. 1758.

2928. Non idem est dicendum de Communitatibus mulierum : pro monialibus enim, licet exemptæ, sic statutum fuit à Gregorio XV, Constit. *Inscrutabili*, 5 febr. 1622 : « Administrantes bona ad... monasteria sanctimonialium.....
» etiam regularibus subjectarum pertinentia, sive regulares
» exstiterint sive sæculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis
» annis, rationes administrationis, gratis tamen exigendas,
» reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi et compelli queant. Liceatque Episcopo, ex rationabili causâ,
» Superiores regulares admonere, ut ejusmodi... administratores amoveant; iisque Superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem
» prædictos... administratores amovendi quoties et quando
» opus esse judicaverit. »

2929. Pro executione præfatorum, Ordinarius, quoad moniales exemptas, procedere debet tanquam delegatus S. Sedis; et quamvis jus habeat amovendi administratores etiam exemptarum monialium, si causa justa expostulet, non ideo jus habet illos, quoad exemptas, designandi aut approbandi, cùm de hoc jure præfata Bulla sileat.

Non autem tenetur Ordinarius, quando administratores bonorum monialium removet, dicere Superioribus earum regularibus, quam ob causam sic agat. Ita pluries decisum à S. Congr. Concil.; nec cogi possunt Superiores regulares ad audiendas computorum rationes coram Episcopo, si nolint adesse. V. ap. D. Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 312.

2930. Præter jus præfatum rationem computorum exigendi, et amovendi administratores bonorum monialium si causa subsit, Episcopus, non ex jure sed ex *consuetudine duntaxat*, plures alios actus admistrationis exercet quoad moniales regularibus non subjectas, sive vota aliqua sive nulla emittant : sic v. g. exigere potest ut pro rebus majoris momenti, suus expectetur consensus; ad ipsum pertinet administratores approbare et revocare, et ut sibi administrationis rationem reddant, etc. Hæc passim supponunt Canonistæ et Sacr. Congregationum Decisiones. (Bouix, *ib.*, p. 316.)

Verumtamen si hujusmodi ingerentia in administrationem bonorum Communitatis, consuetudine non firmetur, imò si adsit longa consuetudo in contrarium, huic stare posse videntur moniales. Nec obstat quòd sint Episcopo subjectæ : nam superioritas hæc jurisdictionis est, non dominativa ; porrò jus administrandi ad dominativam pertinet.

2931. Ex his intelligi potest quomodo Superiores monialium ab Episcopis deputati se gerere debeant : « Non » enim ipsis licet pro libitu consensum denegare...; sed » ubi nullum secuturum detrimentum perspiciunt, con- » sensum præstare tenentur : quia jus administrandi, etsi » ab ipsorum consensu dependens, non tamen ad ipsos » pertinet, sed ad moniales; et læditur jus illud, si absque » rationabili causâ, ipsius exercitium præpediatur... Exi- » gere nequit superior, ut in rebus levioris momenti..., in » parvis expensis, emptionibusve aut reparationibus et » eleemosynis, ipsius expectetur consensus : quia... depen- » dentia, à consuetudine inducta, non in utilitatem cede- » ret, sed in detrimentum : siquidem exosam redderet re- » ligiosam vitam, et tyrannidem quamdam saperet. » Ita D. Bouix (*De Regular.*, tom. 2, p. 317), qui in exemplum refert certos Superiores qui prohibent ne, absque prævio ipsorum consensu, moniales de summâ 50 francorum aut etiam minori disponere valeant; et tandem monet Superiores, non ex *jure dispositivo et proprietario* posse se ingerere in bonorum monialium administrationem, sed ex jure *directivo tantùm*, et hæc etiam Superiori regulari sunt applicanda. (Bouix, *ibid.*, p. 318.)

2932. Unde contractus semper fieri debent nomine monasterii ac monialium, non verò nomine vel Episcopi vel Superioris sive sæcularis sive regularis : quia non Episcopus nec Superior obligantur, sed conventus et moniales (*ibid.*, p. 314).

PUNCTUM IV.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM.

2933. Plura in Prolegomenis diximus de privilegiis in

genere (156-172). Item (nis 568-620) de exemptionibus regularium fusè disseruimus. Hîc speciatim nobis est tractandum de regularium privilegiis.

Quærit. 1° Quid sit et quatenus fiat communicatio privilegiorum inter regulares?

Resp. 1° Communicari dicuntur privilegia quando uni Ordini concessa aliis Ordinibus fiunt communia.

2934. — 2° Ex variis Constit. SS. Pontificum Julii II, Leonis X, S. Pii V, etc., omnes Mendicantes habent inter se absolutam et perfectissimam communicationem privilegiorum; et hoc est intelligendum etiam de privilegiis Societati Jesu concessis. Vide Reiffenst., lib. 5, tit. 33, nis 53, 64; Bouix *De Regular.*, tom. 2, p. 77, etc.

Imò, juxta S. Liguor. (lib. 4, n° 60), omnes Ordines regulares, communicant privilegiis aliorum Ordinum, prout et ipsæmet Moniales, modò eorum privilegiorum sint capaces, et hoc etiamsi Episcopis sint subjectæ.

2935. « Hæc communicatio..., inquit Reiffenstuel (*ibid.*, » n° 59), currit de Prælatis ad Prælatos, de fratribus pri- » vatis ad fratres privatos, de conventibus ad conventus, » de festivitatibus ad festivitates. »

Sed locum non habet si privilegium sit proprium vel alicui religioso, vel alicui ecclesiæ, ob rationem specialem: v. g. ob aliquam imaginem ab antiquo venerari solitam, vel si privilegium sit concessum ad tempus: nec etiam fit communicatio privilegiorum in iis quæ sunt contra constitutiones Ordinis. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 464.

Quando privilegium, alicui Ordini concessum, quoad ipsum revocatur, non ideo censetur revocatum quoad alios Ordines. (Reiffenst., *ib.*, n° 69.)

2936. Juxta D. Bouix (*ibid.*, p. 385), Congregationes in quibus non emittuntur vota solemnia, cum privilegiis religiosorum Ordinum non communicant; et juxta *Analecta* (40e livr., col. 163), hoc est imprimis dicendum quoad exemptionem ab Ordinario, pro quâ requiritur indultum speciale: dicit autem P. Gautrelet (*Traité de l'état relig.*, tom. 1, p. 138): « Toutes les religieuses... même celles qui » ne font que des vœux simples, jouissent également des

» priviléges accordés immédiatement à leur ordre et de
» ceux aussi qui ont été départis aux autres Religions qui
» *font des vœux solennels*, selon l'institut et la règle de
» chaque Ordre. Ainsi l'a déclaré Pie VII, et après lui Gré-
» goire XVI. » Vide *Ami de la relig.*, 13 avr. 1841. n° 3423. Sed in hâc ultimâ Declaratione, quæ legi potest apud eumdem Gautrelet (tom. 2, p. 275), agitur tantùm de Indulgentiis : et stricte regulares spectat declaratio 17 julii 1838 quam attulimus supra (2690, 6°). Vide adhuc dicta (2708).

2937. Quærit. 2° An et quomodo privilegia antiquitùs regularibus concessa per Concil. Trident. fuerint revocata?

Resp. 1° Non omnia privilegia regularium fuerunt à Concilio Trid. sublata : constat ex ipsomet Concilio (sess. 25, cap. 20, *De Regular.*), ubi dicitur : « In cæteris omnibus,
» præfatorum Ordinum *privilegia* et *facultates*, quæ ipso-
» rum personas, loca et jura concernunt, *firma sint*
» *et illæsa.* »

2938. — 2° Privilegia tamen regularibus concessa ante Tridentinam Synodum, quatenus adversantur Decretis sess. 25 vel aliis Decretis ejusdem Concilii clausulâ derogatoriâ *non obstantibus quibuscumque privilegiis* munitis, fuerunt ab eo revocata; non verò cætera privilegia, etsi aliis Decretis Concilii Trident. opposita.

Constat prima pars ex verbis Concilii (sess. 25, c. 22) : « Omnia et singula *in superioribus decretis contenta* obser-
» vari præcipit..., non obstantibus eorum omnium et sin-
» gulorum privilegiis, sub quibuscumque verborum for-
» mulis conceptis, ac *Mare magnum* appellatis, etc. » — Hæc verba *in superioribus decretis contenta*, intelligi saltem debent de Decretis sess. 25; ergo omnia privilegia his decretis adversantia, à præfato Decreto revocantur : aliunde revocata sunt, propter eamdem rationem, privilegia contraria aliis ejusdem Concilii decretis, clausulâ *non obstantibus quibuscumque privilegiis* munitis, ut patet. Ergo, etc.

2939. Observandum est quòd clausula, quæ concessioni privilegiorum annecti solet : *dummodo sacris canonibus et Decretis Concilii Tridentini non adversentur*, intelligi debet de solis *canonibus* Concilii Tridentini, alioquin nihil

concederetur. Vide Reiffenstuel (lib. 5, tit. 33, n° 113).

2940. Quærit. 3° Quænam sint privilegia regularium quoad absolutionem reservatorum et dispensationem super irregularitatibus?

Resp. Jam huic quæstioni fuisse responsum supra (1658-1659, 1779); vide insuper S. Liguor., *De Privil.*, n^is 95-105, qui addit n° 105 : « Ultimò possunt regulares dis-
» pensare cum suis subditis in omnibus inhabilitatibus et
» pœnis contractis ratione delicti : ut privationis officii,
» beneficii, vocis, loci, etc.; etsi illæ reservatæ sint Pon-
» tifici. »

2941. Quærit. 4° Quamnam potestatem dispensandi cum suis subditis habeant Prælati regulares in præceptis ecclesiasticis?

Resp. Quoad hoc Prælati regulares eamdem potestatem habent ac Episcopi cum suis diœcesanis : eorum enim jurisdictio in subditos est quasi episcopalis, juxta sententiam communem; unde « possunt probabiliter dispensare in
» omni eo quod non est specialiter Pontifici reservatum,
» et præsertim in dubio utrum res dispensatione indigeat...
» Possunt etiam dispensare... in legibus pontificiis, cùm
» latæ sunt pro aliquâ provinciâ aut monasterio particu-
» lari, quia tunc præsumitur data hujusmodi facultas;
» aut cùm talis est consuetudo; aut quando agitur de re-
» bus parvi momenti quæ non obligant ad lethale pecca-
» tum; aut quæ frequenter accidunt, ut jejunia, abstinen-
» tia à carnibus, festorum observantia, recitatio officii;
» dummodo non dispensetur per longum tempus... Ita
» dicunt etiam Azor... Salmant., etc., posse Superiores
» dispensare ad operandum diebus festis tam cum religio-
» sis, quàm servis domesticis, sed non cum extraneis,
» qui alioquin possunt operari pro monasterio, si monas-
» terium sit pauper. » Ita S. Liguor., *De Privil.*, n° 106.

2942. Quærit. 5° Quid possint Confessarii regulares mendicantes et cæteri religiosi ipsorum privilegiis participantes, quoad vota, juramenta aut impedimenta?

Resp. Hujusmodi Confessarii « potestatem habent irri-
» tandi, remittendi et dispensandi juramenta ac vota : pos-

» sunt insuper dispensare cum conjugibus quoad impedi-
» mentum ad petendum debitum, propter incestum...;
» (sed) Confessarius debet in hoc obtinere licentiam spe-
» cialem, saltem à superiore inferiori sui monasterii...
» Possunt præterea confessarii Mendicantes dispensare
» cum conjugibus in voto castitatis... ad petendum debi-
» tum..., ut communiter aiunt Sanchez, etc. »
Disputatur an instar Episcoporum possint in casu necessitatis dispensare in voto castitatis ad matrimonium contrahendum: communiùs negatur. Vide S. Liguor. (*De Privilegiis*, n[is] 108-109); Ferraris (v° *Debitum conjugale*, art. 2, n° 12).

2943. Quærit. 6° Quænam sint regularium privilegia quoad missæ celebrationem?

Resp. « Ex privilegio Gregorii XIII, possunt regulares
» celebrare unà horà ante auroram...; imò cùm adest ali-
» qua justa causa.., immediatè post duas horas post me-
» diam noctem, ex privilegio Alexandri VI et Clemen-
» tis VIII. Et hujusmodi privilegia dicunt Lugo... cum aliis
» non esse revocata per Trident. sess. 22 *de evitandis*, etc...
» Monent tamen... id valere tantùm pro ecclesiis propriis,
» in quibus.... possunt hujusmodi privilegio uti etiam....
» sæculares... Insuper, Eugenius IV concessit regularibus
» licentiam celebrandi tribus horis post meridiem, justâ
» tamen ex causâ. » Quidam dicunt hoc privilegium fuisse revocatum à S. Pio V; sed hoc ab aliis negatur. Vide S. Liguor., *De Privilegiis*, n° 122.

2944. Prohibitum fuit à Bened. XIII, Bullâ *In Supremo*, « ne in privatis regularium cellis, seu cubiculis, erigatur
» altare, remotâ quâcumque in contrarium consuetudine. » Gregorius XIII concessit tamen Provincialibus Jesuitarum facultatem deputandi publica oratoria in suis ecclesiis in quibus omnes possint celebrare. S. Liguor. (*De Privil.*, n° 121).

An autem regulares possint plures habere campanas, vide ap. D. Bouix, *De Regul.*, tom. 2, p. 628.

2945. Quærit. 7° Quibusnam privilegiis gaudeant regulares quoad divinum officium?

Resp. « 1° Leo X concessit religiosis... ut possint antici-
» pare officia longiora, et reservare breviora pro diebus
» majoris occupationis. 2° Clemens VII concessit omnibus
» regularibus infirmis (... qui per se non excusantur ab
» officio) et infirmariis, posse satisfacere officio recitando
» 6 aut 7 psalmos (assignandos à Superiore), 7 *Pater* et
» 2 *Credo*. Et Martinus V concessit convalescentibus ut
» satisfacere possent dicendo illam officii partem, quam
» judicaverit eorum confessarius. 3° Innoc. IV concessit
» Monialibus S. Claræ (et ita intelligitur pro omnibus aliis
» Communicantibus) satisfacere officio conversarum ob
» quamcumque rationabilem causam, v. g. si religiosa non
» sit benè instructa juxta judicium Abbatissæ, aut confes-
» sarii, in officio choristarum : aut si sit scrupulosa, aut
» ob labores lassa, aut occupata rebus utilibus... (sup-
» ponitur quòd privilegiis concessis monialibus gaudeant
» etiam religiosi ad invicem)... Animadvertunt... Salman-
» tic. hujusmodi privilegio eos posse uti etiam sinè licentià
» Superiorum. » Ita S. Liguor., *De Privil.* (n° 107, et lib. 4, n° 63), qui adjicit sibi non placere sententiam Salmanticensium asserentium non peccare lethaliter moniales, quæ utendo modò dicto privilegio omitterent laicarum officium (*De Privil.*, 115-128). —Quoad tempus interdicti, vide infra dicenda (6609).

2946. Quærit. 8° In quonam consistat privilegium regularium sibi eligendi Conservatores?

Resp. Per Conservatores intelliguntur Judices particulares à S. Pontifice delegati ad aliquos defendendos contra manifestas injurias, molestias et violentias, absque indagine judiciali. Ita Ferraris (v° *Conservatores*, n° 1), ex cap. 1 et 15, *de officio judic. deleg.*, in 6°.

2947. Hæc autem statuit Gregor. XV in suà Constit. *Sanctissimus* 20 septemb. 1621 : « § 2. In futurum... Sanc-
» titas Sua... statuit ut Judices Conservatores hujusmodi,
» sive principales sive subrogati, eligi, nominari, aut
» deputari non possint nisi non solùm habeant quali-
» tates... descriptas... in Constitutione Bonifacii VIII...
» quæ incipit *Statutum* (*de rescript.*, in 6°), ita ut vel

» Dignitate ecclesiasticâ præditi, vel Personatum obtinen-
» tes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed
» etiam in Conciliis Provincialibus aut diœcesanis, juxta
» Decretum Concilii... (Tridentini), Judices electi seu desi-
» gnati sint. »

2948. Ex quo duo requiruntur in Conservatoribus: 1° ut habeant dotes requisitas in delegatis à S. Sede; 2° ut sint Judices Synodales vel Provinciales.

« Si in diœcesi nulli reperiantur Judices Synodales...,
» regulares... poterunt quem maluerint in Conservatorem
» assumere...., modò.... qualitatibus præstet quas Boni-
» facius VIII... exposcit... At si postea Synodus celebretur,
» in quâ Synodales Judices constituantur, statim cessat ju-
» risdictio prædictorum Conservatorum, iterumque à Gre-
» gorianâ Constitut. adiguntur regulares ad aliquem eli-
» gendum ex designatis in Synodo. » (Bened. XIV, *De Synod.*, lib. 4, cap. 6, n° 3.)

2949. Insuper ex dictâ Constit. *Sanctissimus:* «§ 8. Con-
» servatores semel legitimè deputati, nisi ex legitimâ
» causâ, à Sede Apostolicâ aut locorum Ordinariis appro-
» bandâ, durante quinquennio..., amoveri aut mutari
» nullatenus... valeant.

2950. » § 9... Statuit Sanctitas Sua ut, coram ipsis
» Conservatoribus, regulares ac personæ supra scriptæ
» conveniri quidem aut trahi debeant, sed alios convenire
» aut trahere non possint; ita ut memorati Conservatores
» in causis, in quibus regulares aut alii actores fuerint,
» nullam prorsus jurisdictionem habeant... » Ex decisione tamen S. C. Concil. à D. Bouix relatâ (*De Regul.*, tom. 2, p. 160) Conservatores possunt defendere regulares à manifestis injuriis ac violentiis quando à suis possessionibus dejiciuntur et propriis bonis uti ac frui impediuntur.

2951. Conservatores sibi eligere possunt, non tantùm regulares qui expressa et peculiaria privilegia à S. Sede Apostolicâ obtinuerunt, sed et cæteri alii, virtute communicationis privilegiorum cum ipsis, ut expressè declaravit S. Congr. Conc., 12 sept. 1620. Vide Ferraris (v° *Conservatores,* art. 1, n° 2).

2952. « Regulares debent eligere Conservatores in sin-
» gulis diœcesibus in quibus monasteria, conventus seu
» domus regulares habent. » Ita S. Congr. Conc. 29 jan. 1633.... Ex quo deducitur unum et eumdem non posse constitui Conservatorem pro diversis diœcesibus. *De Syn.*, lib. 4, c. 6, n° 4; Ferraris, *ibid.*, n° 17.

Conservatores nequeunt alios sibi ministros assumere præter Notarium. (*De Synodo*, *ib.*, n° 6).

2953. Si injuria illata non *sit manifesta*, seu si requirat *judicialem indaginem*, Conservator nullam habet jurisdictionem : et si nihilominus se intromittat, per unum annum suspenditur; et pars quæ procuravit ut causa ad ejus tribunal deferretur, excommunicationem incurrit. (*De Syn.*, *ib.*, n° 5.)

2954. Etiam contra Episcopos procedere possunt Conservatores : sed « quia Pontificali Dignitate præditis, ob
» reverentiam sacri officii quod exercetur, plurimùm de-
» ferre convenit..; ut cùm à.. Conservatoribus à Sede Apos-
» tolicâ deputatis, contra eos ad coactiones aliquas seu pœ-
» nas fuerit procedendum, gradus et modestia in hujusmodi
» processu servetur : ita quòd .. ingressus primò ipsis
» Ecclesiæ, vel sacerdotale interdicatur ministerium : ac
» deinde ab officio suspendantur, et subsequenter aggrave-
» tur censura ecclesiastica contra eos. » (Cap. *Quia pontificali* 2, *de Offic... deleg.*, in 6°.)—Vide alia apud Ferraris (*ib.*), et Bouix (*ib.*, p. 157-165).

2955. Quærit. 9° Quid sint Cardinales Protectores et quodnam sit eorum officium?

Resp. Cardinales Protectores sunt Cardinales à S. Pontifice singulis Ordinibus assignati, ut iis præsidio sint.

Multùm differunt à Judicibus Conservatoribus : et quidem non solùm quia à regularibus non eliguntur, et sunt pro omnibus monasteriis ejusdem Ordinis quamdiù à S. Pontifice non amoventur, sed quia *de se* sunt tantùm *Protectores*, non propriè Judices, nisi quatenus S. Pontifex eos deputando, vel constitutiones Ordinis approbando, aliquam eis jurisdictionem concesserit, prout dicemus infra de Sororibus à *Bono Pastore* (2980).

De hujusmodi Cardinalibus Protectoribus fit mentio in regulâ S. Francisci; et deinde ad alios Ordines extensa fuit hæc institutio.

2956. Diversa pro diversis temporibus fuit eorum potestas : olim major, postea intra arctiores limites fuit restricta. Hodie juxta Constit. *Christi fidelium* Innoc. XII determinari solet.

Ex illâ Constitutione non debent se ingerere ut judices in negotiis quæ universum Ordinem non concernunt, nec statuta mutare : nullum possunt Superiorem officialemve instituere aut destituere, nullum religiosum de loco ad locum transferre, nullum punire aut à pœnâ eximere.

2957. Non ad ipsum, sed ad S. Cong.. Episcop. et Regular. causæ et recursus haberi debent.

Possunt tamen hujusmodi Cardinales interesse electionibus Prælatorum Ordinis, et etiam votum in eis emittere, si constitutiones ita disponant. Vide alia in dictâ Constit., et ap. D. Bouix (*ibid.*, p. 165-173); item ap. *Analecta*, 8e livr., col. 1374-1379.

2958. Juxta P. Gautrelet (*ibid.*, tom. 2, p. 29), nec Congregatio Regular. nec Congr. Conc. habent potestatem dominativam in religiosos: sed tantùm jurisdictionem pro casibus determinatis; ergo, à fortiori, idem est dicendum de Cardinalibus Protectoribus et Judicibus Conservatoribus.

2959. Insuper, Decreto 22 aug. 1814, art. 3, S. Sedes « statuit... ut illa religiosa Instituta quæ, in Pontificiâ quidem Ditione vel omnino desunt vel sunt infrequentiora, » alibi tamen hominibus ea profitentibus satis abundant, » habeant domum aliquam sive hospitium in Urbe, ubi » saltem *Procurator Generalis* resideat ad sui Ordinis » negotia apud Apostolicam Sedem gerenda. » Vide *Analecta* (juill. 1854, col. 691), et præsertim 40e livr. (sept. et octob. 1860, col. 195, etc.). De privilegiis regularium quoad ordinationem vide supra (1990-1998, 2007, 2008, 2690. 7°).

PUNCTUM V.

DE CONGREGATIONIBUS VIRORUM VOTIS SOLEMNIBUS CARENTIBUS RELATIVÈ AD EPISCOPOS.

2960. — 1° Hujusmodi Congregationes, etsi Ordinariorum jurisdictioni subjectæ et quamvis ab ipsis potestate ordinariâ visitari valeant, non tamen ipsis subjiciuntur quoad ipsarum constitutiones à Sede Apostolicâ approbatas [1]. Ita resolutum fuit quoad Oratorianos Archidiœcesis Limanæ S. Philippi Nerii, in celebri Decisione à Bened. XIV confirmatâ per Constitutionem *Emanavit*, 21 januarii 1758: et ratio est quia ad solum S. Pontificem spectat mutare quod ipsemet statuit. Si verò Institutum ab Ordinario duntaxat fuisset approbatum, immutari in quibusdam posse constitutiones, saltem cum consensu Congregationis Capituli, non videtur esse omnino negandum; hoc tamen D° Bouix non liquet (*De Regularibus*, tom. 2, p. 378).

2961. — 2° Quoad bonorum temporalium administrationem, iisdem conditionibus subduntur ac Congregationes votorum solemnium, pro alienandis immobilibus *non modici valoris* et *mobilibus pretiosis;* quoad verò cæteras alienationes, rei temporalis administratio penès ipsam Congregationem remanet, absque ullâ ab Episcopo dependentiâ.

2962. — 3° Item ab Episcopo non dependent quoad alios *interioris œconomiæ* actus: quoad *expensas* et *computa*, necnon *Præpositorum electiones* et *nominationes*, *admissiones* et *expulsiones presbyterorum ;* ita decisum quoad Oratorianos qui non sunt exempti. Vide Bullam *Emanavit;* et *Analecta*, 40 livr., col. 148.

2963. — 4° In eâdem Bullâ decisum invenitur quoad eosdem Oratorianos et proinde cæteros religiosos similiter approbatos, Episcopum esse judicem competentem in causâ

[1] Vide *Analecta*, 40e livr., col. 149, 153, 167 : « La vraie maxime en » cette matière, semble être que les Congrégations de vœux simples..... dépendent de leurs Supérieurs pour l'observation des » règles et l'administration domestique, mais elles demeurent sous » la juridiction ordinaire des Evêques et sont soumises à leur visite » pour les choses de la foi, pour le culte divin, les mœurs et la discipline canonique. » (*Ibid.*, col. 150.)

nullitatis electionis ad Præposituram, modò causa ad tribunal Episcopi ab aliquo membro Congregationis delata fuerit; non tamen esse competentem quoad constitutionum observantiam.

Dicit D. Bouix (*ib.*, p. 380) quòd, si agatur de electione Superioris Generalis vel de electione Superioris localis factâ à Superiore Generali, vel à Generali Capitulo in alienâ diœcesi existente, hujusmodi electionum causa nullitatis dirimi non possit ab Episcopo, quia talis causa tangit interesse eorum etiam qui ipsius jurisdictioni non subjacent.

2964. — 5° Jam supra ex Concil. Trident. diximus conventus non posse fundari in aliquâ diœcesi sinè Ordinarii consensu; sed non ideo concludendum posse supprimi ab Episcopo conventum virorum quorum constitutiones à S. Sede fuerunt approbatæ, si regulariter fuerit fundatus: quia à S. Sede Congregatio habet jus ut existat et propagetur, servatis servandis.

2965. — 6° Presbyteri dictarum Congregationum approbari debent ab Episcopo etiam pro confessione Confratrum, nisi de hoc aliter fuerit provisum in approbatione constitutionum: istæ enim Congregationes cum privilegiis religiosorum Ordinum non communicant, ut supra diximus (2936).

PUNCTUM VI.

DE VARIIS MONIALES CONCERNENTIBUS.

2966. Quærit. 1° Quænam sint juris dispositiones circa visitationem monialium ?

Resp. 1° Semel in anno Episcopus debet canonicam monialium visitationem facere; et quidem, vi jurisdictionis suæ ordinariæ si non sint exemptæ; si verò sint exemptæ et immediatè Sanctæ Sedi subjectæ, tanquam ejusdem Sedis delegatus; si tandem sint exemptæ et Prælatis regularibus subjectæ, visitatio fieri debet à Prælatis regularibus, sed simul Ordinarius potest monasterium visitare *ratione clausuræ*, id est quoad omnia quæ clausuræ observantiam spectant. Ita Clement. *Attendentes* 2. *de statu monach.* — Idem potest Vicarius Generalis cum speciali tamen Episcopi mandato; item Vicarius Capitularis, etiam quoad exemptas,

juxta sententiam communiorem. Vide Bouix (*De Regular.*, tom. 2, p. 322-323).

2967.—2° Visitatio est vel tantùm partialis, et clausuram duntaxat respicit; vel est totalis, et multa alia comprehendit: quomodo autem in utroque casu fieri debeat, vide explicatum in Constit. *Felici* Alexandri VII, quamvis hæc constitutio Italiam et Insulas adjacentes solùm respiciat. (Ap. Bouix, *ib.*, p. 323-330.)

2968. Ex dictâ Clement. *Attendentes*, moniales visitationem impedientes, modò priùs monitæ fuerint, excommunicationem incurrunt.

2969. Quærit. 2° Quid à jure sit præscriptum circa monialium confessarios?

Resp. Jam dixisse nos de confessariis monialium; vide supra (1532-1539, 1587-1592). Addendum hic duntaxat: 1° non posse moniales, nisi ex justâ causâ, recusare deputatum confessarium ordinarium; extraordinarium tamen possunt recusare etiam sinè causâ, dummodo alium ipsius loco non petant: quia extraordinarius in ipsarum favorem constituitur, et cuique liberum est juri suo renuntiare. Ferraris (v° *Moniales,* art. 5, n° 35).

2970. Juxta Constit. *Pastoralis* Bened. XIV, confessarius ordinarius non debet præsumere confessionem cujusvis mulieris audire intra septa monasterii commorantis, tempore quo extraordinarius suo munere fungitur; extraordinarius autem si sit regularis debet ab accessu monasterii se abstinere, etiam sub spiritualis causæ colore; sic Bened. XIV (ap. *Analecta*, janvier 1859, col. 1312); vide etiam Lequeux, n° 640, in fine.

2971. Juxta Decreta Apostolica, regulares, etiam cum voto simplici, eligi non debent in confessarios ordinarios monialium, etiam clausuræ non subjectarum et simplicia vota emittentium : possunt tamen eligi in confessarios extraordinarios. Ita S. Congr. Epic. et Regular., anno 1840 (ap. *Analecta,* janv. 1859, col. 1281-1296); Constitutio autem *Pastoralis* sic habet : « Pro monialibus Episcopo » immediatè subjectis, regula est ut ordinarius earum » confessor sit sacerdos sæcularis. » (*Analecta*, *ibid.*

col. 1289), — In præfatâ lege, S. Congr. Episc. et Reg. non dispensat nisi priùs obtento per scrutinium secretum consensu monialium. (*Analecta*, *ib.*, col. 1292.)

2972. — 2° Confessario monialium certa merces annua constitui debet.

3° Statui potest ab Episcopo quòd moniales, simplicia aut etiam nulla vota emittentes, nequeant confiteri nisi confessariis pro ipsis specialiter deputatis, sive ordinariis sive extraordinariis, cum observandis tamen et excipiendis quæ supra enumeravimus (1532-1539; 1587-1592), et imprimis quòd singulis trienniis mutetur confessarius. Vide decisum, ap. *Analecta*, 24e livr., col. 504, n° 315.

2973. Non videntur benè annotare *Prælect. S. Sulpitii* n° 462, quòd, nullo decreto *generaliter* obligante, præcipiatur mutatio confessarii monialium *singulis trienniis* : citantur enim plures Declarationes S. Congr. Episcop. et Regular., apud *Analecta*, janv. 1859, col. 1278-1282. — Non possunt autem conservari ultra dictum triennium, etiam cum dispensatione, sinè consensu monialium (*ibid.*). Vide dicta (1592).

2974. In hâc tamen provinciâ Avenionensi ex Concil. Provinciali 1849, mutari debet confessarius monialium singulis trienniis, tantùm *si commodè fieri potest*. (P. 88, 5°.)

Vide plura alia, apud D. Bouix, *De Regular.* (tom. 2, p. 331-338).

2975. Quærit. 3° Quomodò moniales generali Superiorissæ subjectæ, ab Ordinario in singulis diœcesibus dependeant?

(Supponitur dictas moniales ab Ordinario auctoritate S. Sedis non esse exemptas.)

Resp. Diximus supra (2930) consuetudine introductum fuisse quòd moniales ab Ordinario dependeant in gravioribus administrationis actibus : quæ quidem consuetudo, pro monasteriis quæ ab aliis non dependent, non solùm gravibus non est obnoxia inconvenientibus, sed etiam, saltem ordinariè, perutilis esse videtur : cùm sæpe contingat moniales in variis negotiis, consilio et protectione indigere.

2976. Sed quando conventus longè latèque in diversis

diœcesibus disseminati, Superiorissæ Generali subdunt, multa exoriri possent mala, et difficillimè unitas in regimine et administratione servaretur, si singuli ab Episcopo penderent: alii enim aliter circa idem negotium possent statuere. Undè legitimè inquiritur quomodo tunc moniales ab Ordinario dependeant.

Ad solutionem quæstionis tam gravis momenti, dicimus: vel S. Sedes, constitutiones hujusmodi Congregationum approbando, determinavit modum quo moniales à variis Ordinariis penderent, prout peregit Bened. XIV in suâ Constit. *Quamvis*, 30 april. 1749, quoad *Virgines Anglicas*, et tunc regulæ sic datæ sunt certè observandæ; vel nihil tale fuit sancitum, et tunc moniales certè etiam pendent ab unoquoque respectivo Episcopo loci ubi resident *quoad ea quæ sunt jurisdictionis episcopalis*, cùm ea ad unumquemque respectivum Ordinarium pertineant ratione muneris episcopalis, independenter ab aliis, iisque privari nequeat nisi in casibus à jure determinatis. — Sed quoad ea quæ sunt meræ administrationis œconomicæ, non videtur posse admitti quòd sub tali respectu moniales ab unoquoque respectivo Ordinario pendeant, quando subsunt Superiorissæ generali: hæc enim, ut jam diximus, ad Episcopos non pertinent ratione muneris episcopalis, sed duntaxat ratione consuetudinis (2930); porrò consuetudo non est observanda nisi sit bona et rationabilis, quod hìc minimè accidit: si enim v. g. unus Episcopus vellet præfici Ordini vel monasterio monialem quam alter Episcopus vellet sibi retinere; si certæ religiosæ ex uno Ordinario deberent ejici aut alibi transferri, hoc ipsum renuente altero Ordinario, vel Superiorissâ generali, quomodo in his et mille aliis similibus poterit adesse unitas regiminis? quomodo stare poterit ipsamet Congregatio? Ergo rationabilis non est consuetudo quâ, sub ratione regiminis œconomici, ab unoquoque respectivo Ordinario pendeant moniales Superiorissæ generali subditæ, sed à Superiorissâ generali duntaxat pendere debent, et ad summum ab Episcopo cui subdit monasterium à quo cæteræ dependent, si consuetudo vigeat quòd, ratione regiminis (non verò ratione juris-

dictionis quæ necessariò intra limites diœcesanos restringitur), à tali Episcopo in gravibus administrationis actibus sic directivè dependeant.

2977. Unde contra hierarchica principia peccare videtur assertio *Prælect. S. Sulpitii*, n° 452, ubi dicitur : « Si Con-
» gregatio habeat domus in pluribus diœcesibus, et Epis-
» copus loci, ubi sita est domus principalis, sit Superior
» generalis totius Ordinis, ad eum recurrere debent in quâ-
» cumque diœcesi actu versentur, qui dispensationem
» postulant. » Cùm enim potestas dispensandi ad jurisdictionem pertineat, sustineri non potest quòd Episcopus valeat talem potestatem extra suam diœcesim exercere, nisi speciale quoad hoc à Sede Apostolicâ obtinuerit Indultum.

2978. Rectiùs loquitur Pater Gautrelet, *Traité de l'état relig.*, tom. 2, p. 20, edit. 1846, ubi sic habet : « Quant
» à l'Évêque reconnu comme le premier Supérieur de la
» Congrégation, s'il y en a un qui jouisse de cette autorité,
» ses pouvoirs dépendent, quant à leur étendue, des règles
» de la Congrégation qui les déterminent, et de *l'approba-*
» *tion du Saint-Siége qui les confirme*. Tous les membres
» de cette Congrégation lui sont soumis sous certains rap-
» ports (mais non les couvents établis dans d'autres dio-
» cèses, lesquels dépendent des Ordinaires), pour ce qui
» regarde la direction et le bon ordre; considéré comme
» le Fondateur, ou du moins le premier Supérieur de la
» congrégation, il pourrait faire, d'accord avec les Supé-
» rieurs même de l'Ordre, des changements accidentels et
» apporter quelques modifications aux règles. L'étendue
» de son autorité ne peut être bien déterminée... qu'en
» présence des circonstances particulières qui varient
» beaucoup. Ce qu'il y a de certain, c'est que chaque
» maison particulière reste sous la juridiction de l'Évêque
» diocésain... Ainsi l'a déclaré la Sacrée Congrégation
» des Cardinaux à l'occasion des religieuses du Bon Pasteur
» d'Angers, 18 mars 1835. »

2979. Observandùm est tamen circa hoc ultimum quòd, juxta *Analecta* (janv. 1861 col., 508), Sancta Sedes non ad-

mittat ut Episcopus loci in quo sita est domus principalis sit Superior generalis, aut possit ipse constituere Superiorem generalem pro diœcesibus extraneis : hoc deducitur ex litterâ S. Congr. 30 januarii 1861 : sic autem habetur in Instructione *ibidem* relatâ : « Cùm S. Sedes non soleat pro » Institutis quæ in variis diœcesibus diffusa sunt, conce- » dere et approbare ut aliquis Episcopus habeat munus » Superioris generalis, expungenda sunt in constitutio- » nibus quæ referuntur ad Episcopum N... uti Superiorem » Generalem et ad ejus Delegatum Generalem. »

2980. Cæterùm Sedes Apostolica, his modernioribus temporibus, res modo convenientiori unitati composuit, ut videre est apud Bouix) *De Regul.*, tom. 2, p. 392-394), quoad *Institutum Immaculatæ Conceptionis* quod subjectum fuit S. Congregationi *De Propagandâ* pro regimine Generali, et relictum sub potestate Ordinariorum pro regimine privato; et quoad Institutum Sororum à *Bono Pastore*, cujus principalis domus Andegavi sita est et in cujus constitutionibus approbatis sic legitur : « Cette Congrégation sera toujours sou- » mise à la protection, à la correction et au gouvernement » d'un des Cardinaux de la Sainte Église Romaine... ; il » aura droit de visite et présidence partout où il se trouvera » en personne, et jugera en dernier ressort de toutes les » difficultés ou causes concernant la Congrégation. »

2981. Veris autem principiis juris canonici apprimè consonat, in puncto præsenti, legislatio nostra ; sic enim legitur in Instructione Ministeriali pro lege 24 maii 1825, art. 8 : « La Supérieure Générale d'une Congrégation con- » serve une action immédiate sur tous les sujets qui en » dépendent. Elle a le droit de les placer et déplacer, de » les transférer d'un établissement dans un autre ; de sur- » veiller le régime intérieur de l'administration. Mais *cha-* » *que établissement n'en demeure pas moins soumis dans les* » *choses spirituelles à l'Évêque diocésain.* Cette reconnais- » sance de l'autorité spirituelle des Ordinaires, doit tou- » jours être exprimée dans les Statuts. » Vide insuper P. Gautrelet, tom. 2, p. 138, etc.

§ II.

De regimine regularium ad intra.

2982. Dicemus 1° de potestate quâ voluntariè religiosi ad intra reguntur; 2° de Prælatorum regularium coercitivâ potestate; 3° quis possit regulares solvere à votis.

PUNCTUM I.

DE POTESTATE QUA REGULARES AD INTRA GUBERNANTUR.

2983. Quærit. 1° Cujus naturæ sit potestas quâ regulares ad intra gubernantur ?

Resp. Triplicis speciei esse posse hanc potestatem nempe voti solius, jurisdictionis propriè dictæ, vel duntaxat dominationis seu simplicis regiminis.

1° *Voti solius :* vi enim voti Superior potest religiosis suis imperare independenter à potestate jurisdictionis aut dominationis; sic etiam confessarius, qui certè nullam ex se habet potestatem dominationis in pœnitentes, posset tamen imperare ei qui votum emisisset suo obediendi confessario; hæc autem obligatio obediendi nititur tantùm virtute Religionis, dum aliæ duæ subsequentes oriuntur ex justitiâ.

2° *Jurisdictionis propriè dictæ :* nomine *jurisdictionis*, inquit Suarez (*De Relig.*, tom. 3, lib. 2, cap 18, n° 5), hìc intelligitur *potestas spiritualis ad claves Ecclesiæ pertinens, et consequenter à Christo data, mediante Vicario suo, vel aliis Episcopis.*

2984. — 3° « Per potestatem.... *dominativam*, ait idem
» (*ib.*), intelligi oportet jus acquisitum Religioni et Præ-
» latis ejus, ad imperandum religiosis et utendum operibus
» eorum, prout conveniens judicaverint... Hæc potestas
» orta est radicaliter à voluntate profitentium talem regu-
» lam et se donantium Religioni cum promissione et obli-
» gatione obediendi secundùm illam... Quamvis impropriè
» vocari possit jurisdictio..., abusus vocis cavendus est,
» tum quia inducit ambiguitatem..., tum quia, neque in
» jure canonico nec in civili, dicitur jurisdictio nisi po-

» testas publica et politica, quæ à Principe vel Republicâ » manavit. »

2985. Hæc etiam tertia potestas Prælatis Religionis competit, quia in omni societate potestas est necessaria ad illius regimen. Sufficit quidem hæc potestas dominativa, nec requiritur in Superioribus religiosis potestas jurisdictionis, uti constat ex monasteriis monialium in quibus Abbatissa non habet potestatem clavium, et nihilominus illi ut matri subjiciuntur moniales, tenenturque illi obedire secundùm regulam quam sunt professæ.

2986. Regulares tamen, sive viri sive feminæ, jurisdictioni alicujus semper subjiciuntur, cùm Ecclesiæ sint necessariò subjecti : subduntur autem jurisdictioni, vel immediatè S. Pontificis aut Prælati regularis cui talis jurisdictio ab Ecclesiâ datur si sint exempti, vel Episcopi si non sint exempti, quales exstant moniales apud nos; omnes autem sive viri sive mulieres ubique subjiciuntur saltem mediatè jurisdictioni S. Pontificis, qui illam exercet per se aut per alium.

2987. Suppositâ exemptione, necessaria est jurisdictio Superioribus Ordinum virorum : etenim in dictâ hypothesi, hujusmodi Ordines soli S. Pontifici immediatè subjiciuntur; porrò per solum Pontificem gubernari non possunt, nec convenienter per suos delegatos, cùm in omni Congregatione necessarii sint pastores ordinarii, *quibus ejus cura ex officio incumbat*, inquit Suarez; ergo *si illi pastores non sint Episcopi*, necessarium est ut sint Prælati proprii uniuscujusque Religionis.

2988. Illi autem Prælati in religionibus exemptis sunt *Prælati in vero et proprio sensu* : quia habent jurisdictionem propriè dictam et quasi episcopalem, non solùm pro foro pœnitentiali, sed etiam pro foro externo et contentioso. Tales sunt Præpositi Generales, Provinciales et locales, Abbates nempe, Priores, Guardiani, etc. : illis autem jurisdictio competit jure positivo, non autem divino.

2989. Sinè justâ causâ, Prælatus major non potest licitè restringere jurisdictionem ordinariam inferioris Prælati, nec licitè eum amovere; sed potest validè.

2990. Illi Prælati, vel sunt *infulati*, id est usum mitræ et baculi cæterorumque pontificalium insignium habentes; vel *non infulati*, utpote tali privilegio carentes; sunt etiam vel perpetui vel temporanei, quod ex se satis intelligitur. Vide Suarez, apud D. Bouix, *De Regularibus*, tom. 2, p. 402-411.

2991. Regulariter loquendo, in Congregationibus virorum, in quibus non emittuntur vota solemnia, Superiores non sunt Prælati, seu non habent potestatem jurisdictionalem, sed tantùm dominativam; Episcopis autem subjici solent hujusmodi Congregationes. Bouix, *ibid.;* et *Analecta* 40e livr., col. 147.

2992. *Nota* insuper quòd erectio et circumscriptio provinciarum pro Ordinibus religiosis est quæstio ad Sedem Apostolicam reservata, ex Brevi Innocentii XI *Injuncti nobis,* ubi dicitur : « Cùm hujusmodi provinciarum divisiones » absque speciali nostro et hujus Sanctæ Sedis Indulto fieri » nequeant. » Vide *Analecta* (*ib.*, col. 169), ubi alia congeruntur monumenta in hujus assertionis probationem. Et hoc est etiam intelligendum de Congregationibus in quibus emittuntur tantùm vota simplicia (*ibid.*). Vide supra (2539, *nota adhuc*).

2993. Quærit. 2° Quænam sint observanda in virorum Ordinibus ut Prælati legitimè constituantur ?

Resp. 1° Hujusmodi Prælatos institui posse, nec per hæreditariam successionem, nec per Prælati decedentis nominationem (nominari tamen posset à Prælato vicarius qui congregationem esset recturus donec Prælatus successor legitimè institutus fuerit : quæ facultas in Societate Jesu tribuitur Generali); sed posse Prælatos institui legitimè per nominationem S. Pontificis, vel per electionem canonicè factam.

2994.—2° Ut quis validè Prælatus eligatur, 1° jure communi requiritur et sufficit quòd sit ætatis 25 annorum; 2° ut professionem emiserit, et quidem validè, juxta probabiliorem sententiam; 3° ut professio sit expressa et non tacita duntaxat, et in eàdem religione; 4° si facta fuerit professio, Prælaturà vacante, et subitò eligatur, electio non

est ipso facto irrita, juxta probabiliorem sententiam; nec necessariò est irritanda, non obstante cap. *Officii*, *de electione*: quia hodiè per talem professionem quis subitò ex sæculari non evadit Prælatus, cùm novitiatus præcedere debeat professionem; 5° ut sit clericus, cùm debeat habere jurisdictionem ecclesiasticam; 6° non requiritur ut sit sacerdos, sed tenetur mox presbyteratum suscipere, ut valeat curæ animarum incumbere; 7° non potest eligi qui ob irregularitatem inhabilis est ad Dignitates et Prælaturas, nisi esset tantùm inhabilis ad Episcopatum et non ad presbyteratum et Prælaturas. (*De Regul.*, tom. 2, p. 412.)

2995.— 3° Prælati electio ad ipsius Congregationem pertinet: eligentes autem 1° legitimè, seu ab eo ad quem spectat, convocari debent; 2° debent esse professi religionis cui de Prælato sic providetur; 3° requiritur ut sint saltem subdiaconi, nisi agatur de Religione merè laicorum; 4° ut nullâ censurâ aut aliâ sententiâ sint inhabiles ad eligendum.

2996.— 4° Quoad formam servandam in electione, diximus supra (389, etc.). Sufficiat hìc addere: 1° casu quo nulli vel ferè nulli electores, quamvis vocati, adessent, electio tunc, si religiosi sint exempti, ad primum Superiorem totius Religionis nempe ad S. Pontificem devolvitur: electores enim votum præstare nequeunt remanentes unusquisque in suo conventu, sed præsentes esse debent in communi Congregatione ubi electio est peragenda; 2° irrita esset electio si quis ex electoribus præsentibus ad suffragium præstandum non admitteretur: si verò non vocaretur aliquis elector vocandus, irritari quidem posset electio ad ipsius petitionem, sed non ipso facto esset irrita; 3° ad valorem electionis requiritur ut suffragia mox *in communi* publicentur: quod fieri debet dicendo coram totâ Congregatione quot personæ suffragium tulerint, non autem in quorum favorem suffragia data fuerint, nempe tot suffragia pro tali personâ, tot pro aliâ; conferre autem debent scrutatores inter se de numero suffragiorum, et hoc ad substantiam electionis pertinet. Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 413-416; 4° cùm suffragia debeant esse secreta

sub pœnâ nullitatis, locum non habet electio *per compromissum* vel *per inspirationem*.

2997. — 5° Jure communi electio Superioris generalis à S. Sede confirmari debet : sunt tamen plures exceptiones. (*Analecta*, 40 livr., col. 209, etc.)

Juxta Decretum S. Congr. Regul., 1 oct. 1834, Abbates Trappistæ à monachis electi, confirmandi sunt à Superiore generali Ordinis Cisterciensis. Vide Lequeux, n° 641.

Multis in locis, ex Indultis pontificiis aut Concordatis, Abbatiæ subsunt regiæ nominationi.

Ex regulâ autem secundâ Cancellariæ, monasteria quæ redditus annuos 200 ducatorum auri de Camerâ superant, Pontificiæ collationi reservantur.

2998. Ex Statutis plurium Ordinum, Prælati inferiores à Superioribus instituuntur, et isti à Congregationibus generalibus Ordinis; quando de hujusmodi electionibus constitutiones silent, forma servanda in electione Prælatorum inferiorum est eadem ac ea quæ observari debet in electione Superiorum generalium. Vide Bouix, *De Regular.*, p. 416 et 417 ; *Instit.*, R. de M., tom. 1, p. 509.

2999. In Congregationibus Episcopis subjectis, Superiores solent ab ipsis confirmari. (R. de M., *ib.*)

3000. Prælatus regularis nondum confirmatus, nequit *per se aut per alium, in toto vel in parte, quovis quæsito colore* (*regimini monasterii*), *tum in spiritualibus tum in temporalibus, sese immiscere, vel se recipi facere, vel aliàs se pro Prælato gerere, antequam electio ritè celebrata, à Romano Pontifice.... confirmata fuerit et litteræ Apostolicæ desuper expeditæ fuerint.* Pius IV, Constit. *Sanctissimus ;* vide *Instit.*, R. de M., *ibid.*

3001. Quoad benedictionem, quando est Prælato conferenda, consulendum est *Pontificale*. Fieri debet hæc benedictio illis diebus quibus conferri possunt ordines minores, et ab Episcopo quidem, non verò ab aliis Abbatibus etiam benedictis (S. Rit. Congr., 10 decembris 1631). Vide Ferraris, v° *Benedicere*, art. 3, n° 2. Supponit tamen R. de M. (*ib.*, p. 510) fieri posse aliquando ab Abbate Generali.

3002. Abbatis benedictio ad Episcopum diœcesanum

jure communi pertinet (cap. 1, *de accus.*); in multis tamen Ordinibus, vi specialium Indultorum, à quocumque Antistite benedici possunt. Benedictio autem fieri debet intra missarum solemnia, die dominico aut saltem festivo, assistentibus duobus Abbatibus. Vide *Instit.*, R. de M., tom. 1, p. 510.

3003. Quærit. 3° Quomodo amittatur Prælatura regularis?

Resp. Amitti : 1° per renuntiationem acceptatam ab eo qui Prælatum potest instituere : Prælatus renuntians primum locum obtinet post Successorem et usum pontificalium servat cum ejusdem consensu;

2° Lapsu temporis, quando est temporalis ;

3° Morte naturali;

3004. — 4° Depositione : cujus causas sic recenset Clemens IV, anno 1264, pro Cisterciensibus : « Hæresim, si-
» moniam, manifestam immunditiam carnalem, furtum,
» homicidium, grave sacrilegium, solemne perjurium,
» conspirationem, falsificationem Litterarum Apostolica-
» rum. » Præter has causas sunt et aliæ plures à variorum Ordinum constitutionibus determinatæ.

3005. Depositio Prælati regularis ad Papam spectat, si Ordo sit exemptus; si verò non sit exemptus consulendæ sunt Ordinis Constitutiones. Aliquando etiam potest deponi ab Episcopo. Vide *Inst.*, R. de M. (tom. 1, p. 515-516).

3006. Quærit. 4° Quid observandum sit in Superiorissarum et Abbatissarum monialium electione?

Resp. 1° Hàc de re, sic disponere Concil. Trident (sess. 25, cap. 7, *De Regular.*) : « Abbatissa et Priorissa, et
» quocumque alio nomine Præfecta vel Præposita appel-
» letur, eligatur non minor annis quadraginta, et quæ
» octo annis post expressam professionem laudabiliter vixe-
» rit. Quòd si his qualitatibus non reperiatur in eodem
» monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit. Si hoc
» etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, vi-
» deatur; ex iis quæ in eodem monasterio annum trigesi-
» mum excesserint, et quinque saltem annis post profes-
» sionem rectè vixerint, Episcopo vel alio Superiore

» consentiente, eligatur. Duobus verò monasteriis nulla » præficiatur... Is verò qui electioni præest Episcopus » sive alius Superior, claustra monasterii non ingrediatur: » sed ante cancellorum fenestellam vota singularum au- » diat, vel accipiat. In reliquis serventur singulorum Or- » dinum vel monasteriorum constitutiones. »

3007. Juxta plures, apud Bouix (*ibid.*, p. 419, etc.), *completi* esse debent quadraginta anni de quibus loquitur Concilium Trident. Disputatur autem an ætas hic præscripta requiratur ad electionis validitatem : in sensu affirmativo pronuntiavit S. Congr. Conc., 16 maii 1623. Vide Instruct. relatam in *Analectis*, janvier 1861, col. 508.

3008. Jure communi electio Superiorissæ ad moniales pertinet : ut autem moniales jus suffragii in hâc electione habeant, debent esse : 1° professæ ; 2° explevisse duodecimum saltem annum, supposito quòd per dispensationem ante ætatem præscriptum, professionem emiserint ; 3° non debent esse excommunicatæ, interdictæ, aut voce activâ privatæ ; 4° jure communi Conversæ quæ solemnia vota emittunt, vocem habent : sed jure particulari solent excludi à talis juris exercitio ; 5° si infirma nollet renuntiare suo juri, posset Præses duas prudentes moniales mittere ad eam, ut exquirerent ipsius vocem ; posset etiam ipsa infirma mittere suum votum scriptum et sigillo munitum : vota tamen debent esse secreta, prout diximus de electione Superiorum regularium virorum (2996) : unde nec per *compromissum* nec per *quasi-inspirationem* electio fieri potest ; 6° nec Episcopus debet in electione Superiorissarum dare suffragium, etsi paria essent suffragia : posset tantùm Episcopus, aut alius Superior, casu quo moniales non possent concordare, post præfixum illis tempus determinatum, ipse nominare eam quam judicaret magis idoneam et in Abbatissam deputare, ut S. Congr. decrevit 22 oct. 1592, 20 nov. 1595. Vide Ferraris (v° *Abbatissa*, n[is] 29 et 30).

3009. Dotes requisitæ in Superiorissâ eligendâ indicantur à Concilio Trident. supra relato : quædam aliæ indicantur à Ferrario (*ib.*, n° 8). Non potest eligi validè illegitima, sinè pontificiâ dispensatione : ita S. Congr. Concil.

27 apr. 1630; neque corrupta, neque publicè pœnitentiata, neque vidua (S. Congr. Episc. et Regul., 29 jan. 1585 et 15 julii 1616); neque cæca, neque surda, neque tertia Soror, viventibus aliis duabus. Vide alias conditiones requisitas pro Italiâ et Insulis adjacentibus, apud eumdem Ferraris (*ibid.*).

3010. Ex Constit. *Exposcit debitum* Gregorii XIII, electio Superiorissæ fieri debet ad triennium tantùm; nec expleto triennio potest reeligi : sed hoc est tantùm pro Italiâ et Insulis adjacentibus. Vide Bouix (*ib.*, p. 421), ubi citatur n° 9 *Novarum additionum* Ferraris, v° *Abbatissæ*. Ad hæc non attendit D. Icard in *Prælect. S. Sulpitii*, n° 456. — Juxta P. Gautrelet (*ib.*, tom. 2, p. 256), dispositio Gregorii XIII non attingit Superiorissas monialium quæ non sunt strictè dictæ; sed ad has extendit S. C. Ep. (V. *Anal.*, 61 Livr.)

3011. Ad Episcopum pertinet præesse electioni Superiorissæ : et quidem jure ordinario, si monasterium sit ipsi subjectum; si autem sit Sedi Apostolicæ immediatè subjectum, ipsi præsidet Episcopus tanquam ab eàdem Sede delegatus; si verò sit Prælato regulari subjectum, potest etiam Episcopus, si velit, interesse et præsidere, sed solummodo *directivè* et non jurisdictionaliter : hinc tunc nequit suffragia recipere, sed tantùm ea audire et cognoscere; recipere autem ea ad regularem Prælatum spectat, sciente tamen et audiente Episcopo. Unde Episcopus debet certiorari de die et horâ quibus celebranda est electio; et etiam per delegatum potest interesse; non est tamen expectandus ultra horam designatam; nec potest Episcopus ante actum electionis, personaliter audire moniales et interrogare in materiâ ad electionem spectante, uti S. Congreg. rescripsit Episcopo Anconitano, 4 oct. 1678. Vide alia apud D. Bouix (*ibid.*, p. 421-422); et apud Ferraris (v° *Abbatissa*, n° 33, etc.).

3012. Si, factâ publicatione electæ in Abbatissam, moniales statim opponant se illam, quæ fuit publicata, non elegisse sed aliam, plures, apud Ferraris (*ib.*, n° 40), dicunt S. Congregationem declarasse in tali casu, moniales omnes iterum audiri debere per personam non suspectam : ut sic de veritate constet, et electio censeatur canonica.

3013. Electa Superiorissa confirmari debet, vel à Prælato regulari, si huic monasterium subjaceat; vel ab Episcopo, si non sit exemptum : si verò sit immediatè Sedi Apostolicæ subjectum, à S. Pontifice confirmatio est petenda. (Bouix, *ibid.*, p. 424.)

3014. Quandiù sit duratura superioritas, sive apud moniales sive apud regulares viros, nihil à jure communi determinatur : proinde hoc pendet ex specialibus uniuscujusque Religionis constitutionibus.

3015. Quærit. 5° An et quatenus Superiores religiosi valeant in conscientiâ suos subditos obligare?

Resp. 1° Certum est Superiores posse, vi solius potestatis dominativæ, subditos suos obligare, etiam sub gravi si materia sit sufficiens; hæc obligatio oritur non solùm ex voto, sed etiam ex traditione suî quam faciunt religiosi profitendo; eâdemque potestate gaudent Superiorissæ in conventibus monialium. Vide supra (2801-2803).

Non minus certum est Prælatos jurisdictionem ecclesiasticam habentes, posse etiam ex hoc titulo sub gravi obligare.

3016. In casu tantùm necessitatis, Prælati solent uti erga subditos potestate jurisdictionis : ordinariè non imperant nisi virtute solius potestatis *dominativæ ;* hâcque potestate utuntur etiam dum irritant vota aut alias subditorum promissiones ; sed utuntur jurisdictione quando dispensant, vel quando potestatem coactivam exercent.

3017. Asserit P. Gautrelet (*ib.*, tom. 2, p. 30) ad officiarios minores communitatum non pertinere imperare *vi obedientiæ voti,* sed hoc spectare duntaxat ad Abbates, Priores, Guardianos et alios præcipuam auctoritatem in monasteriis habentes : « Le vœu d'obéissance, inquit, ne » s'adresse donc pas à ces supérieurs subalternes. Cependant on peut être quelquefois obligé de leur obéir sous » peine de péché, dans les limites de leurs charges, parce » qu'ils participent à la puissance de domination que » donne au Supérieur, indépendamment même du vœu, » la condition de société et la nature de famille propres » aux maisons religieuses. » — Et (p. 34) hæc idem addit :

« Le pouvoir de commander en vertu de la sainte obéis-
» sance n'appartient qu'aux Supérieurs en titre : ils sont
» les seuls qu'on reconnaisse, en faisant des vœux dans ces
» ordres, pour les interprètes de la volonté divine; tandis
» que le pouvoir de domination appartient à tous ceux
» qui ont quelque autorité dans la maison, et même aux
» officiers subordonnés, selon la mesure de leur autorité
» néanmoins, et dans les offices qui leur sont propres et
» non autrement. Pellizar., tr. 4, 151 et 160. »

3018. Attamen juxta Busemb., ap. S. Liguor. (*ib.* 4), « si regula sub peccato obligat, ejus transgressio est contra votum et sacrilega. » Imò, non obstante auctoritate Pellizarii et P. Gautrelet modò relati, non video cur non idem sit dicendum, non tantùm quando superiores præcipuam auctoritatem habentes imperant in ***virtute sanctæ obedientiæ***, sed etiam quando ipsi et alii auctoritatem inferiorem habentes, intendunt obligare in conscientiâ sub peccato, etiamsi vi solius potestatis dominativæ sic velint obligare. V. 2801 et opus : *Des communautés à vœux simples*, nos 89, etc.

3019. — 2° Superior non habet potestatem præcipiendi *contra regulam*, nisi habeat potestatem in eâ dispensandi, et rationem sufficientem ad talem dispensationem concedendam : tenetur tamen inferior obedire, quando ipsi non constat de dispensatione concessâ sinè causâ.

3020.—3° Imò *supra regulam* non potest præcipere, ita ut non obligent ea quæ jubet, si nec explicitè nec implicitè seu reductivè, sub regulâ comprehendantur. Id constat ex S. Bernardo qui, libro *de præcepto et dispensatione*, cap. 7, ait: « Is qui profitetur, spondet quidem obedientiam : non » autem omnimodam, sed determinatam secundùm regu» lam. » Et ratio est quia in professione Religionis non vovetur obedientia *absolutè et illimitatè*, ut ait Suarez, sed *secundùm regulam*. Ergo materia hujus voti non ultra extendi debet : communis est hæc doctrina.— Si autem in regulâ diceretur obligationem obedientiæ sese extendere ad omnia quæ non sunt inhonesta (uti de regulâ S. Francisci asserit S. Bonaventura), inhonesta sola essent excipienda.

3021. Frustra objiceretur Superiores posse præcipere ultra regulam saltem ratione jurisdictionis ecclesiasticæ: nam respondet Suarez : « Materiam hujus jurisdictionis non » posse extendi ultra materiam accommodatam statui » assumpto Religionis et obedientiæ promissæ, quia supponit hanc tanquam conditionem necessariam. » (*De Relig.*, tom. 4, lib. 2, cap. 3, n° 13.)

3022. In pœnam tamen delicti commissi aut ad præcavendam recidivam, potest Superior aliquam austeritatem in regulâ non comprehensam imponere, uti communiter DD. tenent; sed hoc reductivè sub regulâ comprehenditur. Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 429-433.

3023. Si causa gravis postulet, Superior potest subditos obligare etiam cum periculo vitæ; v. g., si frater ægrotet morbo contagioso, Prælatus præcipere potest alteri, ut ei ministret etiam cum periculo vitæ; item potest præcipere religioso ut maneat in monasterio aeris intemperie laborante, modò non ex odio aut passione hoc jubeat.

3024. Requiritur tamen ut res sic præcepta, sub regulâ saltem reductivè comprehendatur : nam superior non potest quid ab Instituto alienum præcipere : v. g. Superior Carthusianus non potest jubere suo subdito ut transfretet cum periculo vitæ, etiam ad prædicandum infidelibus: quia hoc est alienum ab Instituto S. Brunonis.

3025. — 4° Si monasterium non sit exemptum, et contraria præcipiant Superior et Episcopus, religiosus, *ordinariè loquendo*, tenetur Superiori obedire in iis quæ spectant ad regulam : in iis verò quæ spectant ad disciplinam ecclesiasticam, Episcopo obedire debet.

Diximus *ordinariè loquendo:* quia etiam in iis quæ spectant regulam teneretur religiosus Episcopo obedire, si iste in regulâ posset dispensare et rationabilem causam haberet. Decisum à S. Congr. refert Ferraris (v° *Votum*, art. 2, n° 33).

Superioribus contraria præcipientibus, religiosus obedire tenetur ei qui majorem auctoritatem habet, v. g. Provinciali potiusquam Superiori locali, etc. (Vide Bouix, *ib.*, p. 435.)

3026. — 5° Papa potest eximere religiosum ab obedientià ipsius superiorum et sibi reservare potestatem eum regendi. Idem potest Generalis relativè ad Prælatum inferiorem.

Vi tamen obedientiæ obligari nequit regularis, etiam à Papâ, ad transeundum ad statum sæcularem, nec ad amplectendam alteram Religionem licet perfectiorem. Sed potest Papa, vi suæ potestatis jurisdictionalis duntaxat, non dominativæ, obligare religiosum ad acceptandum Episcopatum (Bouix, *ibid.*): sed vide dicta supra (526).

3027.— 6° Non tenetur religiosus obedire Superiori suo præcipienti ut acceptet beneficium sæculare, sed tantùm beneficium regulare (*ib.*).

Omittimus plura quæ ad theologos pertinent et solent explanari in tractatu *De Legibus*. Vide S. Liguor., lib. 4, n° 47, etc.

3028. Quærit. 6° An Superiores regulares valeant condere statuta vim et rationem legis habentia ?

Resp. Jure communi Superiores regulares, etiàm Generales, hujusmodi statuta soli condere non valent, sed ad hoc indigent consensu Capituli generalis totius Ordinis.

Forsan objicietur : Episcopus potest condere similia statuta ; Prælati autem, præsertim Provinciales et Generales habent episcopalem jurisdictionem : ergo possunt statuta perpetua condere.

Respondetur cum Suarez (tom. 4, tract. 8, lib. 2, c. 8, n° 4) : « Negando consequentiam ; ideoque non *episcopalem* » *sed quasi-episcopalem* jurisdictionem habere dicuntur. » Tale jus ad supremum Religionis tribunal reservatur : porrò tribunal supremum in Religione est Capitulum generale.

3029. A Capitulo autem generali condi possunt statuta nova quoad omnes obligatoria, modò sint regulæ consona, et sub eâ reductivè saltem comprehendantur : potestas enim talia condendi decreta necessaria est in Religione, cùm omnia ab initio prævideri nequeant : undè hujusmodi ordinationibus religiosi in suâ professione consensisse meritò præsumuntur.

3030. Imò si Capitulum generale conderet nova statuta, quæ ita forent supra regulam ut ne indirectè quidem et

reductivè sub eâ comprehenderentur, statuta hæc certè non obligarent religiosos antea professos : cùm Capitulum non habeat auctoritatem religiosos obligandi nisi juxta mensuram votorum ; sed hæc statuta poterunt obligare eos qui in posterum sunt professionem emissuri : per hoc enim nemini fit injuria, cùm spontè his novis statutis, recentes professi se subjiciunt, et cæteri ab eis liberi remanent.

3031. Res aliter se haberet si talia statuta à S. Pontifice conderentur : *Quamvis enim*, *absolutè loquendo*, ait Suarez (*De Relig.*, tom. 3, lib., 10, cap. 8, nº 11), *S. Pontifex non possit omnibus christianis præcipere ea quæ ex se sunt opera surerogationis et consilii, tamen*, *supposito statu alicujus religionis..*, *poterit interdum* aliquam observantiam, quæ non est in ejus institutione, *statuere*, *si judicet vel ad universalis Ecclesiæ bonum*, *vel ad majorem decentiam talis religionis expedire :* et illud valet, non ex potestate dominationis quæ ipsi inest quoad omnes religiosos, sed ex potestate jurisdictionis supremæ quam pro bono Ecclesiæ habet erga omnes fideles. Vide Bouix, *De Regular.* (tom. 1, p. 439-444).

3032. Quærit. 7° An religiosi mitigati obligari possint ad reformationem observandam ?

Resp. Duplici modo mitigationem regulæ contingere posse : legitimè aut illegitimè : legitimè quidem si fiat auctoritate Papæ per derogationem, abrogationem, dispensationem, vel decreto ipsiusmet Religionis, quando ex constitutionibus Instituto competit talis auctoritas, vel per consuetudinem legitimè præscriptam ; illegitimè autem fit, si consuetudo non habeat conditiones requisitas, v. g., si non sit præscripta, vel si sit in materiâ in quâ non datur præscriptio, qualis est materia ipsa votorum : obligatio enim votorum est juris divini, contra quod non datur præscriptio, etc. Nulla potest esse difficultas pro istâ secundâ hypothesi, in quâ manifestè reliogiosi tenentur regulam observare secundùm primitivam suam ordinationem ; quoad verò primam : « Auctores variè in hoc sentiunt, ait Suarez » (*De Relig.*, tom. 3, lib. 10, cap. 8, nº 15) ; quidam » asserunt, etiam non factâ universali reformatione, obli-

» gari posse aliquem ex vi voti ut servet regulam, etiamsi...
» ab aliis non servetur...; Alii tenent ante reformationem
» non posse aliquem cogi ad servandam regulam, quoad
» illam partem in quâ illam relaxatam invenit; posse tamen
» ab ipsâmet Religione ad priorem formam restitui; et
» tunc... posse obligari quemlibet... antea... professum ad
» primitivæ regulæ observationem : prior pars hujus sen-
» tentiæ *communis*... Tertia verò sententia esse potest sim-
» pliciter negans posse religiosum obligari ad observationem
» de reformatione primitivæ regulæ acceptandam, quando
» invenit eam relaxatam per consuetudinem præscriptam,
» quia non potest obligari ad illud servandum quod pro-
» fessus non est. »

3033. His in antecessum præmissis, sic nobis videtur solvenda proposita quæstio : vel reformatio fit per Capitulum generale (jus enim illud habet, etiam in casu quo mitigatio peracta fuit auctoritate S. Sedis : quippe ei licet beneficio Ordini concesso renuntiare); vel per S. Pontificem; item vel mitigatio introducta fuerat per S. Sedem, vel per legitimam consuetudinem.

Porrò si mitigatio inducta fuerit per dispensationem S. Sedis et reformatio fiat à Capitulo Generali, is qui ante reformationem professus est, ad eam servandam non tenetur, nisi reformatio talis sit ut indirectè sub regulâ mitigatâ comprehendatur; secus si mitigatio inducta fuisset per consuetudinem : tunc enim *regulariter loquendo* qui ante reformationem professus est, nisi contrarium, profitendo, expressè declarasset, obligari potest ad reformationem observandam, quia in suâ professione censetur voluisse se obligare ad observanda statuta Capituli generalis quibus meliùs procurari poterit finis à Religione intentus : qui sanè meliùs procurari potest per reditum ad primitivam regulam; hoc verum est præsertim si reformatio appareat medium necessarium ad Ordinis conservationem, nempe si paucissimi ad perfectionem religiosam pervenire studeant, vel si cum *scandalo* sæcularium vivant, ita ut expediret potiùs Religionem dissolvi quàm ita continuari (S. Liguor., lib. 4, n° 44). Excipiendus esse tamen videtur casus quo per con-

suetudinem immutata omninò fuisset Religio, et à primitivâ facta fuisset diversa; et ideo diximus *regulariter loquendo*.

3034. Si verò reformatio fiat auctoritate pontificiâ, ad eam observandam obligari possunt etiam religiosi antea professi, sive per dispensationem apostolicam sive per consuetudinem mitigatio inducta fuisset : habet enim S. Pontifex pro bono Ecclesiæ sufficientem ad hoc auctoritatem, ut diximus in præcedenti responsione, non quidem ratione potestatis dominativæ, sed saltem vi suæ jurisdictionis : ratione enim potestatis dominativæ, seu quatenus primus Superior, tantam duntaxat potestatem habet Papa quantam possidet Superior Generalis cum Capitulo totius Ordinis.

3035. Nec objiciatur haud posse, etiam à Pontifice, ea imponi quæ sunt tantùm de consilio : nam supposito Statu religioso liberè assumpto, potest S. Pontifex ea omnia religiosis imponere quæ ad ipsius religionis bonum et utilitatem magis conducere valent : alioquin deficeret in aliquo ipsius plena et perfecta potestas Ecclesiam gubernandi et ipsius bonum promovendi.

3036. Cæterùm, *regulariter loquendo*, ante factam à legitimâ auctoritate reformationem, Superior nequit obligare suum subditum ad servandam primitivam regulam : quia Religionem juxta eam non est professus; excipiendi sunt tamen duo casus : 1° si in pœnam delicti observationem primitivæ regulæ Superior præciperet; 2° si *reductivè* sub regulâ, qualiter eam professus est, comprehendatur res à Superiore præcepta, quod evenire quidem potest, sed non semper : prout, v. g. si tria jejunia ad duo per singulas hebdomadas reducta fuissent, tertium jejunium nihil confert nec consonum est regulæ mitigatæ : proinde sub eâ nec indirectè, nec reductivè comprehenditur. Vide Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 444-452.

3037. Quærit. 8° Quænam sit Superiorissæ monialium potestas?

Resp. 1° Etsi mulieres, juxta communem sententiam, non sint jure divino incapaces jurisdictionis ecclesiasticæ,

cùm nihil in sacris litteris aut traditione aut naturâ sexûs feminei inveniatur quo sint necessariò excludendæ ab hujusmodi potestatis exercitio : tamen juxta constantem et universalem Ecclesiæ praxim, certum est jure ecclesiastico ipsis non posse committi hanc jurisdictionem. Ita sententia ferè communis cum S. Thomâ, qui ait : « feminam » non habere clavem ordinis aut *jurisdictionis.* »

3038. Super hâc juris communis dispositione Episcopi quidem non valent dispensare, sed hoc valet S. Pontifex; et id probare videtur caput *Dilecta, de major. et obed.*, in quo sic habetur : « Dilecta filia in Christo Abbatissa de » Babrigensi, transmissâ nobis petitione, monstravit quòd, » cùm ipsa plerumque Canonicas suas et clericos suæ juris» dictioni subjectos, propter inobedientias et culpas, » eorum officio beneficioque suspendat, iidem confisi ex » eo quòd Abbatissa excommunicare eos non potest, » suspensionem hujusmodi non observant... Quocirca man» damus quatenus dictas Canonicas et clericos, ut Abba» tissæ præfatæ obedientiam et reverentiam debitam im» pendentes, ejus salubria monita et mandata observent, » ecclesiasticâ censurâ compellas. » Similia concessa fuère Abbatissæ Fontis Ebraldi in Galliâ. Vide *Prælect. S. Sulp.*, n° 457.

3039. Controvertitur tamen inter Canonistas an in præfato casu et aliis quibusdam similibus, concessa fuerit vera jurisdictio : plures cum Suarezio dicunt his Abbatissis concessum fuisse tantùm privilegium ponendi actum qui esset veluti conditio ad cujus præsentiam Papa jurisdictionaliter ageret. Vide Bouix, *De Regular.* (tom. 2, p. 452-455).

3040. — 2° Quoad potestatem dominativam, quidam negant Superiorissis monialium eam ita competere ut valeant in conscientiâ subditas obligare; sed sententia quam *probabiliorem* vocat S. Liguor. (lib. 4, n° 52), Ferraris, *communiorem* (v° *Abbatissa*, n° 61), et D. Bouix omninò *certam et tenendam* (*ibid.*, p. 458), dicit eas posse præcepta imponere, quæ in conscientiâ etiam *sub gravi* obligent. « Sicut mater naturalis, inquit Suarez apud Bouix, *ibid.*, » p. 457), potest præcipere filiabus in his quæ pertinent ad

» suum velut dominium naturale; ita hæc mater spiritualis » potest præcipere, in his quæ ad suam administrationem » pertinent. Hæc autem potestas ex voto oritur, nec re- » pugnat separari à potestate jurisdictionis... Est autem » hujusmodi potestas in feminis semper magis limitata » quàm in viris...; et ideo ad definiendum quanta sit hæc » potestas in singulis Abbatissis, specialia statuta et pro- » priæ constitutiones... consulendæ sunt. »

3041. Vi dictæ potestatis, Superiorissæ possunt vota subditarum irritare; sed in iis dispensare nequeunt, nec in legibus Ecclesiæ, prout in jejuniis, abstinentiis, divini officii recitatione, nec in observantiis regularibus: possunt tantùm declarare hìc et nunc monialem non teneri hâc aut illâ regulari observantiâ, quia ad dispensandum requiritur jurisdictio.— S. Liguor. tamen (lib. 4, nº 53) dicit eas *benè posse dispensare ex commissione Prælati*, ut notant Lezan., Tambur., cum Alex...: et hanc facultatem habere ex communicatione privilegiorum (*ibid.*, 61); ita etiam P. Gautrelet (*Traité de l'état relig.*, tom. 2, p. 203), loquendo de Abbatissis et Superiorissis monialium propriè dictarum; non autem ita sentit de Superiorissis Communitatum quales nunc in Galliâ exstant, nisi eis hæc potestas ab Episcopis fuerit concessa: sed diximus supra (3038) Episcopos in eo non posse dispensare; unde examinandum esset an adsit in hoc legitima consuetudo.

3042. Nequeunt pariter Abbatissæ publicè et solemniter benedicere: quia ad hoc necessaria est potestas clavium.

3043. Vi autem dictæ potestatis dominativæ, Superiorissæ, juxta Suarezium, possunt prohibere alicui moniali ne in certâ die communicet propter aliquam transgressionem, aut ne intersit orationibus in communi fieri solitis, et alia hujusmodi; sed non possunt subditas obligare ut frequentiùs vel minus frequenter sacram communionem accipiant: quia per confessarium hoc determinari debet, et non expediret quòd tale jus exercuerint Superiorissæ (Vide *Œuvres de Bossuet*, tom. 39, lettre 53, p. 674, Versail.): à nemine enim cogi debent moniales ad communicandum, etiam diebus per regulam assignatis, si meliùs æstimet confessa-

rius quòd se abstineant ; nec etiam Superiorissæ debent communionem permittere nisi eis quæ hanc licentiam habent à confessario. Juxta Decretum S. Congr. Conc. 14 apr. 1725, permittenda communio monialibus « de licen- » tiâ confessarii ordinarii, et non directorum, præviâ par- » ticipatione Prælati Ordinarii. » Vide *Analecta*, 50e livr., col. 1533.—S. C. Episcop. et Regul. mense maii 1843, declaravit « posse Superiorem (non Superiorissam) frequentiorem » SS. Sacramenti perceptionem iis monialibus permittere » quæ puritate mentis eniteant et fervore spiritûs ita inca- » luerint ut dignæ videantur..., requisitâ ab ipsis moniali- » bus confessarii licentiâ cujus judicio se conforment. » Apud *Analecta*, 50e livr., col. 1535. Et cf. app. IV.

3044. Item monialis prohiberi nequit ne confessarium adeat extra dies determinatos, nisi constaret id ab ipsâ postulari absque ullâ necessitate, ex meris scrupulis, aut aliâ causâ prorsùs insufficienti. Vide Bouix, *ib.*, p. 460-463.

3045. Quando autem rationem suæ conscientiæ Superiorissis suis reddunt, moniales non tenentur declarare peccata sua præsentia aut præterita ; sed tenentur tantùm declarare suo confessario. Ita decidit S. Congreg. Episc. et Regul., anno 1854. Vide *Analecta*, janv. 1859, col. 1325 et 1326. Et Cf. decretum in App. IV.

3046. Quærit. 9° Quænam sit potestas Superiorum regularium circa confessionem subditorum ?

Resp. De hoc diximus supra (1576-1580, 1644).

Nota insuper 1° quòd Superiores regulares possint suspendere suos subditos à confessione ex informatâ conscientiâ, propter delicta occulta. Vide *Analecta* (avril 1855. col. 1382).

2° Quòd juxta decretum Clementis VIII : « Non liceat » Superioribus regularium confessiones subditorum audire, » nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, » aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu, id ab eis » petierint. » Unde juxta eumdem Pontificem, duo vel tres confessarii in singulis monasteriis sunt à superioribus de-

signandi, ad quos accedere valeant omnes religiosi. Vide *Analecta*, 8e livr., avril 1855, col. 1382.

PUNCTUM II.

DE PRÆLATORUM REGULARIUM COERCITIVA SEU JUDICIARIA POTESTATE.

3047. Quærit. 1° An et quatenus Superiores regulares habeant potestatem coercitivam?

Resp. 1° Certum est Superioribus regularibus aliquam competere potestatem coercendi suos subditos : quia talis potestas, inquit Suarez, eis *est necessaria ut ordo, pax et institutio religiosa conservetur.* (*De Relig.*, tom. 4, tract. 8, lib. 2, c. 9, n° 1.)

3048. — 2° Quando Superiores religiosi non habent jurisdictionem, subditos jure communi coercere non possunt, nisi modo paterno et intra limites regulæ : quia tunc aliam non habent potestatem quàm dominativam, instar patrumfamiliâs, qui certè fruuntur aliquâ potestate filios coercendi : tales sunt ordinariè Superiores in Religionibus non exemptis et Superiorissæ monialium.

3049. — 3° Prælati Ordinum exemptorum *potestatem coercitivam episcopalem habent* : habent enim jurisdictionem ecclesiasticam; idque constat usu et privilegiis religiosorum exemptorum. Vide Bouix, *De Regular.* (tom. 2, p. 464-466).

Unde non solùm Generales hujusmodi Ordinum et Provinciales, sed etiam Prælati locales seu conventuales, nisi fortè, jure peculiari, hæc potestas eis sublata vel limitata fuerit, valent subditos suos coercere per quascumque censuras quæ justè possunt *personis* imponi ; non tamen possunt interdictum locale decernere, quia hæc pœna quodam modo redundaret in personas ipsis Prælatis non subjectas.

3050. Non possunt quidem Prælati regulares imponere irregularitates propriè dictas, sicut nec etiam possunt Episcopi ; sed Religio potest alias inhabilitates statuere, quando valor actûs à potestate dominationis ei inhærenti

pendet : v. g., potest aliquem inhabilem reddere ad Prælationem in religione exercendam, quia potest non consentire ipsius electioni, nisi positis certis conditionibus ; item potest Prælatus regularis imponere inhabilitatem quæ jam a jure communi propter certum crimen præscribitur.

3051. Possunt etiam Prælati regulares quasdam corporales pœnas infligere, v. g. carcerem, relegationem in conventum extraneum et longinquum, graves pœnitentias, opera dura et abjecta, ejectionem ex Ordine erga incorrigibiles, etc. Vide alia apud D. Bouix (*ib.*, p. 467-469).

3052. Quærit. 2° Quomodo canonicè procedi debeat in causâ criminali intra religiosos Ordines ?

Resp. 1° Processui criminali locum esse non debere, quoties pœna imponenda non excedit limites potestatis dominativæ Prælati, uti sunt leviores pœnitentiæ pro puniendis regularum infractionibus, vel pro corrigendis defectibus ; sed regulariter est juridicè procedendum quoties agitur de pœnis quæ limites dictæ dominativæ potestatis excedunt : v. g. quando agitur de infligendis censuris, de carceratione, flagellatione, ejectione ab Ordine, privatione vocis activæ et passivæ : quia tunc Prælatus non procedit nisi quatenus judex.

3053. Non tamen omnes solemnitates à jure communi præscriptæ observandæ sunt in hujusmodi processibus : nam 1° sufficit servare formam *judiciorum summariorum*, ut constat cap. *Qualiter et quando* 24, *de accusationibus ;* 2° si procedatur contra Prælatum regularem ad eum deponendum, minores causæ et probationes requiruntur quam si ageretur de deponendo Prælato sæculari ; 3° juxta communiorem sententiam, non sunt communicanda reo testium nomina, sed duntaxat depositiones.

3054. Quænam verò sint observanda in ordine processûs, deduci potest ex legitimis consuetudinibus et statutis cujusque Ordinis : essentialia tamen juris semper debent observari, quorum enumerationem vide apud D. Bouix (*De Regul.*, tom. 2, p. 471-472) ; vide etiam quæ in tertio libro hujus *Manualis* exponentur.

3055. 2° Quoad appellationem, certum est religiosis pro-

hibitum esse à jure communi et variarum Religionum statutis, appellare in causis communibus quæ nec infamiam nec acerbam pœnam inducunt : id constat ex cap. *Reprehensibilis, de appellationibus*, ubi dicitur: « Statuimus ne » subjecti contra disciplinam ecclesiasticam in vocem ap- » pellationis erumpant... *Præcipuè verò hoc in religiosis* » *volumus observari : ne religiosi cùm pro aliquo defectu* » *fuerint corrigendi, contra regulam Prælati sui et Capi-* » *tuli disciplinam appellare præsumant ;* sed humiliter ac » devotè suscipiant, quod pro salute suâ fuerit iisdem » injunctum. »

3056. Quocumque tamen modo intelligenda sit hæc prohibitio, certum est licere religiosis recursum habere ad Prælatos Superiores, et etiam ad S. Pontificem; imò in causis gravioribus, ubi agitur de pœnâ acerbâ vel infamante, ipsis etiam liceret appellatio propriè dicta : quia hoc est de jure naturali, et simplex recursus non sufficit ad evitandas hujusmodi pœnas. Id licitum supponit S. Congreg. Regular., anno 1587 ; sed ut talis appellatio licita sit, requiritur quòd sententia sit *manifestè injusta :* in dubio enim Prælato est obediendum. Vide Bouix (*ibid.*, p. 469-475).

3057. Quærit. 3° An et quatenus Superiores regulares teneantur visitare monasteria suæ Congregationis?

Resp. Certum est Superiores regulares ad hanc visitationem frequenter teneri : « Teneanturque, inquit Tridenti- » num, suæ Congregationis monasteria frequenter visitare » et illorum reformationi incumbere » (sess. 25, cap. 8, *De Regular.*).

3058. De jure communi Prælati regulares possunt visitationem instituere quoties expedire judicaverint. Sufficit tamen eam fieri *semel* in anno, nisi gravis causa vel specialia statuta frequentiorem exposcant.

3059. Visitationis autem nomine intelligitur inquisitio quædam de subditorum vitâ et moribus, ut delinquentes coerceantur et opportunis mediis vitæ sanctitas pro cujusque statu promoveatur.

3060. Dividitur 1° in *ordinariam,* quæ fit statutis tempo-

ribus ; et *extraordinariam*, quæ extra tempora solita peragitur ;

2° In *generalem*, quâ generaliter de omnium subditorum statu et moribus inquiritur ; et *specialem* quæ aliquem vel aliquos duntaxat respicit, aut aliquam solummodo materiam ;

3° In *judicialem* in quâ Prælatus procedit ut judex ; et *paternam*, in quâ procedit ex solâ potestate dominativâ, instar *patrisfamiliâs*.

3061. Non potest Prælatus ad visitationem, ut judex procedere, quando crimina, non ut judici sed ut patri revelantur, nisi agatur de his criminibus quæ *excepta* et *publica* dicuntur ; qualia sunt : hæresis, crimen læsæ majestatis, blasphemia, crimen sacrilegii, ut sortilegia et profanationes sacrorum, latrocinium et grassationes viarum publicarum, assassinium, crimen falsæ monetæ et simonia. Vide alios casus ap. D. Bouix (*ibid.*, p. 479-480).

3062. In actu visitationis, moniales ab Episcopo vel Ordinis Prælato interrogatæ, veritatem tenentur aperire circa violationes regulæ, etiamsi transgressiones sint leves ; ab hâc tamen revelatione eas excusant Lezana et Alex. : 1° si crimen sit emendatum : emendatum verò censetur si fuerit commissum à pluribus annis, v. g. tribus ; 2° si crimen sit occultum et nulla præcesserit infamia, vel indicium evidens ; 3° si constet Prælatum nullum remedium fore adhibiturum, vel jam fuisse denuntiatum ab aliis à quibus audiverant ; 4° si manifestatio in damnum proprium vergeret ; 5° si crimen fuerit cognitum sub secreto naturali et crimen non sit causa damni communis. Vide S. Liguor. (lib. 4, n° 57).

3063. Prælato non licet pro libitu manifestare crimina sibi modo paterno manifestata ; sed potest, propter illa, delinquentem à loco removere, et ea Superiori locali alterius conventûs aut monasterii revelare, ut eidem invigilare queat. Item potest ei certas domos aut personas prohibere, eique fidelem socium assignare, isti mandando ut eum observet : in his tamen prudenter vitare debet ne delinquentem diffamet ultra necessitatem, ideoque eos quibus

delictum revelavit ex præfatis causis, admoneat de obligatione secretum servandi. Vide Reiffenstuel, lib. 5, tit. 1, n° 302).

PUNCTUM III.

DE POTESTATE SOLVENDI VOTA REGULARIUM.

3064. Quærit. 1° An et à quo regulares à solemnium votorum et professionis vinculo solvi valeant?

Resp. 1° Ex rationabili causâ S. Pontifex dispensare potest cum regularibus super votis eorum solemniter in professione emissis. Ita sententia communis.

Prob. Ex praxi Ecclesiæ: sic « Alexander III dispensavit » cum Nicolao Justiniano monacho ad nubendum; et Cœ» lestinus III... cum Constantiâ, moniali professâ, filiâ » Rogerii Siciliæ regis ut nuberet Henrico VI; et Grego» rius XIII... cum fratre Cardinalis Joiosæ, sacerdote pro» fesso et Provinciali Ordinis Capuccinorum...; refert » Fagnanus.., etiam cum Ramiro rege Aragonum dispen» satum fuisse, ut relictâ Religione et Episcopatu, acci» peret uxorem et regnum, etc. » Sic etiam nostris temporibus, post Concordatum, dispensatum fuit cum pluribus religiosis Galliæ.

Hæc Ecclesiæ praxis fundatur in eo quòd solemnitas votorum sit institutionis ecclesiasticæ, proinde nihil obstet quin super votis professionis religiosæ, sicut super aliis votis, dispensare possit S. Pontifex quando adsunt legitimæ causæ.

Requiruntur autem *justæ et legitimæ causæ:* quippe Deus hanc facultatem suo Vicario non contulit, nisi ob justam causam; aliàs foret in destructionem et non in ædificationem.

3065. Objiciuntur verba S. Thomæ (2, 2, q. 188, art. 11): « Papam non posse facere quòd ille qui est professus Reli» gionem, non sit religiosus. »

Sed si in sensum propositioni nostræ non contrarium adduci nequeant hæc verba, derelinquendus est S. Thomas, utpote contrarius praxi S. Sedis; imò censuram mereretur qui sustineret *verum atque propriè dictum religiosum abs*

que votorum solemnitate non posse subsistere: quia illud contradicit Constitutioni Gregorii XIII, in quâ declaratur Societatis Jesu *Scholasticos esse verè religiosos*, et tamen liberos à votis dimitti posse à Societate. Vide insuper respons. ad seq.

3066. Objici etiam possunt verba Innocentii III, cap. *Cùm ad monasterium* 6, *de Statu monach.*, ubi dicitur: « Nec æstimet Abbas quòd super habendâ proprietate, pos- » sit cum aliquo monacho dispensare: quia *abdicatio pro- » prietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa » regulæ monachali, ut contra eam nec S. Pontifex possit » licentiam* concedere. »

Sed respondetur hæc duntaxat significare quòd S. Pontifex in statu præsenti, quo conditioni religiosæ annexum est votum cum incapacitate dominii, nequeat efficere ut aliquis remaneat perfectè religiosus, nisi mutaretur actualis conditio religiosorum, quod certè efficere posset Papa si vellet; at hoc non esset dispensatio, sed derogatio facta legibus nunc vigentibus.

3067. Manifestum est quòd si S. Pontifex valeat solvere à tribus votis in solemni Professione emissis: à fortiori potest in unoquoque ex ipsis dispensare, vel ex parte, cæteris remanentibus solemnibus, si essentia Statûs religiosi adhuc subsistat, et solemnia ea esse velit S. Pontifex; vel ex toto, sed tunc non ampliùs remanet essentia Statûs religiosi propriè dicti. Suarez tamen putat solemnia esse posse vota quæ adhuc supersunt si talia esse velit S. Pontifex (*De Relig.*, t. 3, lib. 8, c. 18). Vide apud Bouix, *De Regul.*, tom. 2, p. 483-488.

Jure communi quando in unius voti solemnitate dispensatur, cætera vota solemnia esse desinunt. Vide dicta supra (2504.)

3068. — 2° Nec Episcopus, nec Prælatus regularis, etiam in casu necessitatis ubi difficilis est ad Papam recursus, possunt religiosos, etiam non exemptos, à votorum solemnium et professionis vinculo absolvere: ratio est quia hanc potestatem hodie omninò sibi reservavit S. Pontifex; et quidem modo magis speciali quàm potestatem

dispensandi super votis simplicibus perpetuæ castitatis servandæ aut Religionem ingrediendi, et aliis reservatis. Hoc est extra omnem controversiam apud omnes. Vide apud Bouix, *De Regular.* (*ib.*, p. 488-490).

3069. Quærit. 2° An per alium quàm per S. Pontificem possint solvi vota simplicia paupertatis, castitatis et obedientiæ quæ in multis congregationibus emittuntur? — Supponitur quòd in iis congregationibus, etsi vota in perpetuum non emittantur, profitentes tamen aliquo modo, juramento nempe vel saltem promissione perseverandi, iis devinciantur: si quæ enim exstet congregatio quam ipsius membra pro libito deserere valent, quoad illam nulla potest esse difficultas.—His præmissis :

Resp. *Quoties intervenit promissio perseverantiæ à Congregatione accepta, nisi Congregatio ipsa consentiat, nemo præter S. Pontificem, potest ullum Congregationis membrum liberum facere ab obligatione in eâ perseverandi:* ratio est quia nemo præter S. Pontificem habet potestatem dispensandi in præjudicium Congregationum, nisi ipsæ de jure suo cedant : ad dispensandum enim inferiores indigent justâ causâ, sed repugnat adesse justam causam dispensandi cum præjudicio tertii non consentientis. Unde in suâ Constit. *Convocatis* anni 1750, Bened. XIV confessarios admonet ut « quoad vota, noverint sibi abstinendum » esse ab eorum votorum commutatione, in quibus agitur » de præjudicio tertii; quare in eo quod pertinet ad vota..., » quamvis simplicia, seu perseverantiæ seu alia emitti » solita in Congregatione..., non se ingerant. » (§ 32.)

Diximus *nemo :* et hoc intelligi debet de magno etiam Pœnitentiario, et à fortiori de confessariis qui privilegia habent in votis S. Pontifici reservatis dispensandi.

3070. Id tamen potest S. Pontifex, quia est Supremus Administrator rerum ecclesiasticarum, proinde eorum omnium quæ ad Congregationes ecclesiasticas pertinent; non potest autem Episcopus, quia non valet disponere de bonis ecclesiasticis sinè Indulto Pontificio.— Observandum est quòd S. Sedes non soleat approbare constitutiones monialium quæ habent Superiorissam generalem, nisi cum

conditione quòd dispensatio votorum petenda erit ab Apostolicâ Sede. Vide *Analecta,* 42° livr., col. 509; et supra (2690, 2°).

3071. Imò, etiam cum consensu Congregationis, Episcopus nequit cum religioso dispensare in voto perpetuo continentiæ in ejus professione emisso, quia est S. Sedi reservatum; nec etiam in aliis votis, si Congregatio sit exempta; non potest proinde Episcopus Scholasticos Societatis Jesu à votis et statu religioso absolvere, invitâ Societate, sive quia Societas est exempta, sive quia in Scholastico sunt duo vota S. Pontifici reservata : votum nempe perpetuæ castitatis et votum Religionem profitendi; sive quia Episcopus nequit vota solvere cum *præjudicio tertii*, ipso tertio non consentiente. Vide supra (2740 *in notâ*).

Casu autem quo Episcopus potest dispensare, quæri potest à quo Episcopo dispensatio sit obtinenda : pro solutione hujus dubii vide supra (2976-2979).

3072. Quærit. 3° Quænam sit potestas Superiorum regularium in vota novitiorum, sive emissa fuerint ante novitiatum sive in novitiatu?

Resp. 1° Superiores regulares non possunt hujusmodi vota irritare directè: quia nondum habent potestatem dominativam in eos qui illa emiserunt; sed possunt illa irritare indirectè, quando nempe et quatenus impediunt gubernium conventûs, et hoc intelligitur etiam de votis Papæ reservatis, sed non de voto ingrediendi Religionem strictiorem.

3073. — 2° Quoad potestatem dispensandi, vel agitur de religiosis exemptis, vel de non exemptis : in primo casu, Prælati regulares dispensare possunt cum novitiis, in votis emissis tam in sæculo quàm in novitiatu, modò non sint Papæ reservata; sed tale non est votum ingrediendi religionem strictiorem, unde in eo possunt dispensare : ratio est quia jurisdictionem ecclesiasticam possident. — In secundo casu, jure ordinario, talem non habent potestatem, nisi per commissionem hoc eis fuerit concessum, aut eam acquisiverint per legitimam consuetudinem. Vide apud Bouix, *ibid.*, p. 502-504.

3074. Quærit. 4° Quænam sit potestas Superiorum regu-

tarium quoad vota subditorum post professionem emissa?

De hâc quæstione vide dicta supra super irritatione votorum (2498-2500).

Nota 1° insuper quòd hanc potestatem irritandi habeant non solùm Superior generalis sed et Provincialis, imò et localis, cum aliquâ subordinatione inter se. Probabilius est etiam illam habere ipsas Abbatissas juxta Ferraris (v° *Votum*, art. 3, n° 19). Vide dicta supra (2498).

3075. — 2° Quoad potestatem dispensandi, illam habent exempti, etiam quoad votum transeundi ad Religionem strictiorem; non habent verò non exempti jure communi, quia ordinariè carent jurisdictione.

Quomodo extinguantur vota per professionem religiosam, diximus supra (2709-2713).

ART. VII.

DE REGULARIBUS STATUM MUTANTIBUS.

3076. Dicendum 1° de regularium apostasiâ; 2° de ejectione religiosorum; 3° de religiosis solemniter professis obtinentibus Indultum Pontificium in sæculo degendi; 4° de regularibus ad aliam Religionem transeuntibus.

§ I.

De regularium apostasiâ.

3077. Apostasia in genere est desertio vel recessus à Deo, in aliquo bono in quo homo tenebatur perseverare vel ex præcepto vel ex voto.

Apostasia est vel *à fide*, vel *ab ordine sacro*, vel *à Religione;* hîc agimus solùm de *apostasiâ à religione.*

3078. Apostasia a religione *est criminosa discessio a Religione, cum animo non ampliùs redeundi ad regulare Institutum, etsi habitus Religionis detineatur.*

Disputatur an apostata esset dicendus qui sinè licentiâ discederet à suâ Religione ad aliam laxiorem : affirmat Suarez cum aliis; negat verò Ferraris, v° *Apostata*,

Etsi fugitivi, qui sinè licentiâ discedunt cum animo redeundi, differant eo ipso ab apostatis; in jure tamen apostatis æquiparantur. (Ferraris, *ibid.*, nº 20.)

3079. Dimissio habitûs sinè animo non redeundi non est apostasia; incurritur tamen ipso facto excommunicatio, si fiat sinè necessitate causâ liberiùs vagandi. Vide dicta supra (2820).

Nec etiam est apostata nec illicitè agit qui injustè et notabiliter gravatus à Superiore, sinè licentiâ pergit rectà viâ ad Provincialem vel Generalem vel alios ad quos de jure appellare potest: modò tamen evidens sit gravamen, facilè possit illud probare et nullum aliud habuerit medium ad repellendam oppressionem.

3080. Sancitur tamen in Concil. Trident. (sess. 25, cap. 4, *de regular.*) : « Nec liceat regularibus à suis conventibus » recedere, etiam sub prætextu ad Superiores suos acce- » dendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint : qui verò » sinè prædicto mandato in scriptis obtento repertus » fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui » Instituti puniatur; » sed hoc decretum communiter intelligitur de discessu ex levi vel irrationabili causâ, ut indicat locutio *sub prætextu :* prudenter autem aget religiosus si non discedat nisi post petitam et negatam coram testibus fide dignis licentiam. Vide Ferraris (vº *Apostasia*, nº 29, etc.).

3081. Quærit. 1º Quænam sint pœnæ in apostatas et fugitivos latæ?

Resp. 1º Apostatas ipso facto incurrere excommunicationem, si simul habitum dimittunt (2820); 2º suspenduntur à sacris ordinibus, et si celebrent, durante apostasiâ, irregulares fiunt; 3º durante apostasiâ, privilegiis suæ Religionis privantur. Hæc de jure communi : aliæ pœnæ incurri possunt jure particulari uniuscujusque Instituti.

3082. Excommunicationem ipso facto etiam incurrunt qui apostatas et fugitivos recipiunt, ipsisque fugientibus cooperantur et auxiliantur, si tamen sint regulares.

3083. Quærit. 2º Quomodo se gerere debeant Superiores erga apostatas et fugitivos?

Resp. Tenentur eos requirere, revocare, et pro posse

procurare ut redeant. — Vide Ferraris (v° *Apostasia*, n° 57, etc.)

3084. *Nota:* « Fugitivos et apostatas, iis exceptis quæ ex » beneficio ecclesiastico acceptata sunt, monasterio acqui- » rere verius est, si illud dominii in communi capax sit; » sin minus, Sedi Apostolicæ. » (S. Liguor., lib. 4, n° 80.)

§ II.

De ejectione religiosorum.

3085. Certum est religiosos, etsi solemniter professos, posse licitè, servatis servandis, à Religione ejici. Hoc constat decretis Urbani VIII et Innocentii XII jussu editis et relatis à Ferrario (v° *Ejecti*, n[is] 2 et 3).

3086. Hæc autem servanda sunt in ejectione religiosorum solemniter professorum: 1° non sunt ejiciendi nisi incorrigibiles; 2° incorrigibilis non est censendus religiosus, nisi ter de gravi delicto, sive eodem sive diverso, convictus et punitus, iterum graviter deliquerit; 3° requiritur insuper ut in carcere conventûs per sex menses continuos et non interpellatos in jejunio et pœnitentiâ probatus, iterum graviter peccaverit; ubi hæc pœna, propter leges civiles [1], imponi nequit, non ideo impossibilis est ejectio religiosorum incorrigibilium, sed prudentia erit tunc recurrere ad S. Congr. Regularium; 4° ejectio fieri nequit nisi à Generalibus vel Provincialibus cum consilio et assensu majoritatis sex gravissimorum religiosorum in Capitulo generali vel provinciali electorum, et in hoc ultimo casu à Generali confirmatorum; 5° processus fieri debet juxta constitutiones et stylum cujusque Ordinis; 6° à sententiâ expulsionis per decem dies religiosus potest appellare ad Sedem Apostolicam et ad S. Congreg. Concilii; 7° consentire debet Superior Generalis; 8° sententia expulsionis est statim à Generali vel à Provinciali significanda Ordinario loci, qui tamen de justitiâ illius non potest cognoscere.

Hæc omnia ex decretis Urbani VIII et Innocentii XII

[1] Pro Galliâ vide art. 341 Codicis pœnalis.

aut aliis juris textibus extracta, fusiùs expenduntur à Ferrario (v° *Ejecti*).

3087. Quærit. 1° Quænam sit conditio religiosi solemniter professi post ejus ejectionem?

Resp. 1° Juxta Urbanum VIII, solemniter professi *ejecti, quamdiù non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedere debent,* saltem, juxta Suarezium et alios multos, si ordinibus minoribus sint initiati, *atque Ordinarii loci jurisdictioni et obedientiæ subesse.* Pius VI autem Episcopis Galliæ concesserat facultatem dispensandi in obligatione religiosis impositâ incedendi in habitu clericali.

3088.—2° Manent suspensi ab omni exercitio ordinum, nec possunt concionare neque docere.

3089. — 3° Jus non habent ut sibi à religione alimenta suppeditentur, nisi injustè fuissent ejecti : lite tamen pendente, alimenta eis præstanda sunt.

3090. — 4° Ad essentialia votorum tenentur [1], proinde castitatem servare debent; incapaces sunt dominii, nec testari valent; Ordinario loci qui ipsis loco Superioris substituitur obedire debent. Propter necessitatem præsentis eorum statûs plura facere possunt quàm non solent regulares in conventu manentes : habent enim usum et administrationem temporalium ; possunt emere, vendere, donare, prout exigit eorum conditio; sed non possunt facere expensas magnas superfluas, nec donationes rerum magni valoris; ab illisque accipientes tenentur ad restitutionem; bona ab ipsis acquisita extra claustra, ad Cameram Apostolicam pertinent. Item quoad obedientiam, plura ejecti facere possunt absque licentiâ, prout exigit præsens illorum conditio, quia ipsis data censetur quoad hoc generalis facultas. Ejectus, inquit S. Liguor. (lib. 4, n° 81), « à monasterii observantiis et regulis, ut à jejuniis, » vigiliis, delectu ciborum et similibus liber est...; nec » tenetur ad divinum officium, nisi sit in sacris... Idem

[1] Scholastici tamen et alii non solemniter professi in Societate, liberi et absque vinculo religioso dimittuntur; idemque hodie est dicendum de cæteris religionibus virorum, ubi post decretum 1857, emitti primùm non debent vota solemnia. Vide dicta supra (2690).

» dicitur de damnato ad triremes; idem... de perpetuo
» degente cum licentiâ extra monasterium (sed probabiliùs
» hoc negant Palaus, Suarez... cum Salmant... contra
» Lessium, Sanchez)... : ratio est quia talium observatio
» non comitatur simpliciter professionem votorum substan-
» tialium, sed Statum regular. e quo ille est expulsus. »

3091.—5° Si ejecti decedant extra claustra, nisi locum sepulturæ elegerint, in ecclesiâ parochiali sepeliri debent, non in monasterio. (Ferraris, ap. D. Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 511-513.)

3092. Cæterùm ejecti tenentur procurare, sese emendando, ut iterum in conventum admittantur: et quominus recipiantur possunt Religionem cogere, casu quo ex litteris testimonialibus Ordinarii se emendatos probare valent. Ferraris (v° *Ejecti*, n° 53, etc.). Attamen D. Bouix existimat satius esse in praxi si in hoc Conventus ad S. Congregat. recursum habeat.—Justè ejectus, si emendatus ad claustra rediens non admittatur, potest tutâ conscientiâ remanere in sæculo et instar clericorum sacramenta recipere (Ferraris, v° *Ejecti*, n° 65); *nec in aliam Religionem etiam laxiorem* introire tenetur (S. Liguor., lib. 4, n° 81).

3093. Quærit. 2° An in Congregationibus, in quibus emittuntur vota duntaxat simplicia, sinè causâ validè religiosi possint ejici?

Resp. Negativè, et hoc est verum etiam quoad scholasticos Societatis, quamvis nonnulli secus sentiant apud Suarezium qui illos confutat: ratio est quia per mutuum contractum Religio et vovens se invicem obstrinxerunt, ut vovens non dimitteretur absque causâ, etiamsi iste dimissioni suæ consentiret, quando in Religione reperiuntur saltem essentialia Statûs religiosi, quia talis status sinè causâ dimitti non debet: casu tamen quo religiosus dimissioni suæ acquiescit, causa minor sufficere videtur, et sufficiens esset v. g. infirma valetudo. Si verò in Congregatione non superessent quæ ad essentiam religiosi statûs requiruntur, et consentiret suæ dimissioni religiosus, videtur posse dimitti sinè causâ: quia non obstat religiosus

Status et aliunde nemini fit injuria. Vide apud D. Bouix (*ibid.*, p. 514-517). Sed Cf. App. VII.

§ III.

De religiosis solemniter professis obtinentibus Indultum Pontificium in sæculo degendi.

3094. Durante præsertim aliquâ Ordinis violentâ dispersione, ac etiam identidem in aliis casibus, Pontifex concedit religiosis ut, licet adhuc ligati solemnitate votorum, possint in sæculo degere cum obligatione obediendi locorum Ordinariis tanquam propriis Superioribus, et ut sub eorum regimine valeant explere varia ecclesiastica munia.

Patet autem hujusmodi religiosos multùm differre ab ejectis, et cum eis non esse confundendos : in ipsis permanet tota religiosi Statûs et solemnis professionis substantia; remanent dominii incapaces ac proinde testari nequeunt : sed pro novæ conditionis indigentiâ, ipsis non tanquam dominis, sed tanquam meris administratoribus conceditur facultas generalis utendi rebus temporalibus, prout opus habent. Ipsorum bona non ad hæredes, sed ad Cameram Apostolicam pertinent; unde in locis ubi lex civilis illa hæredibus tribuit, ad Sedem Apostolicam isti recurrere debent ut possint in conscientiâ hæreditatem occupare et retinere. Vide alia apud D. Bouix (*De Regul.*, tom. 2, p. 517-519).

§ IV.

De religiosis ad aliam Religionem transeuntibus.

3095. Jure communi, uti supra diximus (2605-2607), licitum est religiosis, servatis servandis, à laxiori ad arctiorem Religionem transire : constat ex Constit. Innocentii III anni 1212 (cap. *Licet, de regularib.*) : unde hujusmodi transitus denegari non debet ei *qui eum cum humilitate ac puritate duxerit postulandum, ut non fictè sed verè, ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare. Talis ergo*, inquit Pontifex (*ibid.*), *postquam à Prælato suo transeundi*

licentiam postulaverit... liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante protervâ indiscreti contradictione Prælati; excipiendi sunt tamen Prælati : « Nullus » præsumat, inquit Pontifex (*ibid.*), occasione quâcumque, » deserere Præsulatum. » — Sed ex Decreto Urbani VIII, incipiente *Sacro*, § 3, generaliter statuitur ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs Superiori constiterit eam Religionem esse paratam illum recipere; tuncque regularis rectâ viâ se transferat ad arctiorem. Vide Card. Petra, ap. Bouix (*De Regular.*, t. 2, p. 521).

3096. Controvertitur utrum transitus absque licentiâ petitâ peractus, non tantùm illicitus sit, sed etiam invalidus : juxta D. Bouix (*ib.*, p. 525), communior sententia tenet illum esse invalidum; contrarium tamen valde probabile putat S. Liguor. (lib. 4, p. 74), quia jus silet de illâ nullitate.

Quoad *jus particulare* vide dicta supra (2607).

3097. Transitus verò ad laxiorem Religionem omnino prohibetur : « Nemo regularis, inquit Trident. (sess. 25, » cap. 19, *De Regular.*), cujuscumque facultatis vigore, » transferatur ad laxiorem Religionem. » Unde ad hanc translationem requiritur Indultum Pontificium; « ac taliter » translatus, etiamsi Canonicorum regularium fuerit, ad » beneficia sæcularia, etiam curata, omninò incapax existat. » (Trid., sess. 14, c. 11, *de reform.*)—Dicit tamen R. de M. (tom. 1, p. 505) plures esse Canonistas qui Indultum Pontificium non requirunt nisi quando abest causa; alioquin, inquiunt, Prælati regularis licentia sufficit. Ita Navarr., Lessius; et P. Gautrelet, *Traité de l'état relig.*, t. 2, p. 122, edit. 1846.

3098. Transitus autem ad æqualem Religionem, jure communi non videtur specialiter prohibitus : fieri tamen non debet solâ licentiâ Superiorum absque justâ causâ : sed S. Pontifex illum potest permittere etiam sinè causâ. Ita communiter : quia omnes Religiones subduntur regimini S. Pontificis. Vide D. Bouix (*ib.*, p. 527).

3099. Juxta R. de M. (tom. 1, p. 505) bona quæ reli-

giosus attulit primo monasterio ab isto retineri possunt; neque, inquit, à secundo opponi potest sibi onerosum futurum esse religiosum si absque bonis apud se transeat, quia illum recipit liberè et non coactè; contrarium tamen fuit decisum, ut supra diximus (2764); vide etiam supra (2739, 2740, 2741) et P. Gautrelet, tom. 1, p. 304, qui idem sentit ac R. de M. pro casu ubi fit transitus ad monasterium minus vel æquè strictum, et item pro casu in quo monialis spontaneè monasterium egreditur (*ib.* p. 305).

3100. Constitutione suâ 13 aprilis 1744, incip. *Pastor bonus*, hæc statuit Benedict. XIV circa Majorem Pœnitentiarium: « Quoad transitum verò de unâ ad aliam Religionem, non solùm valeat illum concedere à laxiori ad arctiorem, juxta cap. *Licet*, *de Regular.*, verùm etiam ad æqualem, et ab arctiori ad laxiorem; ob justas tamen et graves respectivè causas, ab eodem Majori Pœnitentiario probandas, audito priùs Superiore Ordinis à quo, et cum consensu Superioris Ordinis ad quem faciendus est transitus...

» Verùm abstineat ab hujusmodi transitu concedendo ad alias Religiones seu Ordines, præterquam ad illas seu illos in quibus claustralis et regularis observantia vigere dignoscatur...

» Concedere itidem possit transitum... monialibus, tantùm ultra montes existentibus, legitimâ concurrente causâ, in signaturâ discutiendâ et approbandâ, committendo tamen facultatem hujusmodi transitus admittendi et exequendi arbitrio Ordinarii, cum clausulis opportunis pro casuum varietate. »

3101. Attamen præfata licentia concedi Romæ solet, sive per Congreg. Episcop. et Regular., sive per Congreg. Concil., sive per Sacram Pœnitentiariam. Vide ap. D. Bouix, *De Regular.*, tom. 2, p. 533

3102. Solus Papa concedere potest ut quis à statu conversorum ad clericorum statum intra eamdem Religionem transeat. Hic enim transitus à Clemente VIII et Urbano VIII prohibitus fuit, etiamsi conversi adhuc sint intra annum

probationis (*ibid.*, p. 534). — Sed vice versâ, non est prohibitum cum licentiâ Superiorum transire à statu clericali ad conversorum statum, dummodo transiens non sit in sacris, et tunc præcedentia à die professionis emissæ in statu clericali est ordinanda. Vide D. Bouix *De Regul.*, tom. 2, p. 534.

ART. VIII.

DE VARIIS SPECIEBUS ORDINUM RELIGIOSORUM.

3103. Etsi omnes Religiones conveniant in intendendâ perfectione charitatis quæ est finis illarum præcipuus et essentialis, differunt tamen variis titulis: diversitate nempe finis unicuique Ordini specialis, vel mediorum ad eumdem finem conducentium : fines enim speciales aliquando sunt quasi substantialiter diversi, ut hospitalitas et prædicatio verbi Dei; aliquando autem sunt duntaxat secundùm magis et minus, ut contemplatio diuturna aut solùm certis horis; prædicatio inter fideles, vel in universo orbe etiam apud infideles, et sic de aliis.

3104. Præcipua divisio Religionum est in *contemplativas, activas et mixtas : contemplativæ* sunt illæ quæ ad contemplationem et propriam membrorum suorum perfectionem principaliter sunt institutæ; *activæ* illæ sunt quæ ad actiones misericordiæ exercendas erga proximum præcipuè occupantur; *mixtæ* quæ ad utrumque finem assequendum pariter intendunt.

Antequam brevissimam præcipuorum Ordinum religiosorum notitiam contexemus, quædam denominationes sunt explicandæ :

3105. — 1° Voce *Ascetæ* frequenter usitatâ apud antiquos, nominantur religiosi, eò quòd sese variis operibus perfectionis exerceant.

2° *Anachoretæ* dicebantur qui seorsim in solitudine vitam asceticam ducebant.

3° *Cœnobitæ* seu *monachi* sunt illi qui vitam communem agunt in *cœnobio* seu monasterio : ipsi autem ex fine Instituti non sunt necessariò sacris ordinibus initiandi.

4° *Clerici regulares* sunt religiosi pertinentes ad Congregationes quorum membra ad ordines promoveri solent ut sacro ministerio incumbant.

5° *Mendicantes* sunt religiosi qui, ex primariâ suâ institutione, bona immobilia etiam in communi possidere non poterant, ideoque eleemosynis sustentabantur.

§ I.

De Ordinibus contemplativis seu monachis.

3106. — I. *Religio S. Basilii.* S. Basilius primam inter regulas approbatas composuit, anno 360. Vide cap. *Perniciosam*, c. 18, q. 2. Religiosi hujus Instituti vitam à commercio hominum segregatam ducunt, exercitiis vitæ contemplativæ præsertim incumbunt; labori tamen manuum et corporalibus exercitationibus tempus congruum impendunt. Imò in certis regionibus etiam sacro ministerio, ut in Poloniâ se exercent. Pauci numero in Ecclesiâ Occidentali, numerosiores sunt in Orientali; sed non omninò constat ab ipsis observari hodiè antiquam S. Basilii regulam, quæ probabiliùs nonnisi in ipsius operibus authenticè legitur. Vide *Inst.*, R. de M., tom. 1, p. 534.

3107. — II. *Religio S. Benedicti :* alteram ex regulis approbatis ab Ecclesiâ (cap. *Perniciosam*) composuit S. Benedictus pro novâ Religione quam in monte Cassinate fundavit, anno circiter 500, et quæ per Italiam cæterasque Ecclesiæ regiones mox fuit disseminata. Proprius Religionis Benedictinæ sicut et discipulorum S. Basilii finis est personalis perfectio eorum qui illam profitentur, comparanda per media vitæ monasticæ accommodata, proinde monachalis est et non propriè clericalis.

3108. Sub regulâ S. Benedicti militârunt ferè omnes religiosi Ecclesiæ Occidentalis usque ad sæculum X : nono autem sæculo, relaxatâ jam fortè observantiâ regulari, multiplicari cœpêre, reformationis causâ, varia Instituta Benedictinæ regulæ addicta : sic anno 913, instituta fuit à S. Bernone et S. Odone Religio Cluniacensis, cujus religiosi vestem nigram instar religiosorum S. Basilii indue-

runt, et cujus omnia monasteria, variis in locis exstantia, tanquam Generalem agnoscebant Abbatem monasterii Cluniacensis.

3109. Secunda Religio, quæ à Benedictinâ ortum habuit, est Cisterciensis : Instituta fuit primùm à S. Roberto, anno 1098 ; insignem autem propagatorem, qui vulgò censetur ipsius Institutor, habuit S. Bernardum, cujus curâ 160 monasteria fundata fuêre. Cistercienses veste albâ utuntur.

Ab hoc Ordine orti sunt Trappenses, sic vocati à monasterio B. Mariæ de Trappâ propè Mortaniam in diœcesi Sagiensi (*Séez*), et qui, sæculo XVII, ab Abbate De Rancé reformati fuerunt. Cisterciensis Abbas Romæ degens habetur ut Præpositus generalis omnium monasteriorum Trappensium, ad quem tamen recurrere solent tantùm vel ferè tantùm pro approbatione Abbatum singulorum conventuum[1]. Nunc distinctam efformant congregationem.

Duæ præfatæ Religiones habuerunt etiam monasteria mulierum.

3110. Camaldulenses, à loco *Camaldoli* sic nuncupati, fundati fuerunt à S. Romualdo, anno 1012 : familia hæc inter cæteras Benedictinas hoc proprium habet quòd, præter Cœnobitas, sint in eâ eremitæ et etiam reclusi.

3111. — III. *Religio Carthusiana :* Instituta fuit à S. Brunone in solitudine Carthusiæ prope Gratianopolim, à quâ nomen accepit : contemplationi vacat, simul eremiticam et cœnobiticam vitam consocians ; generaliter ut cæteris Religionibus arctior habetur, et adhuc primitivam observantiam retinet. Ipsi peculiare est quòd in eâ tanta abstinentia à carnibus observatur, ut propter nullam necessitatem, etiam extremam mortis vitandæ, transgrediatur : licitum esse ad illam transire ex aliis Religionibus communi jure tenetur. Ipsius regula à Benedictinâ distincta, ante novarum Religionum prohibitionem per Innocentium III factam, tacitè ab Ecclesiâ approbata fuit. Vide *Inst.*, R. de M., tom. 1, p. 537, etc.

[1] Vide pro Belgio quid, anno 1836, mense april. 22, statutum fuerit à Gregor. XVI : apud *Analecta* (juill. 1854, col. 965).

3112. Erant insuper plures aliæ Religiones ejusdem speciei, veluti Grandimontensis à S. Stephano prope Lemovicas in Aquitaniâ, anno 1080, inchoata. Omninò monastica erat, contemplationi et psalmodiæ dedita, cum magnâ solitudine, austeritate et jejuniis etiam in pane et aquâ.

3113. Altera ejusdem pariter generis fuit Religio Hieronymitana, sic dicta non eò quòd à S. Hieronymo fuerit instituta, sed eò quòd in Patronum hunc Sanctum assumpserat. Propagata fuit præsertim per Italiam et Hispaniam; observantissima fuit silentii, clausuræ; sequitur regulam S. Augustini, sed proprias habet constitutiones. Vide *Inst.*, R. de M., tom. 1, p. 538, 539.

§ II.

De religionibus mixtis et præsertim mendicantibus.

3114. — I. *Ordo FF. Prædicatorum;* auctorem habuit S. Dominicum, qui sub regulâ S. Augustini illum instituit, anno 1215. Primus fuit ex Ordinibus qui specialem et solemnem à S. Sede approbationem obtinuerunt. Anno enim 1216 solemni ritu approbatus fuit per Constitutionem Honorii III.

Finis proprius hujus Instituti est salus animarum, præsertim per verbi divini prædicationem; unde illi nomen *Prædicatorum*. Ex hâc familiâ religiosorum eligi solent Inquisitores et Magister Sacri Palatii.

Huic Ordini duos alios adjecit S. Dominicus; unum pro mulieribus quæ *Dominicanæ* nuncupantur; alium pro *Tertiariis* fratribus et sororibus, qui etsi non sit proprius Ordo (quippe essentiam Religionis non habet), variis tamen privilegiis à S. Sede cumulatus fuit. Vide R. de M., *ibid.*, p. 539-541.

3115. — II. *Ordo FF. Minorum*, qui à S. Francisco Assisiensi institutus fuit, anno 1209; et solemniter fuit approbatus duntaxat, anno 1223, per Honorium III. Præcipuus ipsius scopus fuit perfectionem evangelicam servare, præsertim in paupertate: ita ut religiosis hujus Instituti non liceret, etiam in communi, aliquid possidere. Debebant

etiam prædicare sicut religiosi S. Dominici : sed in hoc ab istis differunt quòd FF. Prædicatores instituti sint potiùs ad fidei defensionem et debellandos hæreticos ; FF. verò Minores ad mores emendandos et commovendos fideles ad pœnitentiam : studium litterarum suis alumnis multùm commendavit S. Dominicus, dùm S. Franciscus (cap. 10, suæ regulæ) admonet ut illiterati litteras non addiscant.

3116. In plures familias, decursu temporum, divisa fuit Religio Franciscana : nempe in eos qui pristinam paupertatem servare non valentes, à S. Sede obtinuerunt ut bona immobilia in communi acquirere et possidere possent, et hi FF. Conventuales nuncupantur ; et in eos qui primitivam paupertatem servaverunt, et isti dicuntur *Observantes ;* ad quos etiam pertinent *Recollecti* et pariter *Capuccini* qui tamen, propter aliquas speciales observantias, formam habitûs, etc., independenter et separatim reguntur, et particulari Generali subjiciuntur.

3117. Ordinem etiam monialium instituit S. Franciscus, S. Clarâ cooperante, quique ideo vocatur Religio Stæ-Claræ ; instituit quoque fratres et sorores *Tertii Ordinis.*

3118. — III. *Ordo Eremitarum S. Augustini.* De antiquitate hujus Ordinis multùm, in varios sensus, disputatum fuit. Quamvis enim constet compositam fuisse regulam à S. Augustino pro monachis, aut saltem regulam sub ipsius nomine vulgatam, à suis scriptis fuisse desumptam, tamen non omnino constat ab illo institutum fuisse Ordinem qui ipsius nomine hodie denominatur : constat solùm hunc Ordinem, temporibus Innocentii IV et Alexandri IV, ad præsentem formam fuisse redactum et solemni ritu approbatum. Ab hoc autem tempore annumeratur iste Ordo inter *Mendicantes*, et saluti proximi etiam incumbit.

3119. — IV. *Ordo Carmelitarum :* multùm pariter fuit disputatum de origine Carmelitarum : aliis asserentibus institutum fuisse à prophetis Eliâ et Eliseo in monte Carmelo in Palestinâ ; cæteris cum P. Bollando contendentibus primum ipsius Superiorem fuisse Bertholdum, et regulam ipsius ex S. Basilii regulâ desumptam anno, 1181, ab Almerico Lemovicensi fuisse compositam, ac ab Alberto

[illegible]

Parmensi Hierosolymitano Patriarchâ abbreviatam fuisse et in meliorem ordinem redactam; tanto animorum æstu agitabatur controversia ut Innocentius XII perpetuum silentium circa hanc quæstionem sub pœnâ excommunicationis imposuerit, et scripta contra suæ Constitutionis prohibitionem edenda in Indice librorum prohibitorum annumerari voluerit. Vide *Dictionn.*, Feller, v° *Albert* (*le Bienheureux*); et R. de M., tom. 1, p. 543-544.

3120. Regula B. Alberti approbata fuit ab Honorio III. Decursu autem temporis, mitigata fuit per varios SS. Pontifices, vitamque eremiticam in cœnobiticam fuit commutata. Postea, hortante S. Theresiâ, ad pristinam austeritatem reducta fuit. Unde hodie in duplicem classem religiosi Carmelitæ distinguuntur, scilicet in Carmelitas *mitigatæ observantiæ*, et Carmelitas *strictioris observantiæ*, seu *discalceatos*. Sunt etiam Carmelitæ eremitæ et conventuales. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 403.

3121.—V. *Ordo Minimorum :* auctorem habuit S. Franciscum De Paulâ, qui etiam regulam propriam pro ipso concinnavit. Hæc regula approbata fuit simul cum Ordine ab Alexandro VI. Inter Mendicantes computati fuêre à S. Pio V, Constit. *Apostolicæ*.

3122. — VI. *Ordo clericorum Societatis Jesu :* institutus fuit à S. Ignatio qui, anno 1534, prima ipsius fundamenta Parisiis, in Monte Martyrum, posuit, et deinde Romæ perfecit; approbatus fuit à Paulo III, anno 1540, cum restrictione quâdam quoad numerum; sed tandem, anno 1543, ab eodem Pontifice absolutè et absque restrictione fuit confirmatus.

Hujus Societatis finis est, non solùm saluti et perfectioni propriæ vacare, sed impensè saluti et perfectioni aliorum incumbere; tribus votis, quæ solent in aliis religionibus emitti, quartum addunt Professi Jesuitæ, nempè promptè pergendi, etiam sinè viatico si oporteat, quòcumque jusserit S. Pontifex. Prædicationi, instructioni juventutis, missionibus etiam apud infideles, et aliis operibus cum multiplici fructu incumbunt.

3123. — VII. Sunt etiam plures aliæ familiæ religiosæ

vitæ mixtæ deditæ, quarum præcipuæ sunt : *Canonici regulares Præmonstratenses*, à S. Norberto, anno 1120, fundati, qui non tantùm cultui divino sed etiam sacro ministerio et parochiarum servitio vacant.

3124. — *Servitæ* seu *servi B. M.*, qui instituti fuêre, anno 1233, à septem civibus Florentinis, quique approbati fuerunt ab Alexandro IV et quibus regulam S. Augustini dedit Benedictus XI. Habent Tertiarios et Tertiarias sicut Ordines S. Dominici et S. Francisci. (Vide R. de M., *ibid.*, p. 544; et *Dictionn. de Trévoux*, v° *Servites.*)

3125. — *Theatini* à S. Gaetano fundati, anno 1524.

3126. — *Redemptoristæ* à S. Liguorio instituti præsertim ut agrorum et parvorum locorum incolas evangelizarent.

3127. Quoad mulieres, multæ Congregationes institutæ sunt, sive ad educandas puellas, sive ad sublevandas varias ægrotorum infirmitates, sive ad alios fines. Præcipuæ sunt Visitandinæ à S. Francisco Salesio et sanctâ Joannâ de Chantal institutæ;

3128. Ursulinæ quæ à S. Angelâ Mericiâ institutæ fuêre anno 1537, etc., etc.

§ III.

De Religionibus vitæ activæ deditis.

3129. — I. *Religio S. Antonii.* Instituta fuit occasione morbi *Ignis sacri*, qui sæculo XI in Galliâ sæviebat et curabatur interventu præsertim S. Antonii, cujus reliquiæ in oppido ex tunc S. Antonii vocato, venerabantur. Ibidem, vir nobilis, Gastonis nomine, hospitium instruxit in quo, anno 1095, cum sociis quibusdam se devovit curæ infectorum *igne sacro*. Hujus Religionis alumni primùm ordinibus sacris expertes erant; sed, anno 1297, Bonifacius VIII illis donavit regulam Canonicorum S. Augustini, eosque inter Ordines clericales annumeravit.

3130. — II. *Religio S. Joannis à Deo :* instituta fuit ab eodem Sancto, anno 1538, sub regulâ S. Augustini, ut infirmis serviret. A S. Pio V approbata fuit cum facultate

eleemosynas colligendi pro subventione infirmorum in istorum religiosorum nosocomiis degentium. Vide R. de M., tom. 1, p. 548.

3131. — III. *Religio Trinitariorum*, cujus institutores fuerunt S. Joannes de Matha et S. Felix Valesius, quæque approbata fuit ab Innocentio III. Eximio operi redemptionis captivorum apud Turcas degentium vitam impendunt, quos redemerunt ad numerum 900.000. (Vide *Vie de S. Jean de Matha*, par le P. Prat, *pièces justif.*, p. 39, edit. 1846; et P. Gautrelet, *Traité de l'état relig.*, *introduct.*, p. 18, edit. 1846.)

3132. Idem scopus fuit intentus in institutione Religionis B. M. *De Mercede*, quæ in Hispaniâ à S. Petro Nolasco cum consiliis S. Raymundi à Pennafort fuit fundata, sub protectione Jacobi regis Arragoniæ. Hujus Ordinis alumni, votis consuetis addunt quartum, nempe *se in Saracenorum potestate in pignus, si necesse fuerit, ad redemptionem Christi fidelium permansuros.* »

3133. — IV. *Ordines militares :* instituti fuêre ad protegendos armis fideles qui Loca Sancta visitabant, et defendendam Ecclesiam contra infideles. Præcipui fuêre *Equites Melitani*, olim dicti Hospitales S. Joannis in Jerusalem et posteà *Equites Rhodiani*. — *Templarii* à Clemente V in Concilio Viennensi suppressi.

3134. Præter Ordines propriè dictos, sunt multæ aliæ Congregationes sive virorum sive mulierum variis operibus pietatis, charitatis et religionis deditæ. Tales sunt Presbyteri Missionis seu Lazaristæ, Sorores Charitatis à S. Vincentio à Paulo fundatæ; — Congregatio Oratorii instituta à S. Philippo Nerio aut à Cardinale De Bérulle; — Communitas S. Sulpitii cui originem dedit D. Ollier, etc., etc.

CAPUT IV.

DE LAICIS.

3135. Majorem Ecclesiæ partem efformant *Laici*, quorum nomen à linguâ græcâ derivatum, *populum* significat, et propter ipsos præcipuè cætera in Ecclesiâ instituta fuêre, juxta verba S. Pauli ad Corinthios (cap. 3, v. 22) : « Omnia » enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas; » vos autem Christi. »

3136. Laici autem sub triplici respectu possunt considerari : videlicet, aut quatenus *singulares* et personæ *privatæ*, aut quatenus membra *familiæ* seu personæ *domesticæ*, quales sunt parentes, servi et famuli; aut quatenus membra *civitatis*, et tunc sunt personæ civiles.

ART. I.

DE LAICIS QUATENUS PERSONIS PRIVATIS.

3137. Quatenus privatæ personæ, laici sunt vel nondum baptizati, vel baptizati : laici nondum baptizati sunt aut *infideles* qui fidem nondum susceperunt, nec in viâ sunt ut mox profiteantur ; aut *catechumeni*, qui se disponunt ad illam amplectendam, et suscipiendum Baptismi sacramentum. Hoc autem duplex genus laicorum ad Ecclesiam quidem non pertinent, quia nondum sunt de ejus corpore; attamen non omnino sunt ab Ecclesiâ alieni, cùm teneantur ipsam ingredi, vicissimque Ecclesia debeat eisdem veram religionem evangelizare, eosque in viam salutis, quantum fieri potest, introducere, juxta hæc Christi verba : « *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Pa-* » *tris*, etc. » (S. Matth., c. 28, v. 19). Baptizati autem ad Ecclesiam pertinent, ipsique per baptismum incorporantur : ab ipsâ tamen per excommunicationem, schisma, hæresim abscinduntur, saltem si hæc denuntiata sunt : quamvis et etiam tunc ipsi subjiciantur ac obedire debeant.

3138. De Catechumenis dicemus tractando de Baptismo (3302-3306). De pluribus autem baptizatorum officiis quæstio erit in libro sequenti, tractando præsertim de sacramentis. Cætera baptizatorum seu fidelium officia exponuntur apud Theologos morales.

Hic duntaxat est observandum in genere quòd ecclesiasticis canonibus debeant obtemperare baptizati prout singulos eorum concernunt, et quòd ipsis incumbit obligatio providendi ex suis quisque bonis, variis cultûs divini et Ecclesiæ ministrorum necessitatibus : Christus enim *ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (1 Cor., cap. 9, v. 14).

3139. Quoad verò *fideles*, certè auctoritas plena et independens ipsis prædicandi data fuit à Christo Summo Pontifici pro toto orbe, et hoc est de fide ; Episcopis autem data fuit à Deo auctoritas subordinata eosdem fideles in propriâ diœcesi docendi, et hoc est etiam certè tenendum ; probaturque cap. 20, v. 28, Actuum Apostol., ubi dicitur : « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. » posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. » Habent quoque parochi potestatem docendi fideles in propriâ parochiâ commorantes, sed tantùm jure ecclesiastico et cum debitâ subjectione erga Episcopos. Laicis verò nulla propriè dicta potestas competit alios docendi ; sed ad summum aliqua facultas, modò eis non fuerit ablata, et prudenter exerceri possit : unde dicitur in cap. *Cùm ex injuncto, de hæreticis* : « Licet autem desiderium intelligendi divinas Scripturas, » et secundùm eas *studium adhortandi reprehendendum* » *non sit*, sed potiùs *commendandum*, in eo tamen apparent » quidam laici meritò arguendi, quòd occulta conventicula » celebrant, *officium prædicationis sibi usurpant*, sacerdotum simplicitatem eludunt, et eorum consortium aspernantur qui talibus non inhærent. »

3140. Quærit. 1° An Ecclesia habeat potestatem infideles ad fidem suscipiendam cogendi ?

Resp. *Negativè*. Constat ipsâmet S. Scripturâ (1 Cor., c. 5, v. 13) : « Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare... Nam eos qui foris sunt Deus judicabit. » Constat

pariter jure canonico : sic habet capit. *Sicut Judæi*, *de Judæis et Saracenis :* « Statuimus ut nullus invitos vel nolentes Judæos ad Baptismum venire compellat : si quis » autem ad Christianos causâ fidei confugerit, postquam » voluntas ejus fuerit patefacta, Christianus absque calumniâ efficiatur ; quippe Christi fidem habere non creditur » qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed » invitus cogitur pervenire. »

Ratio est quia, ut dicitur in can. *De Judæis,* distinct. 45: « non vi, sed liberi arbitrii facultate ut convertantur, suadendi sunt, non potiùs impellendi. »

3141. Proinde nec etiam Principes sæculares potestatem habent compellendi ad amplectendam fidem christianam. Attamen tam Ecclesia quàm Principes christiani potestatem habent cogendi infideles qui sibi temporaliter sunt subjecti (non autem alios defectu jurisdictionis), *ad auditionem fidei:* ratio est quia sic infideles non coguntur ad credendum ; et tamen eis datur opportunitas illam pro æternâ animarum suarum salute amplectendi : probatur insuper non tantùm plurium Principum christianorum exemplo, sed et Pontificum : sic Nicolaus III Bullâ *Vineam*, et Gregor. XIII, Constit. *Sancta Mater Ecclesia*, Judæos sibi temporaliter subjectos cogebant ad auditionem fidei. Vide R. de M., tom. 2, p. 13.

Romæ Judæi compelluntur semel in hebdomadâ ad audiendam prædicationem fidei catholicæ, sed non ideo adiguntur, ut patet, ad illam amplectendam. Vide Lequeux, n° 1340 *bis*, edit. 3.

3142. Imò à sacris canonibus inculcatur Principibus christianis obligatio Saracenos, qui ipsis subjicerentur, à publicâ Mahumetis invocatione compescendi (Clem. 1, *De Judæis*), quia eos ut specialiter sibi adversantes Ecclesia habet. Magis autem ab ipsâ tolerantur Judæi, quia propter divinas Scripturas apud ipsos conservatas, causæ Ecclesiæ inserviunt.

3143. Quærit. 2° An et quomodo illicita sit communicatio cum infidelibus ?

Resp. 1° Semper illicita est communicatio fidelis cum

infideli in iis quæ pertinent ad superstitiosum ejus cultum: communicatio autem in rebus civilibus *per se* non est prohibita cum infidelibus, nisi quatenus esset fidelibus periculosa.

3144. Diximus *per se* : quia ex jure positivo in pluribus prohibita est hæc communicatio; sic 1° in cap. *Judæis* 5, *de Judæis*, sancitum fuit : « Judæi sive Saraceni, neque sub » alendorum puerorum suorum obtentu, nec pro servitio, » vel aliâ quâlibet causâ, christiana mancipia in domibus » suis permittantur habere : excommunicentur autem qui » cum eis præsumpserint habitare. » Ex hoc tamen Concilii Lateran. III canone concludi nequit vetitum esse christianis in servos habere Judæos vel infideles, quia servitus potiùs contemptum quàm veram familiaritatem prodit; imò non est vetitum christianis inservire Judæis aut aliis infidelibus more operariorum, modò cum ipsis non cohabitent. Vide cap. *Multorum* 2, *de Judæis*.

3145. Sic 2° prohibentur christiani ne ad convivia Judæorum accedant, vel ad propria convivia eos invitent: « Omnes deinceps sive clerici sive laici Judæorum convi- » via evitent, neque eos ad convivium quisquam invitet » (Cap. *Omnes* 14, causa 28, q. 1). Fas esset tamen cum Judæis manducare in tabernâ, vel ad eorum cauponas divertere, vel alio modo comedere sinè invitatione. Vide Patuzzi, ap. *Cursum complet.*, tom. 6, col. 644.

3146. Sic 3° dicitur in cap. 13 *Nullus*, causa 28, q. 1: « Nullus... azyma Judæorum manducet, aut aliquem » eorum in infirmitatibus suis vocet, aut medicinam ab eis » percipiat, aut cum eis in balneo lavet; si verò quisquam » hoc fecerit, si clericus est, deponatur : si laicus excom- » municetur. » — Dicta comestio azymorum prohibetur tantùm si fiat ritu judaico, et quatenus est instituta à lege judaicâ, non verò si fieret ad famem extinguendam, vel ad alium finem licitum. Item possunt vocari medici Judæi, si non adessent christiani æquè idonei, vel si alia esset consuetudo. Vide Patuzzi, ap. *Curs. complet.*, tom. 6, col. 647.

3147. Insuper juxta cap. *Cùm sit* 16, *de Judæis*, nec

debent Judæis committi officia publica quibus competit potestas in christianos : « cùm sit nimis absurdum quòd » blasphemus Christi in christianos vim potestatis exer- » ceat. » Vide Reiffenst., *De Judiciis*, pars 3, lib. 5, tit. 6, n° 16.

3148. Resp. 2° Communiter infideles non sunt admittendi ad eas sacras functiones inspiciendas quæ propriæ sunt religioni christianæ, puta missæ sacrificium. Vide S. Thomam (3 pars, q. 86, art. 4, ad 4). Canon autem *Episcopus* 67, *de consecrat.*, dist. 2, ex Concil. Carthagin. IV extractus, sic habet : « Episcopus nullum prohibeat » ingredi ecclesiam audire verbum Dei, sive gentilem, sive » hæreticum, sive judæum, usque ad missam catechume- » norum. » Si tamen boni fructus sperarentur, non essent expellendi à missâ, juxta De Lugo, ap. Lequeux, n° 1341, *in fine*. Vide infra (6130).

3149. Quid verò sit sentiendum de ritibus Malabaricis aut Sinensibus, vide Constit. Bened. XIV *Omnium sollicitudinum*, et Constit. *Ex quo singulari;* et etiam Lequeux, n° 1340.

3150. Quærit. 3° An sinè consensu parentum suorum baptizari possint filii infidelium?

Resp. Vel illi infideles fuerunt antea fideles, et tunc etsi unus eorum duntaxat fuisset talis, eorum proles, ipsis invitis, baptizari potest, quia parentes remanent sub potestate Ecclesiæ ; vel semper infideles fuerunt, et tunc *regulariter* eorum filii non sunt baptizandi sinè illorum consensu. Ita sentiunt communiter theologi et canonistæ : ratio est quia vel infantes hujusmodi relinquerentur sub patriâ potestate vel ab eâ subducerentur : si priùs, evidenti periculo profanationis et sacrilegii exponeretur gratia sacramenti ; si posteriùs, injuria gratis inferretur parentibus sub quorum tutelâ jure naturali constituuntur infantes. Vide S. Thomam, 2, 2, q. 10, art. 12; S. Liguor., lib. 6, n^is 127 et 132.

3151. Diximus *regulariter*, quia plures sunt casus excipiendi : nempe 1° periculum proximum mortis, quia in hoc casu cessat periculum subversionis, et per baptismum providetur saluti æternæ infantis æternam damna-

tionem absque eo evadere non valentis; 2° si puer à parentibus fuisset expositus aut derelictus, quia tunc parentes jus suum à naturâ in filios datum cedere censentur; 3° si unus è parentibus, etiam sola mater, consentiat, quia in tali dissensu, justior sententia est præferenda; 4° si puer usum rationis habere præsumatur, quia in ordine ad salutem pueri à parentibus non pendent : in dubio de usu rationis sufficit pueros esse septem annorum. Vide alios casus apud Bened. XIV, Constit. *Postremo mense*, et apud S. Liguor. (lib. 6, n^is 126, 128, 129, etc.).

3152. Sapienter docet Bened. XIV puerum in casibus supra enuntiatis baptizatum, separandum esse à parentibus, et in loco tuto custodiendum ut christianè educetur. Idem est dicendum quoad filios hæreticorum, si separatio obtineri possit : si secus, nihilominus licet illos baptizare secundùm probabiliorem sententiam. Hoc idem jam statuerat Concil. Toletan. IV, his verbis : « Judæorum filios, » vel filias, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab » eorum consortio separari decernimus, deputatos aut » monasteriis aut christianis viris..., ut sub eorum conver» satione cultum fidei discant, atque in melius instituti, tam » in moribus quàm in *fide proficiant.* » Cap. *Judæorum*, causa 28, q. 1. His posterioribus verbis patet agi in hoc canone de filiis Judæorum *jam baptizatis;* unde S. Congr. Inquisitionis improbavit opinionem Calderini, qui docuerat parvulos baptizatos Judæis parentibus esse restituendos, dummodo parentes ingenuè spondeant hos parvulos nihil contra fidem catholicam fore edocendos, imò reddendos esse Christi fidelibus cùm ad ætatem convenientem pervenerint; et ratio hujus improbationis est, quia jus parentum in filios, etsi naturale, non est tamen primarium, proinde cessare potest quando alterum jus præponderans contrarium postulat : sic filii possunt, imò et debent subduci è tutelâ parentum impiorum qui ipsorum vitæ aut moribus insidiarentur; cessare ergo potest pariter, imò et debet, casu quo sub curâ parentum manere non possent sinè manifesto periculo amittendi gratiam baptismi ab ipsis receptam, et quam tenentur servare usque ad mortem : jus

enim parentibus in filios, propter ipsorum natorum utilitatem fuit à naturâ datum; ergo contra ipsos filios non est retorquendum; proinde filii jus habent, quoties id eis utilius est, posse eripi ab eorum noxiâ potestate.

3153. Etsi hæc doctrina nondum fuerit dogmaticâ constitutione definita tanquam de fide, non potest tamen improbari absque *notâ temeritatis*, juxta *Prælectiones Sancti Sulpitii*, n° 279, in fine.

Hic notandæ sunt sequentes decisiones Inquisitionis: *Prima*, anni 1777, dicit « non licere, extra periculum seu ar- » ticulum moraliter certum imminentis mortis..., infantes » à parentibus infidelibus, ultrò etiam oblatos, baptizare, si » post baptismum in parentum infidelium potestate relin- » quendi sunt. »

In *Secundâ* 22 julii 1840, S. C. declaravit: « Utroque pa- » rente in infidelitate permanente, non licere (filios baptizare) » secluso tamen mortis periculo, quando filii sint in eorum » potestate relinquendi, etiamsi detur promissio filios, » cùm adoleverint, de suscepto baptismo certiores faciendi, » eisdemque permittendi exercitium religionis christianæ. » Quando verò unus eorum sit infidelis et alter christianus, » et ambo concordes postulant baptismum pro filiis, licere » in casu quo vitæ periculum imminere videatur. Monen- » dum tamen parentem christianum ut filium vel filios in » religione christianâ educare sedulò curet, si convalue- » rint. » Vide *Analecta juris pontificii*, novembre 1855, col. 1806, ubi referuntur casus in quibus S. Congregatio fuit indulgentior.

3154. Objicies: Ex supra dictis parentes jus non habent in filios nisi propter illorum utilitatem; ergo non possunt impedire quominus baptizentur; ergo, etc.

Resp. Reverà parentes non habent jus impediendi quominus eorum filii baptismum suscipiant, sed non ideo sequitur quòd Ecclesia possit, invitis parentibus infidelibus, illorum filios baptizare: nam antequam infantes baptizentur, nec obligationem nec jus habent servandi gratiam baptismalem; nec pariter Ecclesia habet obligationem providendi illorum saluti, nisi consentientibus pa-

rentibus, ob innumerabilia et gravissima inconvenientia quæ aliter provenirent; secus quando infantes sunt baptizati : tunc etiam non exoriuntur tam frequentia inconvenientia, cùm rari sint casus in quibus, invitis parentibus, conferri possit aut de facto infantibus conferatur baptismus.

3155. *Nota* quòd perpetuò amentes possint semper baptizari, insciis parentibus.

3156. Quærit. 4° An infideles cogi possint ad deserendos errores contra legem naturalem?

Resp. Vel infideles sunt subditi, vel non sunt subditi: in primo casu, cogi possunt ad deserendos dictos errores, non verò in casu posteriori : responsio habetur ut certa. (Vide *Instit.*, R. de M., tom. 2, p. 14.)

Prima pars probatur à Suarez ex praxi Ecclesiæ : « Nam, » inquit (*De Fide,* disp. 18, sect. 4), Christiani Imperatores » a principio, pro temporum commoditate, hoc observârunt ..... : Constantinus statim præcepit ut templa idolorum clauderentur et idololatria cessaret...; postea verò » Theodosius plures leges tulit quibus idolorum cultores » damnavit, quæ habentur in Codice Theodosiano, etc...: » quas leges approbavit Augustinus, epist. 48, 50, 24, et » Ambrosius, epist. 30; et præterea multa Concilia hujus» modi usùm approbârunt... » (Vide apud R. de M., *ibid.*)

Probatur insuper ratione : Principibus enim data fuit à Deo potestas ut rempublicam in pace et justitià contineant: quod nequit fieri nisi subditi inducantur ad vivendum secundùm virtutem moralem; porrò ad hoc requiritur ut subditi abjiciant errores contra legem naturalem, veram religionem et cultum veri Dei; ergo ad hoc possunt cogi; sed ad hoc requiritur potestas publica; nec licitum est privato christiano cogere infidelem ad tollenda idola, vel privatà auctoritate illa destruere : unde invenitur in can. 60 Concil. Eliber. quòd christianus frangens idola proprià auctoritate, etiamsi occidatur, martyr non reputatur : quia indiscretè et proprià auctoritate in hoc se ingessit. Ita Suarez, apud R. de M., tom. 2, p. 17.

Secunda pars probatur hâc præsertim ratione : quòd « sicut unus homo privatus non potest alium etiam priva-

» tum punire vel cogere, neque unus Rex fidelis ab alio » fideli, neque infidelis ab infideli : ita nec respublica in- » fidelis in suo ordine supremo potest puniri ab Ecclesiâ » propter sua delicta, etiamsi contra rationem naturalem » sint. Ergo non potest cogi ut idololatriam vel similes ritus » auferat. » Ita Suarez, *ibid.*

Unde Nicolaus Papa I ad interrogationes Bulgarum respondens dixit : « De iis qui idolis immolant nihil aliud di- » cere possumus, nisi quòd ratione potiùs quàm vi con- » vincendi sunt. » Liquet quòd maxima mala ex oppositâ sententiâ sequerentur.

ART. II.

DE LAICIS QUATENUS PERSONIS DOMESTICIS.

3157. Tales sunt qui pertinent ad societatem conjugalem, aut parentalem, aut herilem; de iis præsertim agitur in tractatu *de Matrimonio*, aut *de Decalogo* : sufficit hic quædam dicere de servitute.

Per servos intelliguntur miserabiles illi homines subditi dominio alterius qui illorum operibus fruitur.

Non pauci, præsertim moderni philosophi et politici, *magno humanitatis apparatu sententiarumque fastu* (inquit R. de M., tom. 2, p. 102), servitutem reprobant; sed in hoc veritatis et moderationis limites prætergrediuntur, ut patebit ex sequenti propositione :

3158. *Propositio.* — Servitus ex se nec juri naturali nec divino repugnat, nec fit illicita, nisi quando à lege humanâ prohibetur.

I. *Servitus non repugnat juri naturali :* etenim per servitutem quis ad alterum pertinet quoad usum suarum facultatum corporearum ; porrò juri naturali non repugnat talem usum facultatum alicujus ad alterum pertinere : ad hoc sufficit quòd hujusmodi usus ab aliquo justè tolli et in illius possessionem alter manumitti possit; atqui in hoc nulla injustitia unquam inveniri poterit : 1° supponi potest quòd quis spontaneè servitio alterius se subjiciat sive mo-

tivo virtutis, v. g. ad subveniendum necessitatibus parentum, sive ut suis necessitatibus provideat aut alio legitimo motivo. Et in his circumstantiis nihil esse potest contra jus naturale : cùm homo jus habeat disponendi quoad usum de suis membris, et suæ libertatis sit dominus, ut constat conscientiâ omnium, et illustri exemplo S. Paulini qui servum se fecit pro filio cujusdam viduæ à servitute liberando. 2° Supponi potest quòd in bello quis captivus fiat ab hostibus pro justitiâ certantibus; porrò si bellum etiam *jus vitæ* tradat, quomodo non daret etiam jus captivos in servitutem perpetuam redigendi ? Hoc jus tamen prohibetur quando Christiani à Christianis, in bello etiam justo, capiuntur. 3° Supponi potest quòd quis ad servitutem damnetur propter delictum per sententiam legitimi judicis; si enim ad perpetuos triremes, imò ad mortem quis potest justè damnari propter sua delicta, ergo à fortiori ad perpetuam servitutem. Ergo juri naturali servitus non repugnat.

3159. — II. *Non repugnat juri divino :* innumeri textus citari possent in probationem; sufficiat referre verba Apostoli ad Ephesios (cap. 6, v. 5) : « *Servi*, *obedite* dominis » carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis » vestri, sicut Christo. »

Confirmari adhuc potest multis capitulis juris canonici : sic habet cap. *Episcopi, de rebus eccles. non alienandis :* « Episcopi qui nihil ex proprio Ecclesiæ Christi conferunt, » *liberos* ex famulis Ecclesiæ ad condemnationem suam » facere non præsumant; impium est enim ut qui res » suas Ecclesiæ non attulerit, damnum inferat. *Tales* igitur » *liberos* successor Episcopus absque aliquâ oppositione ad » jus Ecclesiæ revocabit. » Vide insuper cap. *Consensus*, *ibid.;* cap. *Si quis servum*, causa 22, q. 4, etc. — Ergo 2°, servitus non repugnat juri divino. Ergo, etc. — Vide R. de M., tom. 2, p. 104.

3160. Etsi jus divinum et canonicum non reprobent servitutem justo titulo inductam, injustam tamen damnant ac severè prohibent; quin etiam legitimam variis temperamentis moderantur : sic enim legitur in Epist. ad Ephesios, c. 6, v. 9 : « Et vos domini eadem facite illis (servis) re-

» mittentes minas, scientes quia et illorum et vester Domi-
» nus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud
» Deum. »

Item quoad jus canonicum, capit. *Ecclesiarum*, causa 12, q. 2, districtè prohibet ne servi Ecclesiæ angariis vexentur; et vult ut qui id faciunt excommunicentur. Vide etiam cap. ult., causa 29, q. 2; et S. Gregor. Magnum, lib. 2, ex reg. Ep. 1.

Sufficiat hîc transcribere verba Const. *In supremo* Gregorii XVI : « Dolentes admodum dicimus : fuerunt subindè
» ex fidelium numero qui sordidioris lucri cupidine tur-
» piter obcæcati, in dissitis remotisque terris Indos, Nigritas,
» miserosve alios in servitutem redigere, seu instituto am-
» pliatoque commercio eorum qui captivi facti ab aliis fue-
» runt indignum horum facinus juvare non dubitârunt. Haud
» sanè prætermiserunt plures gloriosæ memoriæ Romani
» Pontifices prædecessores nostri reprehendere graviter...
» illorum rationem, utpote spirituali ipsorum saluti noxiam
» et christiano nomini probrosam...: quò spectant Aposto-
» licæ Litteræ Pauli III, die 29 maii 1537, Urbani VIII
» datæ die 22 aprilis 1639, quibus... ii... gravissimè coer-
» centur qui Occidentales aut Meridionales Indos in servi-
» tutem redigere, vendere, emere, commutare, vel do-
» nare, ab uxoribus et filiis suis separare, rebus et bonis
» suis spoliare, ad alia loca deducere et transmittere, aut
» quocumque modo libertate privare, in servitutem retinere,
» necnon prædicta agentibus, consilium, auxilium, favo-
» rem et operam, quocumque prætextu et quæsito colore,
» præstare, aut id licitum prædicare auderent seu præ-
» sumerent. »

In eâdem Constit. ostenditur quomodo servitus tam dura apud Gentiles per legem evangelicam fuerit mitigata, et quomodo etiam « *progressu temporis* Ethnicarum super-
» stitionum caligine pleniùs dissipatâ, et aliorum populo-
» rum moribus fidei per charitatem operantis beneficio
» mitigatis, res eò tandem devenit ut jam à pluribus sæ-
» culis, nulli apud plurimas christianorum gentes servi
» habeantur. »

[1] Cf. litt. Encycl. Leonis XIII ad Episc. Brasiliæ, *In plurimis*, 5 maii 1888.

ART. III.

DE LAICIS UT PERSONIS CIVILIBUS.

3161. Certum est, et ab omnibus DD. catholicis admissum, hominem à Deo fuisse destinatum ad vivendum in societate; id constat non tantùm Scripturâ Sacrâ, sed naturâ ipsâ hominum: sive enim ratione corporis sive ratione animæ considerentur homines, manifestè apparet quòd frequentissimè ac continuè aliorum consortio et adjutorio indigeant: pro vestitu nempe, pro victu, pro habitatione, pro morborum curatione, pro itineratione et pro sexcentis aliis necessitatibus ad suos consimiles recursum habere debent; item pro addiscendis scientiis, vel historiâ factorum præteritorum conservandâ, pro tuitione suorum jurium contra injustos invasores, pro ducendâ tranquillâ vitâ, et pace servandâ, etc., etc. Quapropter à naturâ sanè ipsis inditus est appetitus quasi invincibilis vitæ socialis, ex quo fit ut solitudo communiter fugiatur et quæratur aliorum consortium.

3162. Societas ergo est à Deo instituta in genere: quoad verò societatem in specie, seu quoad modum specialem quo constituuntur variæ societates quæ in mundo exstant, hoc pendet à determinatione hominum; ex quo evenit ut diversificentur formæ guberniorum: ibi enim prævalet forma monarchica, alibi aristocratica aut democratica, etc.; hæc generatim Deus arbitrio hominum dimittit, etsi suâ providentiâ semper dirigat.

3163. Finis autem societatis civilis est vita humana tranquillè et beatè ducenda, proinde cum observatione justitiæ et honestatis morum; et quia ad hæc obtinenda maximi momenti est observatio religionis, summâ curâ custodiri debet religio in societate; unde S. August. (libro *de veritate prædestin.*) ait: « Imperator non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloriâ, quia apicem terreni principatûs accipit; sed si in Imperiali culmine rectâ fide vivat..., si præ omnibus se Sanctæ Matris Ecclesiæ catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquilli-

» tati per universum mundum prodesse faciat suum prin-
» cipatum. Magis enim christianum regitur ac propagatur
» imperium dum ecclesiastico Statui per universam terram
» consulitur, quàm cùm in parte quâcumque terrarum
» pro temporali securitate pugnatur. »

In eodem sensu Concil. Trident. (sess. 25, c. 20) sic curam rerum divinarum Principibus commendat: « Cu-
» piens S. Synodus ecclesiasticam disciplinam in christiano
» populo non solùm restitui, sed etiam perpetuò sartam
» tectam à quibuscumque impedimentis conservari, præter
» ea quæ de ecclesiasticis personis constituit, sæculares
» quoque Principes officii sui admonendos esse censuit,
» confidens eos ut catholicos, quos Deus sanctæ fidei
» Ecclesiæque protectores esse voluit, jus suum Ecclesiæ
» restitui, non tantùm esse concessuros, sed etiam subditos
» suos omnes ad debitam erga clerum, parochos et supe-
» riores ordines reverentiam revocaturos. »

3164. Ne concludas, si ad societatem et principem spectet curam habere de religione, inde sequi principes infideles, paganos, hæreticos, etc., debere etiam protegere et defendere suum cultum, seu potiùs errores: nam vera religio potest discerni à falsis religionibus, et Principi duntaxat incumbit veram religionem protegere et defendere, non verò falsam, hæresim vel sectam tueri.

3165. Cura tamen quam sæcularis Princeps habere debet de religione, non in eo consistit ut decernat quæ ad ipsam pertinent, sed tantùm ut exequatur quæ à spirituali potestate, Ecclesiâ videlicet, statuuntur : non enim Principibus, sed Primis Ecclesiæ Pastoribus dictum fuit :
« Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ : euntes
» ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos
» servare omnia quæcumque mandavi vobis » (S. Matth., c. 28, v. 18); aut iterum : « Pasce agnos meos... pasce oves
» meas » (S. Joann., 21, 11). Undè dicitur in cap. *Si Imperator,* dist. 96 : « Si Imperator catholicus est... filius est, non
» præsul Ecclesiæ; quod ad religionem competit, discere
» ei convenit, non docere; habet privilegia suæ potestatis
» quæ administrandis legibus publicis divinitùs consecutus

» est, ut ejus beneficiis non ingratus contra dispositio-
» nem cœlestis ordinis nil usurpet. Ad sacerdotes enim
» Deus voluit quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere,
» non ad sæculi potestates; quas si fideles sunt, Ecclesiæ
» suæ sacerdotibus voluit esse subjectas... Imperatores
» christiani subdere debent executiones suas ecclesiasticis
» Præsulibus, non præferre. »

3166. Quærit. 1° An et quatenus à Deo derivet potestas Principum sæcularium?

Resp. 1° Certum et etiam de fide est auctoritatem Principis sæcularis à Deo procedere : « Per me reges regnant », ait Deus in Proverbiis, cap. 8, v. 15; et in Sapientiâ, cap. 6, v. 2, 4 : « Audite ergo reges, et intelligite... quoniam » data est à Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo »; et Apostolus, Rom., 13, 1 : « Non est potestas nisi à Deo; » quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. »

3167. — 2° Non tamen immediatè à Deo Principi sæculari venit potestas, sed mediatè tantùm : non enim Deus, ait R. de M. (tom. 2, p. 131) « *viâ saltem ordinariâ...*, » revelatione positivà designat hoc subjectum (hanc vel » hanc personam in individuo), sed per ipsammet societa- » tem, quæ sibi unam aut aliam formam regiminis præ- » stitit, consequenterque ad eam formam, in hâc vel in » his personis principatum collocat. »

« Diversæ provinciæ vel nationes, inquit Suarez (*Def.* » *fidei*, lib. 3, c. 2), diversos etiam gubernationis modos » elegerunt, et nulla illarum contra rationem naturalem, » aut contra Dei immediatam institutionem operatur. » Quare signum est potestatem politicam non esse à Deo » immediatè donatam uni personæ, Principi, Regi, aut » Imperatori : alioquin illa esset Monarchia immediatè à » Deo constituta; vel uni vel alicui particulari Senatui, » aut particulari Congregationi paucorum Principum : alio- » quin esset illa Aristocratia à Deo immediatè instituta : » idemque argumentum de quâcumque mixtâ gubernatione » fieri potest. »

Diximus *viâ saltem ordinariâ :* quia in quibusdam casibus, sustineri forsan posset Principes à Deo fuisse imme-

diatè in auctoritate constitutos, videlicet Saülem, David, Salomonem. — Supradicta tamen ab omnibus non admittuntur. Vide R. de M., tom. 2, p. 133.

3168. Quærit. 2° An potestas civilis aliquo modo subordinata sit auctoritati spirituali seu Ecclesiæ?

Resp. 1° Certum et de fide est illam subordinari Ecclesiæ in omnibus causis quæ ad religionem pertinent.

2° Certum est etiam usum potestatis temporalis subjacere judicio Ecclesiæ, quatenus quæstio moveri potest an hujusmodi usus sit, necne, legi christianæ conformis. Vide Bullam *Unam sanctam*, et quæ diximus supra (696-700).

3° Potestas sæcularis non subordinatur auctoritati spirituali quoties agitur de actu merè temporali nullatenus ad jus divinum aut ecclesiasticum pertinenti.

MANUALE

TOTIUS JURIS CANONICI.

LIBER SECUNDUS.

DE REBUS ECCLESIASTICIS SEU SACRIS.

3169. Nomine *rerum ecclesiasticarum* seu *sacrarum*, hic intelliguntur quæcumque res, præter personas et judicia, quæ ad ordinem seu finem supernaturalem spectant.

Duplicis generis sunt : aliæ spirituales, quæ directè et specialiùs respiciunt cultum Dei et sanctificationem animarum, prout sacramenta, sacramentalia, indulgentiæ, preces, festa, ecclesiæ, vasa sacra, sacra supellex, etc.; aliæ temporales quæ specialiter destinantur ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, sublevamen pauperum et comparationem eorum omnium quæ ad cultum Dei pertinent.

Præsentem librum in duas dividemus sectiones : in primâ agetur de rebus sacris spiritualibus, in secundâ de rebus sacris temporalibus.

SECTIO PRIMA.

DE REBUS SACRIS SPIRITUALIBUS.

3170. Tales sunt, ut modò diximus, sacramenta, sacramentalia, suffragia, indulgentiæ, exequiæ, cœmeteria, ecclesiæ aliaque loca sacra, vasa et supellex cultui divino dicata, beatificatio et canonizatio Sanctorum, festa, jejunia, liturgia, divinum officium, vota. De omnibus his disseremus in totidem capitibus; unicuique tamen Sacramento erit caput proprium, post caput de Sacramentis in genere.

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

3171. Sacramenta institutionis sunt divinæ, proinde speciale objectum theologiæ sive dogmaticæ sive moralis : quia

tamen plura de iis statuit Ecclesia quæ proinde ad jus canonicum propriè spectant, non possumus ea omnino prætermittere. De iis ergo est nobis tractandum, generatim quidem in Capite præsenti; in specie verò in Capitibus sequentibus: pauca tantùm dicemus, nempe quatenus opus erit ad disciplinæ ecclesiasticæ circa hujusmodi materias dilucidationem, cætera remittentes ad Institutiones theologicas.

ART. I.

DE SACRAMENTORUM NATURA, NUMERO ET ITERATIONE.

3172. — I. Sacramentum est signum sensibile, à Christo permanenter institutum, ad significandam et conferendam homini gratiam sanctificantem.

Tribus perficiuntur Sacramenta, videlicet: rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, et personâ ministri Sacramentum conficientis, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Ita Conc. Florentin., in Decreto *ad Armenos*.

3173. « Ut Sacramentum sit validum, inquit S. Liguor. » (lib. 6, n° 9), debet inter materiam et formam... tanta » esse conjunctio, ut secundùm moralem hominum æsti- » mationem, spectatâ naturâ cujuscumque Sacramenti, » una alteram afficiat; hoc est, ut verba censeantur cadere » in talem rem, et cum eâ unum totale signum consti- » tuere... » (Ex Busembaum.)

3174. Quænam verò requiratur simultas? — 1° Si agatur de sacramento Eucharistiæ, hæc debet esse physica, cùm pronomen *hoc* et *hic* non possit verificari nisi materia sit præsens.

3175. — 2° Si de cæteris sacramentis sit quæstio, commune est non esse opus simul formam et materiam incipi et finiri; constat ex Rituali, ubi de Baptismo ait: « Et cum eâ » (scilicet aquâ), sub trinâ infusione baptizetur, sic di- » cens: *Ego te baptizo in nomine Patris* †, fundat primò; » *et Filii* †, fundat secundò; *et Spiritus Sancti* †, fundat » tertiò. » Ratio est eadem pro cæteris sacramentis, si

Eucharistiam excipias. Ergo minimè requiritur ut in sacramentorum (præter Eucharistiam) administratione, simul incipiant materia et forma, etc. Imò, quidquid dicat Cajetanus, sufficit inter eas unio moralis, quia Sacramentum est compositum morale; unde etiamsi antequam forma absolvatur fiant ablutio vel unctio, etc., modò unio sit moralis, validum erit sacramentum. Ita communiter, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 9). In praxi tamen tutiùs est ut, quantum fieri potest, non separentur materia et forma.

3176. Porrò hæc unio moralis diversa esse debet pro diversitate Sacramentorum; major enim esse debet in Baptismo, Confirmatione, Extremâ-Unctione aut Ordine quàm in Sacramentis Pœnitentiæ et Matrimonii : etenim in prioribus, mora unius *Pater noster* invalidaret Sacramentum, juxta S. Liguor. cum Tournely et aliis, dum in Pœnitentiâ, sufficit illa unio quam exigit actus judicialis : distantia tamen, inquit idem S. Liguor., non tanta esse debet quantùm in judicio forensi; dicit autem Croix validè absolvi pœnitentem post horam à confessione.

In matrimonio sufficit quòd, sicut in aliis contractibus, consensus unius ponatur dum alterius consensus adhuc moraliter perseverat. Vide S. Liguor. (*ibid.*), qui addit cum Lugo, minimè peccare sacerdotem in præfato casu, qui ad majorem sui animi quietem iterum se faceret ordinari sub conditione.

3177. Ut valeat Sacramentum, adhibendæ sunt materia et forma quas Christus præscripsit; nec in eis debet fieri ulla substantialis mutatio : substantialis autem mutatio fieret, si res adhibitæ, secundùm communem usum et hominum æstimationem, differrent nomine et re ab iis quæ à Christo fuerunt institutæ, aut verba alium sensum haberent. (S. Liguor., *ib.*, n° 11.)—Quandonam hæc contingant, vide dictum *ibidem*, et apud varios theologos.

3178. — II. De fide est septem esse Sacramenta : « Si » quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à » Domino Nostro instituta, aut esse plura vel pauciora » quàm septem : videlicet Baptismum, Confirmationem, » Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem,

» Ordinem et Matrimonium, anathema sit. » Concil. Trident., sess. 7, can. 1.

3179. — III. Pro iteratione sacramentorum in casu quo dubitatur de validâ applicatione materiæ et formæ, sequentes regulas tradit P. Gury, in suo *Compendio Theologiæ moralis* (edit 5ª, tom. 2, nº 113):

« 1º Sacramenta iterari possunt quoties datur dubium » prudens de ipsorum valore (non sufficit leve dubium » juxta S. Liguor., lib. 6, nº 134) : ratio est quia si fortè » Sacramentum non valeret, qui ad illud suscipiendum » accedunt, ejus fructu privarentur...

» 2º Sacramenta generatim iterari non possunt sinè peccato gravi, quando non habetur dubium prudens de eorum » valore : ratio est quia inutiliter prorsùs iterarentur et » eis gravis injuria irrogaretur, dum in vanum materia et » forma sacramentalis applicarentur.

» 3º Sacramenta repeti debent quoties, posito prudenti dubio de eorum valore, id postulat caritas, justitia » et religio..: quia nullitas Sacramenti, si fortè adesset, in » damnum proximi et aliquando in contemptum et irreverentiam religionis cederet. Sed conditionatè tantùm » tunc repetenda sunt, ut reverentiæ Sacramenti consulatur. Voit, nº 29...

» Resolves :

» 1º Faciliùs iteranda sunt Sacramenta magis necessaria » et quæ semel tantùm conferuntur, scilicet Baptismus » et Ordo : etiamsi pro valore Sacramenti militet multò » major probabilitas contra rationes dubiè aut tenuiter probabiles in oppositum. Ita communiter.

» 2º Repetenda est absolutio in pœnitentem in statu » peccati mortalis versantem, si prudenter dubitetur de » prolatione debitâ formæ; si autem pœnitens non sit in » statu peccati mortalis, formam repetere necesse non » erit, cùm ei communio permitti potuisset quin priùs » absolveretur.

» 3º Minister qui leviter dubitat, nescitque cur timeat, » aut solùm non recordatur reflexè se verba formæ pronuntiasse, mortaliter *per se* peccat si formam iteret,

» aut etiam verbum unum, aut syllabam bis, ter, aut qua-
» ter repetat, quia formam mutat inducitque Christum,
» quem repræsentat, ridiculè agentem. Ita communiter. »
—(Dicit tamen S. Liguor., lib. 6, nº 28, *in fine*, cum Lacroix, non peccare mortaliter eum qui *sinè rationabili causâ repeteret unum verbum vel syllabam formæ.*)

« 4° Si in missâ, post consecrationem, dubium tibi
» oriatur de formæ debitâ prolatione, vel de totali omissione,
» nihil repetere debes, nec potes, cùm aliàs hæc omittere
» non soleas: judicandum enim est ex communiter contin-
» gentibus, nisi tamen valde probabiliter dubites. »

3180. Quærit. An reiterandus sit Baptismus, privatim domo à laicis, obstetricibus, etc., vel publicè quidem, sed apud hæreticos collatus?

Resp. Non esse reiterandum Baptismum, quoties constat de validâ applicatione materiæ et formæ cum intentione ex parte ministri faciendi quod facit Ecclesia: cùm propter impressum caracterem sit initerabile hoc Sacramentum; sed difficultas est an hæc sufficienter constent ex testimonio unius personæ, v. g., obstetricis Baptismum conferentis, vel an fuerint ritè peracta si facta fuerint apud hæreticos.

Quoad *primum*, sunt qui negant plenam fidem esse adhibendam testimonio unius personæ laicæ Baptismum privatim conferentis; imò sunt qui volunt indistinctè esse rebaptizandos sic baptizatos, nisi Baptismum debitè fuisse administratum comprobetur attestatione aliorum qui præsentes fuerunt huic administrationi. Ita plures Synodi apud S. Liguor., lib. 6, nº 136, et Statuta plurium diœcesium, uti v. g. Bellicensis, Parisiensis, et istius diœcesis Valentinensis [1]. Et reverà sæpe non nisi imprudenter fides plena adhiberetur dicto testimonio. Attamen generali regulâ non potest statui reiterandum esse Baptismum privatim colla-

[1] « On doit réitérer le baptême des enfants qui, dans un cas pres-
» sant, ont été ondoyés dans les maisons particulières, à moins qu'il
» ne se trouve deux témoins dignes de foi qui attestent avoir vu verser
» l'eau, et rendent compte de la manière dont le baptême a été admi-
» nistré. » (*Ordonn. de Valence*, p. 202)— Sed hoc statutum à Concilio Provinciali Avenionensi anni 1849, infra relato, fuit reformatum.

tum, etsi unius duntaxat testimonio constet illum fuisse debitè administratum. Ecclesia enim non plus requirit tunc quàm testimonium unius personæ fide dignæ, etiam feminæ; id constat ex cap. *Cùm itaque* 112, de Consecr., dist. 4, S. Leonis 1 : « Cùm itaque Baptismi sui nihil » recordetur qui regenerationis est cupidus, nec *alter* » attestari de eo possit...., non potest in itinerationis cri- » men venire quod omnino factum esse nescitur : atque » ideo quoties persona talis inciderit, sollicitâ primùm exa- » minatione discutite, et longo tempore, nisi fortè supre- » mus finis immineat, indagate utrum *nemo* penitus sit » qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis; » et cùm constiterit hunc, qui baptismatis indiget Sacra- » mento, solâ inaniter suspicione prohiberi, accedat intre- » pidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum » scit esse vestigium. »

Item in canone *Parvulos* 110, de consecr., 4 : « Parvulos » qui parentibus subtracti sunt, et an baptizati sint, igno- » rant, hos ut baptizare debeas..., si non *fuerit qui testifi-* » *cetur*, ratio poscit. »

3181. Unde Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 7, c. 6, n° 4) dicit cum Cardin. Albitio : « Improbandas esse Synodos in » quibus generatim atque indistinctè, iterum sub condi- » tione in ecclesiâ baptizari jubentur quicumque privatim » fuêre ab obstetricibus domi baptizati... Enim verò, pergit » Pontifex, si obstetrices de sacramenti materiâ, formâ et » necessariâ in ministro intentione sint legitimè edoctæ » (de hoc autem sedulò inquirere debet parochus), nulla » sanè subest probabilis ratio cur Baptismus debeat, aut » licitè possit sub conditione repeti... *Sacri canones suffi-* » *cienter probatam habent collationem Baptismatis per uni-* » *cum testem*, præcipuè si is testificetur de facto proprio, » hoc est si affirmet illud fuisse à se legitimè administra- » tum, nec quidquam in contrarium occurrat quod illius » testimonio fidem detrahat... » Hæc est communissima et vera sententia, inquit S. Liguorius (lib. 6, n° 136).

3182. In his tamen cautè est procedendum : unde « S. Congr. Concil. interrogata an iterum baptizandi essent

» infantes vulgò *expositi*..., etiamsi habeant collo appen-
» sam schedulam attestantem eos fuisse Baptismate ablu-
» tos : die 15 jan. 1724, respondit esse denuò baptizandos
» sub conditione, nisi certa habeatur notitia personæ à quâ
» schedula sit exarata, aut aliunde indubitatum desumatur
» indicium Baptismatis rìtè eisdem collati. » (Bened. XIV, *ib.*, nº 5.)

3183. Si verò quæstio esset de adultis, non sunt rebaptizandi, etiam sub conditione, illi qui nati sunt ex parentibus christianis et inter fideles educati, quamvis nullum testimonium habeatur accepti Baptismi, ut expressum habet cap. *Veniens* 3, *de presbyt. non baptiz.*, modò non occurrant graves rationes suspicandi illos non fuisse baptizatos. Refert enim P. Zacharia censuisse S. C. baptizandam esse sub conditione quamdam mulierem eò quòd nullum potuerit reperiri vestigium Baptismi, nec Matrimonii parentum assertorum. Vide S. Liguor. (lib. 6, nº 134).

3184. Casu quo reiterandus est baptismus dubius, non est necessariò præmittenda confessio, sed sufficit præmittere dolorem de peccatis. — (S. Liguor., lib. 6, nº 136, in fine.)

3185. Quoad *secundum*, baptizatos nempe ab hæreticis, attendendum est an in eorum sectâ aliquid innovatum fuerit circa Baptismi materiam et formam à Christo institutas. Si ergo constet nihil ab hujusmodi hæreticis fuisse circa prædicta innovatum, non debet reiterari Baptismus : alioquin daretur locus suspicandi sic rebaptizantes venire in errorem rebaptizantium à S. Stephano I et à Concilio plenario, de quo loquitur S. Augustinus (lib. 2, c. 8, *de Bapt. contra Donatistas*), damnatum.

Attamen, inquit Bened. XIV (*ibid.*, nº 7), « si diligenti
» præmissâ perquisitione, rei veritatem certò assequi ne-
» quiverit (Episcopus), et dubia sibi atque incerta rema-
» neat validitas Baptismatis ab hæretico ministro suscepti,
» illud utique erit sub conditione repetendum. » Et ita declaratum asserit Benedictus XIV à S. Congreg. Concilii, die 27 martii 1682.

Meritò autem videtur esse dubitandum de validitate Bap-

tismi ab hodiernis Protestantibus collati : cùm enim eum minimè necessarium esse reputent ad salutem, parum curant de eo rectè administrando. Ita etiam S. Liguor., lib. 6, n° 137.

Addit verò (n° 9) Bened. XIV : « Caveat tamen Episco-
» pus ne incertam et dubiam pronuntiet Baptismi validi-
» tatem, hoc tantùm nomine quòd hæreticus minister à
» quo fuit collatus, cùm non credat per regenerationis la-
» vacrum deleri peccata, illud non contulerit in remissio-
» nem peccatorum, atque ideo non habuerit intentionem
» illud conficiendi prout à Domino est institutum : siqui-
» dem, cùm in Galliis disputatum olim fuerit an ob præ-
» dictam rationem, rebaptizandi essent baptizati à Calvi-
» nistis, S. Pius V, ad quem controversia delata est, minimè
» rebaptizandos definivit : Sacramenti enim validitati non
» officit privatus ministri error, cui prævalet generalis ejus-
» dem ministri intentio faciendi quod Christus instituit,
» seu quod fit in verâ Christi Ecclesiâ. »

3186. Tota responsio ad præsentem quæstionem luculenter contrahitur in his Concilii Avenionensis 1849 verbis (p. 51) : « Etsi, propter mortis articulum, ab obstetrice,
» vel aliâ personâ, domi collatus fuerit, diligenter inqui-
» rant (curati) de illius validitate ; cujus si certiores sint,
» tunc sufficiat preces ritusque Ecclesiæ consuetos sup-
» plere ; alioquin baptizent sub conditione : *Si non es*
» *baptizatus*, etc.; sub eâdem conditione baptizandi sunt
» infantes expositi, vel ad xenodochium occultè delati etiam
» cum schedulâ recepti Baptismatis, nisi aliunde Baptis-
» matis eisdem collati indubitatum desumatur indicium.
» Item quoad Baptismum ab hæreticis collatum, etiamsi,
» juxta catholicam doctrinam, validè ab eis conferri pos-
» sit, ubi tamen prudens occurrit dubium hoc Sacramen-
» tum ritè non fuisse administratum, sub eâdem conditione
» iterari debet. »

3187. Si verò dubium versaretur, non circa validitatem Sacramenti priùs collati, sed circa capacitatem actualem recipientis, conditio alio modo esset exprimenda, et dicendum esset : *si vivis*, *si es capax*, *si es homo*, etc.

3188. Quando sub conditione Sacramenta administrantur, « nullatenus, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 29), requiri» tur ut conditio ore exprimatur, sed sufficit mente con» cipi ..; quando verò *publicè* confertur Baptismum du» bium, rationabiliter, dicit Tourn..,conditionem expri» mendam, ne adstantes credant Baptismum absolutè reite» rari contra legem Ecclesiæ. » Et hoc etiam Rituale jubet.

SCHOLIUM

3189. Quoad potestatem cæremonias in administratione Sacramentorum observandas instituendi, et de naturâ obligationis quam imponunt, vide dicenda infra (3223, etc., et 3307, etc.); de iis cæremoniis varia expendemus tractando de singulis Sacramentis : sufficiat hic referre Concilium Tridentinum (sess. 7, can. 13) : « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni » Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut » contemni aut sinè peccato à ministris pro libitu omitti, » aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pasto» rem mutari posse : anathema sit. »

ART. II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

3190. Quærit. 1° Quis possit esse Sacramentorum minister?

Resp. Certum est 1° Sacramenta, lege ordinariâ, posse confici vel administrari tantùm ab hominibus viatoribus. Ita deducitur ex S. Matth., c. 28, v. 19; S. Lucâ, c. 22, v. 19; S. Joanne, c. 20, v. 23, et 1 Corinth., c. 4, v. 1.

3191. Certum est 2° non omnes homines nec omnes christianos validè posse Sacramenta, Baptismo excepto, ministrare. De fide est propositio definita à Concil. Trident. (sess. 7, can. 10) : « Si quis dixerit christianos omnes in » verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere » potestatem, anathema sit. »

3192. Certum est 3° Sacramenta à ministris catholicâ fide destitutis, aut peccato mortali fædatis collata, esse va-

lida, si omnia essentialia observentur : illud est de fide quoad Baptismum : « Si quis dixerit Baptismum, qui etiam » datur ab hæreticis, in nomine Patris et Filii et Spiritûs » Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non » esse verum Baptismum, anathema sit » (Trid., sess. 7, can. 4). Item in aliis Sacramentis, de fide est quoad ministros peccato mortali inquinatos : « Si quis dixerit ministrum, in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum pertinent, » servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, » anathema sit » (Trid., sess. 7, can. 12). Vide omnia hæc discussa apud theologos dogmaticos.

3193. Certum est 4°, ut licitè et secundùm ordinem in Ecclesiâ institutum, Sacramenta administrentur, requiri in ministro jurisdictionem ordinariam vel delegatam, excepto tamen necessitatis casu, pro quo generaliter, ministri omnes Sacramentorum ab Ecclesiâ delegantur. Vide dicta supra (1348-1387, 1516-1661, 1962-1998). Quisnam verò sit præcisè minister Sacramentorum, dicetur infra loquendo de singulis in specie Sacramentis.

3194. Quærit. 2° An sacramentorum minister graviter peccet illa ministrando in statu peccati mortalis?

Resp. Vel administrat Sacramenta pro quibus est specialiter ordinatus, vel ea tantùm pro quibus non est necessaria ordinatio : in primo casu, certum est taliter ministrantem graviter peccare ; in secundo casu, nempe si administraretur Baptismus non solemniter in casu necessitatis, vel si agatur de matrimonium contrahentibus, DD. non concordant : negat S. Thomas cum multis aliis ; econtra sententiam affirmantem probabiliorem reputat S. Liguor. (lib. 6, n° 32). Vide rationes pro utrâque sententiâ *ibidem* relatas.

3195. Quærit. 3° An sacerdos conferens sacramenta teneatur præmittere confessionem si sit in mortali?

Resp. Certum est præmittendam esse confessionem ante confectionem divinæ Eucharistiæ : ita Concilium Trident. (sess. 13, c. 7. et can. 11) ; — si agatur de aliis Sacramentis, quæstio controvertitur : ut communem tamen ac

probabiliorem habet S. Liguor. sententiam negantem; et reverà sic legitur in Rituali Romano : « Sacerdos si fuerit » peccati mortalis sibi conscius... ad Sacramentorum » administrationem non audeat accedere, nisi priùs corde » pœniteat; sed si habeat copiam confessarii et temporis » locique ratio ferat, *convenit* confiteri. » Ergo confessio est de convenientiâ solùm, non verò de præcepto. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 34.

3196. Quærit. 4° An et quandonam ministri Sacramentorum ea administrare teneantur ?

Resp. Sacramentorum ministros, vel esse pastores, vel tales non esse: 1° *si sint pastores*, de iis locuti sumus supra (1504). Vide etiam Benedictum XIV (*De Synodo diœcesanâ*, lib. 13, c. 19, n^is^ 2-12). — « Pastores autem » dicuntur Superiores respectu religiosorum: et respectu » sæcularium Episcopi et parochi. Ita Croix. » S. Liguor. (lib. 6, n° 58.)

3197. 2° *Si non sint pastores*, in extremâ necessitate[1] » tenentur ex charitate, etiam periculo vitæ, proximo » Sacramenta ministrare: ita omnes: » — « dummodo tria » constent: 1° ut sit æquè spes juvandi; 2° ut proximus » nullum alium habeat à quo sublevetur; 3° ut... certò » damnandus sit, nisi à te adjuvetur... » (S. Liguor., lib. 2, n° 27.)—Vide supra (1460.)

3198. Nemo qui non sit pastor, tenetur cum periculo vitæ, famæ, vel bonorum, nisi detrimentum temporale esset leve, succurrere proximo in necessitate gravi tantùm constituto. Excipiendus est casus quo aliqua Communitas esset in gravi necessitate spirituali: quia grave damnum commune præcavendum est magis quàm particulare etiam proprium. Hinc cum periculo vitæ, tempore persecutionis, vel pestis, ministranda sunt Sacra-

[1] *Extrema necessitas spiritualis* adest quando proximus est in proximo periculo damnationis à quo se eripere non potest per seipsum solum. —*Gravis* est quando ex circumstantiis salus æterna ei difficilis redditur. (S. Liguor., lib. 2, n° 27, v° *Quænam*, etc.)

menta populo omni sacerdote destituto. (S. Liguorius, lib. 2, nº 27.)

3199. Sacramenta tunc necessariò ministranda, saltem sunt Baptismus et Pœnitentia, et aliquando etiam alia, si nempe prædicta recipi nequeant. Vide dicta supra (1469); S. Liguor. (lib. 6, nº 233); Lequeux (675-677).

3200. An autem confessarius non parochus teneatur cum periculo vitæ absolvere moribundum in mortali existentem?—Certò affirmandum, si talis infirmus ignoret contritionem perfectam esse sibi necessariam, vel nesciat eam elicere: quia tunc est in extremâ necessitate; si hæc non ignoret, et sciat elicere contritionem, quæstio controvertitur. Vide S. Liguor., lib. 6, nº 624.

3201. Ut tempore pestis periculum minuatur, in administratione Baptismi omitti possunt cæremoniæ erga peste infectos aut suspectos de peste. Absolvi possunt iidem, etsi non integram confessionem compleverint: hoc tamen à quibusdam negatur, apud Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, c. 19, nº 19).

Quoad Eucharistiam, si conferatur pestiferis, nonnulli volunt nihil esse mutandum in modo consueto illam administrandi: mitiores autem sunt alii, inquit idem Bened. XIV (*ibid.*, nº 22), et putant eos posse ore sibi sumere hostiam, vel in patenâ, vel in aliquo vase mundo traditam: sunt etiam qui dicunt illam posse ministrari vel in chartâ, post sumptionem statim igni tradendâ, vel in brevi panno lineo. De iis modis liberum est Episcopis decernere. Non probatur autem quòd tradatur inclusa in pane communi, vel inter duas hostias non consecratas, vel ponatur super labia ægroti medio forcipis aurei vel argenti, aut laminæ oblongæ, vel cum chirotecis; vel quòd tradatur iis qui adhuc sani sunt, ut postea peste infecti sibi administrent (*ibid.*, nº 24, etc.)

Constitutum est, quoad Extremam-Unctionem, ut unica fiat unctio in eo sensu qui magis patet: quam communiter DD. dicunt peragi posse virgâ oblongâ (*ibid.*, nis 29 et 30); non videtur tamen quòd tali instrumento administrari possit Confirmatio, quia, juxta multos, unctio frontis est

ipsamet manûs impositio quæ huic Sacramento est essentialis (*ibid.*, n° 15).

3202. Quærit. 5° Quibusnam sacramenta sint deneganda?

Resp. 1° Certum esse in genere ministrum graviter peccare, ministrando, sinè sufficiente ratione, sacramenta iis quos indignos novit aliter quàm per viam confessionis sacramentalis; dicit enim Christus : « Nolite dare sanctum » canibus » (S. Matth., c. 7, v. 6). — Ita communiter apud S. Liguor. (lib. 6, n° 43).

3203. Porrò sunt Sacramenta quædam pro quibus administrandis non sufficit quòd minister petentem nesciat indignum, sed requiritur insuper ut prudenter judicet eum positivè dignum : talia sunt 1° Sacramentum Pœnitentiæ, cùm ad hujus Sacramenti valorem requiratur dispositio de quâ minister, utpote judex, debet habere moralem certitudinem; 2° Sacramentum Baptismi, ad quod minister non debet admittere, nisi volentem et rectè dispositum : cùm jus ad illud aliter non habeant baptizandi; 3° Sacramentum Ordinis, in quo Episcopus, propter bonum commune, cui providere tenetur ex officio, debet habere scientiam de dignitate et vocatione legitimâ ordinandorum : cùm pariter isti jus non habeant sinè iis ordinari. Unde verius est quòd occultus peccator, etsi publicè ordinari petat, arcendus sit ab ordinibus : « Ratio est quia qui se ingerit in munera » publica, ad quæ non est idoneus, repelli debet, etiam » cum infamiâ, ob bonum publicum privato præferen- » dum. » Illud constat ex Concilio Trident. (sess. 23, cap. 16, *de reform.*). Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 52); dicta supra (1957, 1987-1990); et infra dicenda (6011-6016).

4° Item in Matrimonio sacerdos constituitur ab Ecclesiâ ut in impedimentis inquirat : unde non debet conjungere eos omnes quos scit esse ab aliquo impedimento ligatos, etsi impedimentum sit occultum.

3204. Alia verò Sacramenta non sunt deneganda eis qui catholicè vivunt, nisi constet de petentis indignitate : « Ra- » tio est, inquit S. Lig. (*ib.*, 43), quia ad alia sacramenta, » omnes fideles jus habent, et ministri non sunt judices, » sed dispensatores...; ultraquamquòd quisque naturaliter

» præsumendus sit bonus, ut dicitur in cap. *Dudum*, *de* » *præsumps.*, nisi malus certè probetur. »

Loquendo autem de Eucharistiâ, sic habet Rituale Romanum : « Arcendi sunt publicè indigni, quales sunt » excommunicati, interdicti, manifestique infames : ut » meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, » blasphemi, et alii ejus generis peccatores : nisi de eorum » pœnitentiâ et emendatione constet, et publico scandalo » priùs satisfecerint; occultos verò peccatores, si occultè » petant et non eos emendatos agnoverit, repellat : non » autem si publicè petant, et sinè scandalo ipsos præter- » ire nequeat. »

3205. Respond. 2° Ut meliùs intelligatur quibusnam in specie Sacramenta sint deneganda, et quibusnam ipsa conferri valeant, distinguendum est inter peccatores : alii enim sunt occulti, alii verò notorii, qui iterum tales sunt, vel notorietate juris vel notorietate facti.

3206. Notorii notorietate juris ii dicuntur quorum crimen notum est, vel per propriam confessionem in judicio factam, vel per sententiam judicis. — Notorii notorietate facti ii sunt quorum crimen adeo evidens est ut nullâ tergiversatione celari possit (Theol. Tolos., *de Sacrament.*, c. 5, sect. 4, art. 2). Vide cap. *Quæsitum est*, *de cohabit. clericor.*; Breve *Ex omnibus* Bened. XIV (ap. Lequeux, n° 682); et supra dicta (1648).

3207. Dicendum 1° : Si peccator notorius, etiam notorietate facti, Sacramenta etiam publicè petat, illa ei sunt deneganda, ut cum S. Thomâ communiter docetur.

« Excipitur tamen peccator in articulo mortis constitutus », inquit S. Liguor. cum communi (lib. 6, n° 44).

3208. Disputatur an minister possit dare Sacramenta indigno ob metum mortis : sententia affirmans primùm visa fuerat probabilis S° Liguorio; sed meliùs, re perpensâ, idem Sanctus oppositum tenuit, ob reverentiam debitam Sacramentis et ædificationem publicam. (Lib. 6, n° 49.) — Plures tamen aliter sentiunt, modò Sacramentum non petatur in odium fidei et contemptum religionis : in quo casu certò est denegandum cum periculo mortis (*ibid.*).

3209. Dicendum 2°: Si peccator occultus publicè petat, Sacramenta ei non sunt deneganda, quia ipsius fama est servanda : ita omnes cum S. Thomâ (3, q. 80, art. 6). ex cap. *Placuit*, causa 6, q. 2, et cap. *Si sacerdos* 2, *de offic. jud. ordin.* ; secus si occultè petat, aut si cognitum sit ejus crimen ab adstantibus (S. Liguor., lib. 6, n[is] 44 et 59); si ex adstantibus unus vel alter vir probus crimen ignoraret et putatur non evulgaturus, dicit S. Liguor. (*ibid.*, n° 44) satis esse probabile quòd adhuc possint denegari Sacramenta : sed hoc ab aliis negatur (*ib.*).

3210. Controvertitur utrum sacramenta possint denegari peccatori in eo loco ubi ipsius crimen non est publicum, si publicum sit in alio loco : sententia negans videtur esse præferenda, nisi notitia criminis facilè esset perventura in dictum locum. Ita S. Liguor. (lib. 6, n° 46). — Excipit Lequeux (n° 685) cum Suarezio, si peccator fuisset notorius juridicè.

3211. *Veriùs* nequit confessarius Sacramentum negare ob crimen auditum in confessione, etiam sub prætextu aliarum causarum, quia ex Decreto Innocentii XI nullo modo potest confessarius uti notitiâ confessionis in gravamen pœnitentis.— Nequit autem negare ob notitiam extra confessionem habitam, nisi illa notitia sit moraliter certa. S. Liguor. (lib. 6, n° 51).

3212. Quærit. 6° Quid requiratur ut publico peccatori Eucharistia possit ministrari ?

Resp. Prætor confessionem, Laymann, Navarr., etc., requirunt aliquod tempus bonæ conversationis ad tollendum scandalum; sed « Possev. et J. Sanchez dicunt sufficere » confessionem coram pluribus (modò... pœnitentia brevi » sit publicè manifestanda); et rectè Croix... adhæret huic » sententiæ, quando peccator non habet proximam peccandi » occasionem : quia qui publicè confessus est publicè » censetur emendatus : secus si adesset occasio, et ille » eam non deseruerit; qui autem occultè petit, sufficit » occultè egisse pœnitentiam. » (S. Liguor., lib. 6, n° 47.)

Si palam quis hæresi vel schismati adhæsisset, publicè

hæresim vel schisma ejurare deberet, ut exactum fuit ab iis qui Civili Constitutioni Cleri gallicani subscripserant. (Vide Lequeux, n[is] 682 et 683.)

« Cavendum est, inquit Rituale Roman., ne ad indignos » cum aliorum scandalo deferatur (Viaticum): quales sunt, » etc..; nisi sese priùs sacrâ confessione purgaverint et » publicæ offensioni, prout de jure, satisfecerint. »

3213. Quærit. 7° Quid agendum in dubio de crimine, vel de pœnitentiâ?

Resp. « Distinguendum : 1° Si crimen est certum et » pœnitentia dubia, Sacramentum est certè denegandum, » donec constet de pœnitentiâ, quia possidet infamia. Et hoc » dicendum docent Suar., etc..., etiamsi habeatur (tantùm) » publica suspicio de crimine, modò suspicio sit tam vehe- » mens ut æquivaleat morali certitudini; secus si talis sit, » ut probabili ratione deponi possit..; si autem dubitatur de » crimine, non potest Sacramentum negari : » his tamen sacramentis exceptis de quibus supra (3203). S. Liguor., lib. 6, n° 48.

In variis difficultatibus quæ de his possunt occurrere ad Episcopum est recurrendum.

3214. An autem liceat dare absolutionem vel Extremam-Unctionem christiano moribundo qui malè vixerit, nullaque propter amissionem usûs sensuum signa pœnitentiæ dederit, expendetur in tractatu *de Pœnitentiâ* : vide infra (3822-3825), ubi in sensu affirmativo dubium solvitur modò moribundus nihil fecerit ex quo judicari debeat actu indispositus.

Quænam verò sint regulæ observandæ in absolutione pœnitentibus dandâ vel denegandâ, vide etiam infra (3782).

3215. Quærit. 8° An parochus possit assistere matrimonio eorum qui sunt publici peccatores?

Resp. Affirmant Laym., Croix et Lugo (modò tamen parochus priùs conatus fuerit sponsos disponere) : quia parochus non est minister sacramenti matrimonii, sed testis duntaxat.

Negant verò non tantùm qui tenent parochum esse ministrum Sacramenti, sed etiam alii : et huic sententiæ

adhæret S. Liguorius fretus auctoritate Benedicti XIV (*De Synodo*, lib. 8, c. 14) : ratio est quia non licet cooperari peccato alterius, prout faceret hic parochus cujus præsentia est necessaria etiam ad matrimonii validitatem, et qui etiam ex justitiâ tenetur saluti contrahentium incumbere. Quod autem diximus de parocho, inquit S. Liguor., dicendum est etiam de testibus, qui tamen satis excusarentur à peccato si assisterent metu gravi coacti, cùm ipsi ex charitate tantùm teneantur peccatum impedire. Parochus autem excusari potest ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato ; unde cum justâ causâ hujusmodi nuptiis assistere possunt parochi. Vide Lequeux, n° 687.

3216. Cæterùm non est dubium quin teneatur parochus arcere à matrimonio eos qui ignorant doctrinam christianam : *cùm eam deinde*, inquit Rituale Romanum, *filios suos docere debeant ;* nec debeat procedere ad bannorum proclamationem, si eos non repererit sufficienter instructos in rudimentis fidei. Ita S. Congreg. habita coram Innoc. XII, anno 1697; quod fuit confirmatum à Clemente XI et Bened. XIV. Vide *De Synodo,* lib. 8, cap. 14, n° 3; S. Lig., lib. 6, n° 54 ; *Ordonn. de Valence*, p. 402. — Sed eorum executio sæpe magnas patitur difficultates apud nos.

3217. Item certò parochi tenentur ex officio inquirere an subsit impedimentum; et si probabiliter illud adesse judicent, tenentur suam assistentiam denegare et nuptias vetare, donec saltem per Ordinarium decernatur quid sit agendum. Ita S. Liguor., *ibid. ;* Carrière, *Compendium*, n° 287, etc.

3218. Quærit. 9° An si unus sponsorum sit publicè indignus, possit alter matrimonium cum ipso inire et consequenter Sacramentum ei ministrare?

Resp. Indignitas provenire potest vel ob excommunicationem, vel ob mortale peccatum : si priùs, vel sponsus est vitandus et tunc certè illicitum est cum eo contrahere, quia non licet communicare in re sacrâ cum excommunicato vitando ; vel est toleratus, et tunc probabilius est

licere : quia ex Bullà Martini V *Ad evitanda scanda*"~, licet cum excommunicatis toleratis seu non denuntiatis communicare.

Si posteriùs, communior sententia tenet licitum esse cum tali sponso contrahere, si adsit ratio sufficiens, si nempe alter sponsus sinè gravi incommodo non posset à matrimonio recedere. Ita S. Liguor., lib. 6, n° 55; *Instruct.* Card. Caprara *pro revalidatione matrimoniorum tempore perturbationis Gallicanæ contractorum.* (Ap. Theolog. Tolosan., *de Matrimon.*, *append. de revalid.*, in fine.)

3219. Similiter etsi generatim sit vetitum matrimonium contrahere cum hæreticis, ut patet ex Concilio Chalcedon., act. 15, can. 14, et multis aliis documentis à D. Carrière relatis (*De Matrim.*, n° 754), attamen cum justâ causâ, illud est licitum (*ib.* 755). Imò S. Liguor. cum aliis pluribus dicit valde probabile esse quòd in locis ubi hæretici vivunt mixti cum catholicis, ut in Germaniâ, Poloniâ, etc., licitum sit cum illis nuptias inire ex consuetudine receptâ et toleratâ; modò quatuor adsint conditiones : 1° sit *libertas* parti catholicæ in suâ fide permanendi ; 2° absit periculum perversionis ; 3° detur libertas prolem catholicè educandi ; 4° sit difficile parem inter catholicos invenire : quorum si unum desit, non licebit.

In Brevi ad Archiepiscopum Mechliniensem, hæc Pius VI præscribit : « Ut et ipse contrahens catholicus declaratio-
» nem edat à se et duobus testibus subscriptam, in quâ
» cum juramento promittat, non tantùm se nunquam
» apostaturum à religione suâ catholicâ, sed educaturum
» in ipsâ omnem prolem nascituram, et procuraturum se
» efficaciter conversionem alterius contrahentis acatholici. »
(Apud Carrière, *ib.*, n° 758.)

3220. « Si matrimonium, inquit idem Pontifex, cum
» acatholicâ jam fuerit illicitè contractum, validè tamen :
» si pars catholica demonstret pœnitere se peccaminosæ
» conjunctionis, ad participationem Sacramentorum ad-
» mitti poterit, modò ante confessionem sincerè declaret
» procuraturum se conversionem conjugis hæreticæ ; re-
» novare se promissionem de educandâ prole in religione

» orthodoxâ, et reparaturum se scandalum aliis fidelibus » datum. » (Pius VI, in *Epist. ad Episcopos Belgii*, apud Carrière, *De Matr.*, n° 765, versùs finem.)

3221. An insuper requiratur dispensatio S. Sedis, affirmandum est, saltem in locis ubi est consuetudo, prout in Galliâ, recurrendi in ejusmodi casibus ad S. Pontificem. Vide tamen D. Bouix, *De Episc.*, tom. 2, p. 136; et infra dicenda (4306). Cæterùm probabiliter De Lugo cum aliis dicit non opus esse dispensatione, quando pars hæretica seriò promittit suam conversionem (ex Conc. Chalc.); imò putat Hurtad. sufficere spem conversionis ortam ex ipsius indole, vel aliunde (S. Liguor., lib. 6, n° 56).— « Quando » autem licitum est catholico contrahere cum hæretico, » tantò magis licebit parocho assistere ad tale conjugium » (S. Liguor., *ib.*). Vide Carrière, *De Matr.*, n° 764.

Quo autem ritu celebrandum sit matrimonium cum hæreticis, vide dicenda infra (4307).

3222. Quærit. 10° An liceat histrionibus et comœdis Sacramenta ministrare? — Quæstio est præsertim de Sacramentis Eucharistiæ, Extremæ-Unctionis et Matrimonii.

Resp. In Galliâ, juxta regulas in Ritualibus traditas, ad Sacramenta non admittebantur ii qui actu et publicè habebantur ut comœdi et histriones ex professo (Lequeux, 678, II) : quia illa professio ex se reputabatur infamis, et illam profitentes, ut excommunicati.

Reverà, à quibusdam Conciliis nempe Arelatensi I anni 314, can. 4 et 5; Arelatensi II, can. 20; Carthag. III, can. 2, excommunicantur; sed, præterquam illa Concilia non sunt generalia, excommunicatio ab ipsis statuta, non erat *latæ* sed tantùm *ferendæ sententiæ* (André, v° *Comédiens*). Et generaliter professio histrionis non reputatur *ex se* infamis, sed solùm infamis habetur qui turpia et impia cum peccato mortali repræsentat : « Quoad comœdos et actores » scenicos, inquit Concil. Suession. anni 1849 (p. 71, etc.), » eos non recensemus inter infames, nec inter excommu- » nicatos. Verumtamen si, ut plerumque contingit, pro- » fessione suâ adeò abutantur, ut vulgò reputentur pecca- » tores publici, impia nempe vel obscena ludentes, tunc

» amovendi sunt à communione Eucharisticâ ; » proinde ab aliis etiam Sacramentis, excepto Pœnitentiæ Sacramento.

3223. Quærit. 11° Quanta sit obligatio vestes sacras adhibendi in administratione Sacramentorum ?

Resp. 1° Quænam vestes sint adhibendæ in administratione Sacramentorum, indicatur in *Pontificali* pro Sacramentis Ordinis et Confirmationis, et in *Rituali* pro cæteris Sacramentis... In hoc loco tamen referenda est decisio S. R. Congr. *Analectis* inserta (avr. 1855, col. 1432).

3224. — « V. Utrum possint et ipsi Canonici, qui ex » antiquo more mozettà et rochetto insigniti sunt, uti ro- » chetto in administratione seu confectione Sacramentorum » et Sacramentalium, cùm Rever. Episcopus usum ro- » chetti generaliter, et pro majori seminario recenter » præceperit seu saltem probaverit, et pro omnibus insuper » suæ diœcesis presbyteris, etiam in Sacramentorum ad- » ministratione, se toleraturum esse voto et scripto declara- » verit, quidquid in contrarium faciant *Cæremoniale Episcoporum*, *Rituale Romanum*, *Missale* et *Pontificale*, » licetque nulla, in diœcesi Cenomanensi, antiqua aut » usquedum generalis pro eâ sacræ liturgiæ derogatione » exstiterit consuetudo...

»... Ad V. Rochettum non esse vestem sacram adhiben- » dam in administratione sacramentorum, ac proinde tum » ad ea ministranda, tum ad suscipiendam primam ton- » suram et minores ordines, necessariò superpelliceo » utendum. Atque ita declaravit die 10 januar. 1852. »

Decisum tamen fuit 2 jun. 1860, ab eâdem S. Cong. Rit., quòd servanda esset consuetudo, juxta quam Pœnitentiarius Canonicus, in Cathedrali Ripanâ, audiebat confessiones cum insignibus choralibus nempe *rochetto* et *cappâ magnâ* tempore hyemali, etc. (Vide *Analecta*, 42° livr., col. 489.)

3225. Resp. 2° *Regulariter* obligatio adhibendi vestes præscriptas est sub gravi peccato. Dixi *regulariter :* nam quasdam vestes minus præcipuas non adhibere, velut amictum et cingulum in celebratione missæ, non habetur communiter ut grave peccatum : unde nullum esset pecca-

tum sinè iis celebrare quando desunt et adest aliqua rationabilis causa celebrandi, nempe fervor devotionis vel opportunitas eleemosynæ sacerdoti non diviti datæ. (S. Liguor. lib. 6, n° 377.)

Secus dicendum de stolâ aut manipulo, etc.; probabiliter tamen excusat gravis necessitas (*ibid.*), modò absit contemptus religionis. (*Ibidem.*)

3226. Juxta Rituale Romanum, adhibenda sunt superpelliceum et stola violacea in sacramento Pœnitentiæ, nisi tempus vel consuetudo aliud ferat. Imò ex decis. S. Rit. C. 7 dec. 1844, n° 4854, eorum usus interdici nequit ob consuetudinem.

3227. In necessitate, sicut Baptismus potest sinè cæremoniis administrari, ita et sinè sacris vestibus.

Pro sacramento Confirmationis, vide dicta supra (994).

3228. Ministrare Eucharistiam sinè stolâ et superpelliceo communiter habetur ut mortale; omissâ tamen tantùm stolâ, dicit Roncaglia pluribus videri solùm veniale. Utrum autem in necessitate liceat ministrare Viaticum sinè sacris vestibus, negat Bonacina cum aliis quibusdam; sed communiùs et satis probabiliter affirmant Croix, Gobat, etc.: quia rationabiliter præsumitur quod Christus et Ecclesia haud voluerint moribundos tanto bono privari ne præscriptæ cæremoniæ omittantur. Ita S. Liguor. (lib. 6, n° 241) qui addit : « Deferre... Eucharistiam ad aliud altare sinè » vestibus sacris, dicit Croix cum...communi, non excedere » peccatum veniale. Censet etiam Pasqual. apud Croix... » quod Episcopus potest dispensare, ut deferatur Viaticum » cum pileolo in villis et pagis. » Item *Ordonn. de Valence*, p. 23.—Sed contrarium asseritur à Ferrario, v° *Parochus*, art. 3, n° 32, ubi refertur sequens S. Rit. Congr. declaratio (13 aug. 1695): « Parocho ministrante Viaticum etiam » prætextu invaletudinis, neque de nocte, neque de die » permitti debet pileolus. » Ex decisione autem ejusdem Congreg. 12 sept. 1837, ad XXIII, dispensatio S. Sedis in hoc esset neeessaria : fatendum est tamen quòd in hac decisione, agatur non de *pileolo* duntaxat, sed de *pileo* (*Analecta*, 23° livr., col. 347 et 355). In decisione verò ejusdem 5 mart. 1633 dicitur quòd *Parocho rheumate laboranti et SS. Sacramentum infirmis deferenti potest in-*

indulgeri ab Episcopo usus pileoli in itinere, non tamen intra civitatem vel oppidum (Gardell. n° 3154). Primum quidem P. Gury dixerat quod si sacerdos, propter infirmitatem aut frigus, nequiret nudo capite incedere, posset pileolo, imo galero, uti; sed postea prædicta tantum dixit. (V. t. 2, n° 307.)

3229. Certum est peccare mortaliter sacerdotem qui sinè sacris vestibus, non urgente necessitate, Extremam-Unctionem administrat; si verò urgeret necessitas, tunc etiam illum peccare mortaliter sustinent Suarez et multi alii: sed Croix cum aliis pluribus probabiliter negat adesse tunc peccatum mortale, propter rationem modò allatam pro Viatico administrando : cùm Extrema-Unctio sit etiam Sacramentum specialiter institutum à Christo pro infirmorum sublevamine. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 726; et Herdt, *Sacr. Liturg.*, pars 6, n° 20, II, 3°.

ART. III.

DE SUSCIPIENTIBUS SACRAMENTA.

3230. Solus homo viator capax est sacramentorum; solique baptizati, non tantùm licitè, sed etiam validè, ad sacramenta, præter Baptismum, admittuntur : ratio est, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 79), quia sacramenta instituta sunt pro solâ Ecclesiâ, et per Baptismum duntaxat homines fiunt de corpore Ecclesiæ, ut definivit Eugen. IV, in Decreto *ad Armenos.*

De dispositionibus requisitis ut Sacramenta cum fructu recipiantur, vide Theologos morales; et S. Liguor., lib. 6, n° 83-87.

3231. Quærit. 1° An et qualis intentio requiratur in suscipientibus sacramenta?

Resp. Vel de pueris et perpetuò amentibus agitur, vel est quæstio de adultis : *in primo casu*, certum est nullam requiri intentionem. Illud constat pro Baptismo ex Concil. Trid. (sess. 7, can. 13), ubi dicitur : « Si quis dixerit par» vulos, eò quòd actum credendi non habent, suscepto » baptismo, inter fideles computandos non esse : ac

» propterea cùm ad annos discretionis pervenerint esse » rebaptizandos..., anathema sit. »

Idem est dicendum de sacramento Confirmationis, ut communiter tenent DD., et de sacramento Ordinis, ut constat ex Bullâ *Eo quamvis tempore* Bened. XIV, 4 maii 1745 : et decisio est applicanda perpetuò amentibus, ut docet S. Thomas et alii. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 80.

3232. *Nota* 1° Ex P. Gury, *De Baptismo* (n° 158), quòd si amentes aliquando usi fuerint ratione, probabiliùs non valeat Baptismus, nisi ante amentiam illum petierint (S. Liguor., lib. 6, n° 121). In praxi tamen ii sunt sub conditione baptizandi.

3233. — *Nota* adhuc 2° quòd pueri aut perpetuò amentes non sint capaces sacramentorum Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis et Matrimonii ; nec eis, saltem juxta hodiernam disciplinam, licitè conferri possunt sacramenta Confirmationis et Eucharistiæ, nec eis unquam licuit conferri Ordinem.

3234. *In secundo casu,* certè requiritur intentio suscipiendi sacramentum. Ita communiter cum S. Thomâ (ap. S. Liguor., *ib.*; n° 82) ; ratio est quia sicut adultus non recedit à Deo et amittit gratiam, nisi quia vult peccare, ita ad Deum non redit et non recuperat gratiam, nisi illa intendendo et acceptando quæ ad gratiam et Deum ducunt.

3235. Non autem requiritur in suscipiente Sacramenta intentio actualis, imò nec semper virtualis, sed sufficit in omnibus Sacramentis, Pœnitentiâ et Matrimonio exceptis, intentio habitualis, id est, intentio aliquando habita quæ postea non fuit retractata ; unde etiam dormientes, ebrii, in amentiam lapsi, modò antea intentionem habuerint sacramenta suscipiendi, validè ea recipere possunt. Ita communissima et probabilior sententia, juxta S. Liguor., lib. 6, n° 81. — Illicitum tamen est talibus sacramenta conferre, nisi in probabili periculo mortis, aut nisi quando amentia censetur fore perpetua : expectandum est enim tempus quo suscipiens erit sui compos (*ib.*).

3236. Quinimò pro quibusdam sacramentis sufficit intentio interpretativa, quæ nunquam fuit habita, sed quæ præ-

sumitur fuisse habenda à suscipiente si fuisset sui compos; hujusmodi sacramenta sunt: 1° Extrema-Unctio, ut constat ex *Rituali Romano*, ubi dicitur : « Hoc Sacramentum est » præbendum sensibus destitutis, qui antea illud petie» runt, seu *verisimiliter* petiissent. » 2° Idem est dicendum de Sacramento Confirmationis et Eucharistiæ, juxta multos à S. Liguor. citatos (lib. 6, n° 82). Numero autem 85, dicitur in eodem: « Qui sumit hostiam, quam nescit » esse consecratam, cùm instar alterius animalis, sinè » intentione sumendi Sacramentum, sumat, accipit qui» dem materialiter rem quæ est Sacramentum, non tamen » sacramentaliter et cum fructu. Ita S. Thomas, pars 3, » q. 80, art. 3, ad 3, cum Lugo, Suar., Croix...; contra » Arrieg., etc..., quorum sententiam immeritò probabi» lem vocat Croix. » Sed in casu hic expresso, non adest intentio etiam interpretativa, cùm suscipiens supponi nequeat voluisse sic sumere Eucharistiam; secus de eo qui communicatur sensibus destitutus in articulo mortis.

3237. Communiter auctores docent intentionem interpretativam non sufficere ad validè suscipiendum Sacramenta Baptismi et Ordinis : verumtamen plures sentiunt ad suscipiendum Baptismum sufficere intentionem implicitam contentam in contritione vel attritione habitâ ab eo qui veram fidem ignoravit. Sed certum est Baptismum esse nullum si conferatur per meram vim, animo omnino renuente. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 139.

3238. Ad sacramentum autem Pœnitentiæ non sufficit intentio interpretativa vel habitualis : sed requiritur saltem virtualis, cùm materia hujus sacramenti sint ipsimet actus pœnitentis. — Eadem intentio requiritur pro sacramento Matrimonii : « Quia, cùm uterque conjux non solùm sit » suscipiens, sed etiam minister Sacramenti, in singulis » eorum certè requiritur ea intentio qualis in ministris alio» rum sacramentorum exigitur. » Ita S. Liguor. (lib. 6, n° 82), qui addit post Lugo, quòd etiam in casu Matrimonii per procuratorem initi, intentio veriùs est dicenda virtualis quàm habitualis, cùm procurator contrahat virtute mandati seu consensûs à principali præstiti.

3239. Quærit. 2° An et quorumnam Sacramentorum capaces sint surdi et muti?

Resp. Vel juxta hodiernas methodos sunt edocti, vel non: si priùs, possunt *validè* recipere omnia Sacramenta prout cæteri homines, imò etiam *licitè* ea recipere, Ordine excepto, modò nulla alia obstent impedimenta.

3240. Si posteriùs, validè eis et licitè conferri potest Sacramentum Baptismi, saltem si, in quantum fieri potest, doctrinam christianam edoceantur.

Quoad cætera sacramenta: de Matrimonio sic ait Innocentius III (cap. *Cùm apud sedem* 23, *de spons.*): « Si talis » *velit* contrahere sibi non possit vel non debeat denegari, » cùm quod verbis non potest, signis valeat declarare. »

Supponitur etiam à plerisque DD. alia Sacramenta posse surdis et mutis administrari, si in eis appareant dispositiones requisitæ, aut nihil appareat quo judicandi sint indispositi; sed illi DD. ferè omnes scripsêre ante tempus quo moderna surdos et mutos edocendi methodus fuit inventa; porrò multis constare videtur experimentis surdos et mutos, qui hàc novâ methodo non edocentur, nullam habere veram Dei ac regularum morum notitiam, et a fortiori non pervenire ad cognitionem mysteriorum et veritatum supernaturalium; proinde illos non posse habere ullam voluntatem humanam recipiendi Sacramenta, nec dispositiones necessarias ad illa cum fructu recipienda (vide Montaigne, *Recherches sur les sourds et muets*). Nihilominus Rituale Bellicense in fine tomi primi, existimat iis posse conferri sacramenta Confirmationis scilicet et Eucharistiæ, quæ antiquitùs (et adhuc hodie in Ecclesiâ Orientali) pueris administrabantur: Pœnitentiam autem et Extremam-Unctionem dicit eis conferri posse sub conditione: quoad matrimonium verò quæstionem fuisse solutam ab Innocent. III supra relato; sed non licere admittere eos ad Ordines quia sunt irregulares.

3241. Etsi nollemus improbare eos qui prædictas solutiones amplectendas esse putant, in praxi tamen non auderemus præsertim matrimonio conjungere mutos et surdos non edoctos juxta methodos hodiernas. Quamvis enim

Innoc. III dicat eos non deberi à matrimonio repelli si contrahere *velint*; attamen Pontifex supponit seu exigit quòd *velint* contrahere; atqui in hoc, hodie præsertim, est difficultas : cùm ut jam diximus, multis experimentis videatur constare tales surdos et mutos, *non edoctos*, voluntatem moralem non habere, defectu cognitionum moralium : contractus autem Matrimonii est actus humanus et moralis, pro quo requiritur vera humana voluntas. Vide D. Carrière (*De Matrim.*, n° 827), qui addit tamen non omnes consentire assertionibus D. Montaigne. — Quidquid sit de Matrimonio, Pœnitentia et Extrema-Unctio, nonnisi sub conditione, surdis et mutis non edoctis sunt administrandæ.

3242. Quærit. 3° An liceat petere sacramenta à ministro indigno?

Resp. Vel minister est indignus propter censuram aut irregularitatem, vel propter peccatum mortale.

1° Si propter censuram aut irregularitatem : vel illa censura aut irregularitas est denuntiata, et tunc non licet sacramenta à tali ministro petere, nisi in extremâ vel gravissimâ necessitate : in quâ omnes dicunt licitum esse suscipere Baptismum et Pœnitentiam; plures idem tenent probabiliter de Eucharistiâ, et idem de Extremâ-Unctione quando infirmus non potest aliud Sacramentum recipere, quidquid sit de aliis casibus.

3243. « Pariter dicunt Suar. et Cornejo... licitum esse recipere sacrum Ordinem ab Episcopo excommunicato, » quando in aliquâ provinciâ remotâ ille solus existeret, et » talis ordinatio redundaret in bonum communitatis. Idem » dicunt... de Sacramento Matrimonii, casu quo esset necessarium ad salutem spiritualem morientis, vel ad magnam » utilitatem temporalem filiorum, nec alius adesset minister. » Ita S. Liguor. (lib. 6, n° 88).

3244. Vel censura aut irregularitas non est denuntiata, sed est tolerata, et tunc verius est quòd liceat petere sacramenta à tali ministro tolerato (*ibid.*)

3245. — 2° Si minister sit indignus propter peccatum mortale, illicitum est petere ab eo sacramenta sinè justâ causâ : quia adest in hoc cooperatio illicita peccato alterius,

si fiat sinè causâ sufficienti ; illa autem causa debet esse major vel minor prout minister magis vel minus astringitur ad conferendum suscipienti sacramenta, vel prout magis vel minus est paratus ad ministrandum : unde si minister sit parochus, vel si sit paratus, licitè sacramenta ab eo peti possunt, etiam motivo non carendi fructu illorum sacramentorum, si non ådsit alius dignè ministrans. Ita S. Lig., lib., 6, n° 89 ; sed in *Elencho quæst. correctarum*, S. Lig., quæst. 16, in prædicto casu, exigit *causam gravis necessitatis vel utilitatis.*

3246. Cæterùm DD. communiter dicunt sacramenta licitè recipi à ministro peccatore : 1° si urgeat præceptum communionis vel confessionis, vel missæ audiendæ ; 2° si ex dilatione immineat periculum lapsùs; 3° si permanendum esset in statu peccati mortalis, etiam per unam horam ; vel etiam si carere deberes, saltem diù fructu communionis aut confessionis, etsi non esses in mortali, etc. Vide apud S. Liguor., lib. 6, n° 89.

3247. Observandum est autem quòd quivis minister sit præsumendus dignus, nisi oppositum constet; unde probabiliter sacramenta peti possunt ab eo qui scitur paulò ante peccasse, quia præsumi potest sese disposuisse saltem per contritionem : excipi tamen debet casus quo constaret aliquem esse consuetudinarium, vel si post peccatum minister non præmisisset confessionem ante missæ celebrationem. (S. Liguor., lib. 6, n° 89.)

CAPUT II.

DE BAPTISMO.

3248. Baptismus est *Sacramentum novæ legis, in quo homines spiritualiter regenerantur, per exteriorem corporis ablutionem et præscriptæ verborum formæ prolationem.* Ita Theologia Tolosana.

Etsi non omninò constet quo præcisè tempore institutum fuerit hoc Sacramentum, probabilissimum tamen videtur illud contigisse quando Christus fuit à Joanne baptizatus; ipsumque tunc aquis, contactu suo, vim contulisse rege-

nerandi homines, invocatis tribus Trinitatis Personis : et reverà, constat discipulos ejus postea baptizasse (S. Joan., c. 3, v. 22, cap. 4, v. 1 et 2); nec verisimile est Baptismum ab ipsis collatum, verum non fuisse Baptismum, sed duntaxat Baptismum S. Joannis.

3249. Quidquid sit, Baptismus non fuit obligatorius nisi post Christi resurrectionem, quando ab Apostolis promulgatus fuit juxta mandatum Christi : « Euntes... docete omnes gentes, *baptizantes* eos in nomine, etc. » (S. Matth., cap. 28, v. 19). — Circa Baptismi necessitatem consulendi sunt theologi. Dicemus ergo tantùm de Baptismi Materià et Formà, de Ministro, de Subjecto, seu de personis baptizandis, de Cæremoniis et de Patrinis.

ART. I.

DE MATERIA BAPTISMI.

3250. — I. Materia Baptismi est vel proxima vel remota : remota est aqua, juxta verba Christi (Joann., c. 3, v. 5) : « Nisi quis renatus fuerit ex aquà, etc...; » porrò hîc per aquam intelligi debet aqua usualis seu elementaris. (Conc. Trid., sess. 7, can. 2.)

3251. Materia certè valida est quæcumque aqua simplex et pura, quæ propriam aquæ speciem retineat (calida sit vel frigida, imò venenata) : ut aqua fontium, puteorum, maris, pluvialis, etc.; item quæ resolvitur ex nive, glacie, grandine ; aqua sulphurea vel mineralis; aqua diffluens tempore nimboso à pariete, foliis, etc.; ros et aqua collecta ex vaporibus densatis, puta in operculo ollæ ; imò aqua turbida, modò aqua sit materia prædominans ; et aqua distillata cum rosis et similibus, cùm in hoc casu aqua sit prædominans.

3252. Materia dubia est jus, lixivium, aqua ex sale soluto, cervisia tenuis, aqua per artem chimicam educta ex floribus, plantis, radicibus, aqua fluens ex vite aliisque arboribus, glacies et nix non solutæ.

3253. Materia certè invalida est sanguis, lac, vinum, atramentum nisi valde tenue sit, urina, pituita, lutum,

succus expressus ex floribus, herbis et radicibus. Allegatur contra textus Stephani II, ubi Pontifex approbasse videtur Baptismum in vino collatum : sed hunc textum suppositilium esse probatur à pluribus à S. Liguorio relatis

Verius est salivam esse materiam omnino ineptam, idem dicendum de sudore et lacrymis. Vide S. Liguor., lib. 6, n[is] 103 et 104; P. Gury, *De Baptismo*, n° 147.

3254. Hæc quoad validitatem; materia autem licita Baptismi, extra necessitatis casum, est sola aqua benedicta, seu consecrata juxta ritum à Rituali præscriptum, nempe in pervigilio Paschæ, vel Pentecostes[1], aut per annum si deficeret. Vide *Rituale Romanum*, ubi insuper dicitur : « Si » aqua benedicta jam imminuta sit, ut minus sufficere » videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori » tamen quantitate.

» Si verò corrupta fuerit aut effluxerit, aut quovis modo » defecerit, parochus in fontem benè mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat eamque benedicat ex » formulâ quæ infra præscribitur. » (*De Baptismo.*)

3255. « Genericè loquendo, inquit S. Liguor. (*ibid.*, » n° 102), omissio aquæ benedictæ est mortale... In Baptismo autem privato dicit Croix... non requiri aquam » benedictam, sed Tourn. asserit quòd Baptismus, adhuc » in necessitate domi conferendus, debet curari ut fiat » aquâ benedictâ communi seu lustrali, ob majorem decentiam. » Peccat certò graviter qui, absque gravi necessitate, utitur aquâ impurâ, turbidâ. In periculo autem mortis potest adhiberi etiam dubia, si certa haberi non possit; sed sub conditione duntaxat hujusmodi materia est adhibenda, et si supervixerit taliter baptizatus, habitâ copiâ materiæ certè validæ, iterum est rebaptizandus sub conditione. Vide P. Gury, *ibid.*, n° 146.

3256. — II. Materia *proxima* Baptismi est ablutio, quæ

[1] Parochi debent fontem baptismalem benedicere, non tantùm Sabbato Paschæ, sed etiam Pentecostes; et consuetudinem contrariam, velut abusum rubricis contrarium, esse eliminendam declaravit S. R. Congregatio, 7 decembris 1844 (n° 487). Vide *Dictionnaire des Décrets*, D. Boissonnet (v° *Baptême*, 12°).

validè tribus modis fieri potest : *immersione* nempe, *infusione* et *aspersione :* « Primus tamen et secundus modus, » qui magis sunt in usu, inquit Rituale, pro ecclesiarum » consuetudine retineantur. »

3257. Ablutio fieri debet ab eo qui formam profert; secus nullus esset Baptismus, quippe tunc vera non esset forma : *Ego te baptizo*, etc.

3258. Dubius esset Baptismus si quis projiceret infantem in puteum aut flumen, et pronuntiaret formam ; item si una tantùm vel altera gutta sit adhibita : plures tamen habent ut certum talem baptismum, si baptizans motu digiti madefacti ablueret partem corporis baptizandi, licet Tournely adhuc de hoc dubitet; item dubius est Baptismus si infans tinctus esset adhuc involutus suâ secundinâ ; sed nullus esset certò si vestes tantùm fuissent aspersæ. Vide S. Liguor., lib. 6, n^is 105-107.

3259. Dicitur in *Rituali Romano :* « Nemo in utero matris » clausus baptizari debet : sed si infans caput emiserit et » periculum mortis immineat, baptizetur in capite : nec » postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus; at si » aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, » in illo, si periculum impendat, baptizetur, et tunc si natus » vixerit, erit sub conditione baptizandus eo modo quo » supra dictum est : *Si non es baptizatus, ego te baptizo,* etc. » Si verò ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, » debet in loco sacro sepeliri.

» Si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimùm cautè extrahatur; ac si vivus fuerit, baptizetur; » si fuerit mortuus et baptizari non potuerit, in loco sacro » sepeliri non debet. »

3260. Dictum *Ritualis* quòd si infans aliud membrum quàm caput extra uterum emiserit, in illo membro sit sub conditione baptizandus si periculum impendat, intelligi debet de qualicumque membro, etiam pede, digito, aut aliâ minimâ corporis parte; imò etiamsi tantùm crines appareant : quia dubius pluribus videtur Baptismus crinibus tantummodo collatus, quorum sententiam meritò ipse De Lugo probabilem putat, ait S. Liguor., lib. 6, nº 107,

quær. 3°,—si aqua baptismalis secundinas, in quibus fœtus involvitur, solummodo tangeret, dubius pariter esset Baptismus.

3261. Quærit. 1° An infans in periculo mortis possit baptizari in utero matris?

Resp. Quæstionem hanc esse valde controversam; multasque ac graves auctoritates afferri pro sententiâ negante, ut videri potest apud S. Liguor., lib. 6, n° 107; sed graves etiam auctoritates proferri pro sententiâ affirmante, quæ *satis probabilis* ab eodem declaratur: unde in dictâ necessitate, sub conditione infans in utero matris est baptizandus, modò procuretur ut aliquo instrumento ablutio ad infantem perveniat: nam non licet illum baptizare in carne matris ejus, cùm mater sit persona à suo fœtu distincta; et hoc tantùm prohibetur à *Rituali Romano* modò relato (3259).

3262. Quærit. 2° An sit obligatio aperiendi uterum mulieris, si secus infans non possit baptizari?

Resp. Vel prægnans est vivens, vel est mortua: *in primo casu*, illicitum est scindere ipsius ventrem ut infans baptizetur: quia non licet aliquem occidere aut probabili mortis periculo exponere, etiam ad salutem alterius procurandum. « Nec valet dicere, inquit S. Liguor. (*ib.*, n° 106), quòd vita » spiritualis infantis debet præferri vitæ temporali matris; » nam hoc intelligendum, ut quisque debeat quidem mortem » sustinere, non autem ut debeat nec ut possit mortem sibi » inferre vel alterum occidere pro salute spirituali proximi. » Contraria tamen sententia amplexata fuit in plerisque Collationibus hujus diœcesis Valentinensis anno 1838. Vide *Mandement pour les confér. de* 1839, p. 8, etc.

3263. *In secundo casu,* non tantùm licet scindere ventrem matris, sed est obligatio illud aperiendi ut salvetur ipsius infans; et hoc etiamsi aliquo instrumento, aqua baptismalis posset ad infantem pervenire, quia hujusmodi baptismi effectus non est omninò certus: constat ex Rituali supra relato; graviterque peccarent parentes qui non procurarent hanc incisionem fieri; pariterque chirurgi qui eam facere omitterent aut differrent; teneturque parochus curare ne mater

sepeliatur antequàm fiat incisio. (S. Liguorius, lib. 6, nº 106.)

3264. An autem hæc incisio possit aut debeat fieri à sacerdote, casu quo alius inveniri nequit qui illam velit peragere, hæc quæstio expenditur in citato Mandato Episcopi Valentinensis anni 1838 (3262); pluresque rationes pro et contra sententiam affirmantem referuntur; nihilque concluditur. — Autumat verò DD. Affre, *Traité de l'admin. temporelle des paroisses*, parochum qui *cæsaream operationem* perageret, posse circumveniri coram tribunalibus civilibus tanquam contravenientem art. 35 legis 10 ventosi anni II. — Non videtur tamen esse damnandus sacerdos qui, aliis omnibus deficientibus, hanc operationem perageret, adhibitis tamen cautionibus prudenter tunc adhibendis; sed si consentire nollent proximi, tutâ conscientiâ conquiescere potest : at tunc saltem obtineat ut per instrumentum baptismus intra matris uterum ab aliquo conferatur (3261).

3265. *Nota* hìc quænam sint signa periculi mortis in pueris : « nempe si puer oritur sinè vagitu et lacrymis ; » 2º si modicè respiret ; 3º si apparet lividus præsertim in » facie aut capite ; 4º si nascitur post multum temporis » aut laboris obstetricis ; 5º si nascitur ante septimum » mensem ; 6º si cranium habet valde molle, aut suturas » nimis apertas, aut alias partes disjunctas. » Ap. S. Lig., *ib.*

3266. Quærit. 3º An liceat infantem, brevi moriturum, baptizare aquâ gelidâ cum periculo accelerandi ipsius mortem, si aqua altera haberi non possit ?

Resp. Affirmativè : licet enim non sit licitum puerum injicere in flumen ut baptizetur etiam in necessitate, licet tamen aquâ gelidâ illum baptizare, etiam cum timore ne ex hoc mors acceleraretur, quia tunc mors non evenit per se, sed tantùm per accidens. Ita communiter, apud S. Lig. (lib. 6, nº 106, in fine).

« Si aqua conglaciata sit... aut nimium frigida, poterit » (minister) parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, et admiscere aquæ baptismali... ne noceat infantulo. » (*Rituale.*)

3267. Quærit. 4° An trina ablutio ad Baptismum requiratur?

Resp. Trinam ablutionem requiri, non quidem ad validitatem, sed ad liceitatem, ut constat ex Rituali. — (Vide S. Liguor., *ib.*, n° 107, q. 5.)

ART. II.

DE FORMA BAPTISMI.

3268. Forma Baptismi est ista : « *Ego te baptizo in* » *nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.* — » Ita definivit Concil. Trident. (sess. 7, can. 4); et deducitur ex Christi verbis : « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. » Græci tamen utuntur formâ sequenti : *Baptizetur servus Christi, in nomine Patris*, etc., quæ fuit approbata ab Eugenio IV in Concilio Florentino per Decretum ad *Armenos :* sed in solâ Ecclesiâ græcâ licet hanc formam adhibere. Vide S. Lig. (lib. 6. n° 109).

3269. Verba Actuum Apostolorum (cap. 8, v. 12) : « In » nomine Jesu Christi baptizabantur viri », locum dederunt dubio utrum Baptismus *in nomine Christi* tantùm collatus sit validus : validum esse pronuntiasse videtur Nicolaus Papa, in suâ responsione ad Bulgarorum quæsita, ubi ait : « Hi præfecto, si in nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in » nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, » baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut ait Ambro» sius), rebaptizari non debent. » Sed hodie ut certum communiter habetur hujusmodi Baptismum prorsus esse invalidum ; et probatur ex cap. *Si reverà* 30, de Consecr., dist. 4, ubi Pelagius Papa dicit : « Si hi se solummodo in » nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sinè cujus» cumque dubitationis ambiguo, eos, ad fidem catholicam » venientes, in sanctissimæ Trinitatis nomine baptizabis. » Vide *ibid.*, can. 83, quid etiam dicat S. Pontifex Zacharias.

3270. Ad textum Act. Apostolorum diversimodè respondetur : communiùs autem et probabiliùs dicitur pro *nomine Christi* ibi intelligi Baptismum à Christo institutum,

ad differentiam Baptismi Joannis; quòd verò Apostoli baptizaverint sicut et nos, constat ex iisdem Actib. (c. 19, v. 2-5), ubi quidam à S. Paulo interrogati, an Spiritum S. accepissent, responderunt *se, neque si Spiritus Sanctus est, audivisse;* propter quod Apostolus subjunxit : *in quo ergo baptizati estis?* Quæ interrogatio absona fuisset si in Baptismo non fuissent pronuntiata nomina Personarum divinarum. Ad textum autem Papæ Nicolai. respondetur verba superiùs relata non fuisse ex cathedrâ pronuntiata: non enim Pontifex fuerat interrogatus an valeret Baptismus ratione formæ, sed solùm an esset validus à Judæo collatus; unde obiter tantùm et per occasionem de Baptismo nomine Christi loquitur, sententiam Divi Ambrosii sequens.

3271. Non licet mutare verba in prolatione formæ : si tamen non ita mutentur ut substantialiter corrumpatur sensus à Christo Domino intentus, validum est sacramentum; nisi, ut advertit S. Thomas (3 pars, q. 60, art. 8), per dictam mutationem quis « intendat alium ritum inducere qui non sit ab Ecclesiâ receptus, quia non videtur » quòd intendat facere id quod facit Ecclesia. » Error tamen ministri, quem per sejunctam propositionem adderet, non obstaret sensui à Christo intento; unde valeret Baptismus, si diceretur: *Baptizo te in nomine Patris, quem puto majorem,* etc. (S. Lig., lib. 6, nº 111.)

Si autem ita mutentur verba ut substantialiter corrumpatur sensus à Christo intentus, prorsus nullum efficitur Sacramentum.

3272. Innumeris modis mutari possunt verba formæ; et longum esset expendere sigillatim an in singulis modificationibus, substantialiter vel solummodo accidentaliter, corruptus fuerit sensus; at cùm nunquam liceat in aliquo formam Sacramentorum mutare, difficultas adesse tantum potest post factum, an substantialis vel accidentalis fuerit mutatio; sed tunc, vel non vacat tempus consulendi, et in dubio reiterandus est Baptismus, debitam formam adhibendo; vel tempus consulendi vacat, et tunc consuli possunt auctores qui fusiùs has materias expendunt, ad quos remittimus; vide imprimis S. Liguor., lib. 6, nis 109-112.

3273. Observandum est tamen 1° validam esse formam in quocumque idiomate enuntietur, etsi idioma à ministro non intelligatur, modò sinè mutatione sensûs pronuntietur; valida esset pariter, quando partim in uno idiomate, partim in altero exprimeretur.

2° Valida esset etsi, ob difficultatem linguæ, non benè fuisset pronuntiata, si dictum fuisset: v. g., *vaptizo*, vel *batizzo*. vel *bobaptizo;* vel *Fili* pro *Filii*, etc.

3274. — 3° Communiter dicunt auctores certè validum fuisse Baptismum, si omissum fuerit solummodo verbum *Ego*, et talis mutatio non excederet culpam venialem, juxta sententiam communem (S. Liguor., lib. 6, n° 112, V); non ita certum est valere Baptismum si omissum fuisset verbum *in*; unde tutius esset illum iterare sub conditione. Item reiterandus esset sub conditione, si, etiam ante verbum *Spiritûs Sancti*, omissum fuisset verbum *et*: imò idem quidam dicunt si verbum *et* omissum fuisset ante nomen *Filii* etsi communiter hoc alii negent, quia satis distinguuntur personæ si positum fuerit verbum *et* ante nomen *Spiritûs Sancti*; certum est Baptismum invalidum esse si verbum *te* omissum fuisset. Ex Rituali non additur *Amen* in hâc formâ

3275. « Si quis autem ad nomina trium personarum » adderet nomen B. M. V., dicit D. Thomas... quòd si » faceret mente hæreticâ, intendens Baptismum conferri » in nomine Virginis, sicut in nomine SS. Trinitatis, invalidus esset, quia perverteretur vera Divinitatis confessio; » secus, si quis rusticus, tantùm ob importunam devotionem, nomen Virginis adjiceret. » Ita S. Liguor. (lib. 6, n° 112).

Non autem valeret Baptismus in nomine SS. Trinitatis tantùm collatus, non expressis distinctè divinarum personarum nominibus. (S. Liguor., *ib.*, n° 108.)

ART. III.

DE MINISTRO BAPTISMI.

3276. « Certum est et de fide validum esse Baptismum » collatum à quovis homine viatore, sive viro sive muliere.

» Ita definitum in Decreto fidei Eugenii IV, et in Concil. » Lateran. IV... » Ita S. Liguor. (lib. 6, n° 115). — Vide etiam Concil. Trident. (sess. 7, can. 4).

3277. Certum est pariter neminem posse, etiam in extremâ necessitate, sibi Baptismum administrare. Vide cap. *Debitum* 4, *De Baptismo.*

3278. Extra mortis articulum, Baptismus licitè nequit ministrari ab alio quàm à sacerdote, ut probatur ex cap. *Constat, de consecrat.*, dist. 4: et regulariter tunc est solemniter ministrandus.

3279. Duplex est minister Baptismi solemnis: *ordinarius* nempe seu ex officio ministrans, et *extraordinarius* seu ex commissione. Ordinarius est sacerdos cui ex officio competit baptizare, modò adsit licentia Episcopi, ut tenetur communiter apud S. Liguor., lib. 6, n° 113 : qualis est parochus qui, statim ac ab Episcopo approbatur, ab eo accipit potestatem baptizandi, quæ jure communi ita ei stabiliter inhæret ut sinè justâ causâ non possit eâ privari; parochus ergo potest aliis sacerdotibus Baptismi administrationem committere. — Sinè autem commissione ab auctoritate competente datâ, nec parochus extra suam parochiam, nec ipse Episcopus extra suam diœcesim, imò nec uterque intra suam parochiam vel diœcesim alienos baptizare licitè potest. — A quonam autem parocho Baptismus sit conferendus, vide dicta supra (1350).

3280. *Extraordinarius* verò minister est diaconus, qui non solùm in casu extremæ necessitatis solemniter baptizare potest, sed etiam ob magnam Ecclesiæ utilitatem; v. g. si non adessent sacerdotes, vel si parochus esset graviter infirmus, vel aliàs occupatus confessionibus audiendis vel prædicatione, vel si adesset multitudo baptizandorum, etc. Contrariam his consuetudinem nunc vigere et esse servandam asserit Theologia Tolosana (*De Ministro Baptismi*); Rituale autem hujus diœcesis Valentin. supponit necessariam esse licentiam Episcopi (*Ord.*, p. 391); Lequeux autem putat à parocho delegari posse diaconum *in casu urgentissimo* (n° 703); sed quidquid sit de his, in omnibus casibus supra relatis, etiam in extremâ necessitate, ut probabilius

tenet S. Liguorius, diaconus non potest *solemniter* baptizare sinè commissione Episcopi vel parochi; quamvis, si secùs baptizaret, non ita certò evaderet irregularis, juxta ea quæ diximus (1801), nisi forsan adesset *temeritas*, ut volunt communiter auctores, ex cap. *Si quis, de Cler. non ordin. ministr.*: unde excusat ignorantia etiam crassa. — *Nota* quòd ex solo suo beneplacito, aut ad alicui familiæ complacendum, Episcopo non liceat diaconum deputare ad baptizandum, sed solùm *ob magnam Ecclesiæ utilitatem*. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 116.

3281. An autem diaconus possit benedicere sal, si ad Baptismum deficiat?

Resp. Lequeux refert auctores pro et contra sentientes, dans eorum rationes (n° 703); Ferraris verò (v° *Benedicere*, art. 1, n[is] 14 et 15) sic habet: « Solus sacerdos est (bene- » dictionum) adæquatus minister... Unde si diaconus, » quamvis jubente sacerdote, aquam v. g. benediceret, » irrita esset benedictio, quia non facta ab habente » auctoritatem, et ideo meritò in cap. 28, lib. 8, Constit. » Apostol. dicitur: diaconus non benedicit neque benedic- » tionem dat, accipit verò ab Episcopo et Presbytero. »

3282. Quærit. 1° Qualis ordo sit servandus inter ministros quando in necessitate Baptismus est conferendus?

Resp. Sic habetur in Rituali Romano: « Si adsit sacerdos, » diacono præferatur (et parochus simplici sacerdoti), dia- » conus subdiacono, clericus laico, et vir feminæ, nisi » pudoris gratiâ deceat feminam potius quàm virum bap- » tizare infantem non omnino editum, vel nisi meliùs » femina sciret formam et modum baptizandi: quapropter » curare debet parochus ut fideles, præsertim obstetrices, » rectum baptizandi ritum probè teneant et servent »: ad hoc tenetur parochus sub gravi; et sub gravi pariter tenentur obstetrices scire debitum modum baptizandi infantes. Vide ap. S. Liguor., lib. 6, n° 117.

3283. « Pater aut mater propriam prolem baptizare non » debet, præterquam in articulo mortis quando alius non » reperitur qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt

» cognationem quæ matrimonii usum impediat. » Ex his Ritualis verbis, non videtur quo fundamento Pontas potuerit dicere patri licere baptizare suum infantem, præsente aliâ muliere: vide Theolog. Tolos., *de Ministro Baptismi*. Quale autem impedimentum contrahant parentes suam prolem extra necessitatem baptizantes, dicemus infra, ubi de patrinis (3329).

3284. Juxta veriorem sententiam, peccaret mortaliter laicus qui in casu necessitatis, præsente sacerdote, baptizaret: quia Baptismus, quantùm fieri potest, administrandus est à Ministro ad illum consecrato, et ideo etiam sacerdos graviter peccaret si laico hanc administrationem cederet, quia in hoc fieret injuria sacramento.

3285. Controvertitur utrùm graviter peccaret laicus in necessitate baptizans coram diacono; vide S. Liguorium (lib. 6, n° 117, *dub.* 3) qui tam negantem quàm affirmantem sententiam vocat *probabilem*.

Communiter docent auctores non peccare graviter laicum qui baptizaret coram cæteris clericis inferioribus; sed non videtur hoc posse excusari à veniali, propter indecentiam et propter præscriptum *Ritualis*. (Lig., *ib.*, *dub.* 4.)

3286. Quærit. 2° An graviter peccent qui per multum temporis infantem baptizare differunt?

Resp. Ut certum communiter haberi, ex pluribus Conciliis Provincialibus et consuetudine, in hoc adesse grave peccatum, nisi adsit gravis causa dilationis, prout si essent patrini expectandi. Vide *Theol. Tolos.* (cap. 6, art. 8). Idem constat ex Constitut. *Cantate Domino* Eugenii IV, editâ anno 1441 pro unione Jacobitarum, ubi declaratur Baptismum pueris *quamprimùm fieri potest* debere conferri. Ita Lequeux, n° 712.

3287. Juxta communiorem et probabiliorem sententiam, dilatio non est habenda ut grave peccatum, nisi 10 vel 11 dies excederet. S. Liguor. (lib. 6, n° 118, *not.* II et n° 140). Refertur tamen ab *Analectis* (nov. 1855, col. 1807) decisio *S. Officii* in quâ dicitur : « Si... periculum non adsit, *ultra* » *tertium diem* post nativitatem pueri, non differendam » Baptismi administrationem. »

3288. Quærit. 3° An extra casum necessitatis licitum sit domi baptizare infantes?

Resp. Negativè, et talis Baptismi collatio est peccatum mortale, nisi agatur de liberis aut aliis descendentibus Regum vel Principum, qui solemniter debent tunc baptizari in suis capellis cum cæremoniis consuetis: quia illæ cæremoniæ omitti non possunt nisi in casu necessitatis. Vide Clement. *Præsenti*, *de Baptismo;* et *Rituale Romanum, de loco administrandi Baptismum.*—Nomine autem Principum, probabiliùs intelligi non debent Magnates etiam temporalem jurisdictionem habentes, sed ii duntaxat qui absolutam seu independentem habent auctoritatem.

3289. « Layman (cum aliis) censet graviter peccare Magnates qui extra necessitatem faciunt filios baptizari » domi (vel etiam in ecclesiâ privatim...), ut deinde cum » pompâ cæremoniæ perficiantur in ecclesiâ postquam » advenerint patrini, qui equidem, collato jam antea Baptismo, nec patrini efficiuntur. His tamen non obstantibus *puto* (inquit S. Liguor.) *quòd ubi introducta fuerit* » *consuetudo domi baptizandi filios Magnatum, ipsa non est* » *facilè improbanda*, ut ait Croix » (Lib. 6, n° 118, *not.* III)[1]. Ipse Benedictus XIV (*Inst.* 98, n° 13), juxta Lequeux, n° 716, supponit excusari eos qui ab Episcopo seu Vicario Generali facultatem obtinuerunt, ut Baptismus domi conferretur eò quòd expectetur vir dignitate vel genere illustris, qui patrini munere fungatur. Vide etiam Herdt (*Sacræ Liturgiæ*, pars 6, n° 9), qui putat Baptismum posse separari à suis cæremoniis cum causâ ab Episcopo probatâ.

3290. Pontifex tamen noster Pius IX concedere noluit DD. Chatrousse Episcopo Valentinensi ut permitteret præfatam separationem; et Concilium Avenionense anni 1849 monet Episcopos ut non facilè hoc permittant (p. 52). — Obtentâ verò licentiâ hoc faciendi, non videtur quòd sit obligatio *sub gravi* procurandi, ut in ecclesiâ Baptismus administretur, licet id sit decentius.—(V. *Confér. d'Angers*, tom. 7, p. 127, edit. 1830.)

[1] Porrò hæc consuetudo viget in multis Galliæ diœcesibus.

3291. *Nota* quòd sacerdos baptizans domi in casu necessitatis, puerum periclitantem, debeat uti stolâ albâ non verò violaceâ, cùm in eo casu non fiant exorcizationes, nec infans lineatur oleo catechumenorum; secus est dicendum, juxta *Rituale*, de iis quæ fiunt post Baptismum: unde fieri debet unctio chrismatis. Ita S. Congr. Rit., 23 sept. 1826 (*Explic. du Catéchisme*, par Guillois, tom. 3, p. 61, 7e edit.).

3292. *Nota* insuper quòd ecclesia, in quâ solemnis Baptismus sub gravi est conferendus, est ea in quâ adest fons baptismalis. Ita *Rituale Roman.*, et sic à Clemente V in Concilio Viennensi fuit præscriptum : « Præsenti prohibe-» mus Decreto ne quis de cætero in aulis.., sed duntaxat » in ecclesiis in quibus sunt ad hoc fontes specialiter depu-» tati.., audeat baptizare » : quæ verba *audeat baptizare* satis indicant grave esse præceptum.

ART. IV.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

3293. Subjectum Baptismi est solus homo vivens, nondum baptizatus : est de fide. (Concil. Trident., sess. 5, can. 4.)

1° Validè baptizantur infantes et perpetuò amentes, qui nunquam usum rationis habuerunt; si verò aliquando ratione usi fuerint, non valet eorum Baptismus, si ante amentiam non petiverint. Ita S. Liguor., lib. 6, n° 121. Vide supra (3232).

3294. — 2° Regulariter nemo est baptizandus antequam perfectè sit natus : si tamen esset mortis periculum, baptizari deberet, ut supra diximus (3261) saltem sub conditione, licet foret adhuc inclusus in utero matris, modò aqua ad eum pervenire valeret.

3295. — 3° Quidquid dicat Natalis Alex. (*de Baptismo*), non requiritur in fœtu abortivo signum evidens vitæ ut possit baptizari, sed est baptizandus, saltem sub conditione, quoties adest aliqua probabilitas, etiam tenuis, de ipsius vitâ; proinde baptizandi sunt, saltem sub conditione, omnes fœtus abortivi, si aliquem motum vitalem habeant;

modò aliqua sit in eis organorum dispositio : cùm ubique receptum sit non priùs infundi animam corpori quàm istud formatum fuerit. — Circa quod notandum est vigere hodiè opinionem, apud peritos, quòd fœtus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquot dies, animâ informentur: variis experimentis sat convincentibus nititur hæc opinio, ut videre est, ap. S. Liguor., lib. 6, nº 124; et Cangiamila, *De Embryologiâ sacrâ.*

3296. — 4° Validè baptizatur quem minister putat esse alium, aut licet puella sit quam existimat puerum, quia intendit baptizare præsentem.

5° Validè plures simul baptizari possunt sub hâc formâ : *Ego vos baptizo*, etc.; sed id est illicitum extra periculum mortis.

3297.— 6° « In monstris verò baptizandis, si casus eve-
» niat, magna cautio adhibenda est : de quo si opus fuerit,
» Ordinarius loci vel alii periti consulantur, nisi mortis
» periculum immineat.

» Monstrum quod humanam speciem non præ se ferat,
» baptizari non debet : de quo si dubium fuerit, baptizetur
» sub hâc conditione : *Si tu es homo*, *ego te baptizo*, etc.»
Si ergo in massâ informi sit motus vitalis, et tempus non suppetat investigandi an in eâ subsit species humana, baptizanda est sub conditione; sic statuunt plura Ritualia, juxta Lequeux (nº 708); vide etiam *Mandement pour les Confér. du diocèse de Valence* 1840 (p. 23).

« Illud verò de quo dubium est, unane aut plures sint
» personæ, non baptizetur, donec id discernatur : discerni
» autem potest si habeat unum vel plura capita, unum
» vel plura pectora; tunc enim totidem erunt corda et ani-
» mæ, hominesque distincti; et eo casu singuli seorsum
» sunt baptizandi, unicuique dicendo : *Ego te baptizo*, etc.
» Si verò periculum mortis immineat, tempusque non
» suppetat ut singuli separatim baptizentur, poterit minister
» singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul
» baptizare dicendo : *Ego vos baptizo, in nomine*, etc...
» quam tamen formam, in iis solùm et in aliis similibus
» mortis periculis, ad plures simul baptizandos, et ubi tem-

» pus non patitur ut singuli separatim baptizentur, aliàs
» nunquam licet adhibere.

» Quando verò non est certum in monstro esse duas
» personas, quia duo capita et duo pectora non habet
» benè distincta, tunc debet primùm unus absolutè bap-
» tizari, et postea alter sub conditione, hoc modo : *Si non*
» *es baptizatus, ego te baptizo, etc.*» Ita *Rituale Roman., de*
» *baptiz. parvulis.*

3298. « Quando dubitatur an monstrum sit homo, in-
» quit S. Liguor. (lib. 6, n° 125), baptizandum absolutè,
» si caput sit humanum licet membra sint ferina; sub
» conditione verò, si caput sit ferinum et membra humana;
» hoc verò si prodierit ex congressu viri cum feminâ : nam
» si prodierit ex viro cum bestiâ (quod incredibile puto),
» tunc baptizari semper deberet sub conditione; secus si
» ex feminâ et bruto : tunc enim nullo modo baptizandum,
» quia non descenderet ex Adam, utpote non conceptum
» ex semine virili. »

3299. — 7° Filii, etiam infidelium, validè baptizantur sinè consensu parentum : « Non enim scriptum est, inquit
» S. August. : Nisi quis renatus fuerit ex parentum volun-
» tate; sed, nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu
» Sancto. » An autem, parentibus invitis, licitè baptizari valeant filii infidelium, vide dicta supra (3150-3154).

3300. Controvertitur autem an illi possint licitè baptizari, invitis quidem parentibus, sed auctoritate publicâ Principis : videtur id esse vetitum ab Ecclesiâ quoad Judæos (S. Liguor., lib. 6, n° 132). Validè et licitè, ut supra diximus (3153), baptizari possunt perpetuò amentes, insciis parentibus infidelibus.

3301. De dispositionibus requisitis in adulto Baptismum suscipiente, vide Theologos morales : de iis loquitur S. Lig., lib. 6, n° 137; videatur etiam *Rituale Roman., de Baptismo Adultorum.*

Propter difficultates quæ occurrere possunt in hujusmodi adultorum baptismate, ordinariè adulti non sunt baptizandi nisi consulto Episcopo.

3302. Eorum occasione hic quædam sunt addenda circa *Catechumenatum* :

Qui disponuntur ad Baptismum *Catechumeni* vocantur, à voce græcâ quæ significat : *instructus vivâ voce in catechismis*.

Tres communiter numerabantur olim Catechumenatûs gradus, videlicet : *Audientium, Competentium* et *Electorum*, quidam tamen quartum gradum adjiciunt, scilicet *Genuflectentium ;* sed alii volunt *Genuflectentes* non constituisse specialem gradum Catechumenorum, sed hâc voce designatos fuisse Catechumenos dejectos, propter aliquem lapsum, è gradu Catechumenatûs ad quem jam pervenerant.

3303. — « 1° *Audientes* erant qui... recipiebantur ab » Episcopis inter Catechumenos, facto illis signo crucis in » fronte et in pluribus aliis partibus corporis, cum manuum » impositione..., insufflationibus, degustatione salis et » exorcismis : ex *Sacramentario* S. Gregor., tit. *ad catechu-* » *menum ex pagano faciendum*.

» ... Admittebantur ad audiendum verbum Dei in eâ parte » ecclesiæ quæ hodie *Navis* dicitur, et inde *Auditorium*, » *et ipsi Audientes..;* dimittebantur ante offertorium..., » diacono ex ambone solemniter clamante : *Catechumeni*, » *discedite*.

3304. — » 2° *Competentes* erant qui urgente Baptismi » desiderio instanter petebant ad illum admitti ; unde *Com-* » *petentes* à *petendo* dicti. Petebant autem...., in terram » prostrati et dantes nomina sua. In hunc ordinem coap- » tati laboriosis pœnitentiæ operibus exercitabantur, ut se » præpararent ad Baptismum... Concil. Carth. IV, can. 85; » Tertull., *De Baptismo*, c. 20...

3305. — » 3° *Electi* dicebantur qui, per scrutinia » reperti digni, recipiebant symbolum et admittebantur » ad Baptismum; scrutinium autem erat de vitâ et moribus » competentium : quod fiebat coram multitudine, ut si » quis haberet opponendum, opponeret. Erant septem » scrutinia, quæ ab hebdomadâ tertiâ Quadragesimæ usque » ad Sabbatum Sanctum celebrabantur. Ex *Ordine Romano*. » præcipuum habebatur feriâ IV Majoris Hebdomadæ, quæ

» propterea dicebatur *dies scrutinii*. Competentes igitur, » qui his scrutiniis probati erant digni, accepto Symbolo » dicebantur *electi*... ad Baptismum ; Symbolum tenebantur... memoriter recitare, alicubi feriâ V Majoris Hebdomadæ; in Ecclesiâ verò Romanâ et Hispanicâ, Sabbato » Sancto, pauld ante Baptismum... ; accipiebant etiam » Orationem Dominicam quam reddebant (recitabant) die » Paschæ post Eucharistiam...» Vide Billuart, *De Baptismo* (diss. 3, art. 6, *digressio* 1).—Duratio Catechumenatûs variabat juxta disciplinam uniuscujusque diœcesis : in quibusdam erat octo mensium, in aliis 40 dierum : quod tempus contractum fuit postea ad octo dies. (Billuart, *ib.*)

3306. Forma hodierna Catechumenatûs ad præscripta in *Rituali Romano* reducta est. Circa catechumenatum, vide *Histoire des Sacrements*, in *Cursu compl. Theolog.* (t. 20, col. 11-66).

ART. V.

DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

3307. Communiter docent theologi mortale esse negligere cæremonias Baptismi aut aliquam ex eis notabilem partem : non licet tamen eas adhibere in Baptismo privato : vide apud S. Liguor., lib. 6, n° 143; Lequeux tamen, n° 716, plures refert qui secus sentiunt, sed vide dicta supra (3291). Adhibentur autem in Baptismo filiorum Regum et Principum, etsi in sacello Palatii baptizentur; et forsan possent adhiberi, si infans non posset in ecclesiam deferri sinè periculo infamiæ parentum aut alterius gravis damni : tunc enim Croix cum Gobat, etc., putat Baptismum posse domi solemniter conferri. (S. Liguor., lib. 6, n° 142.)

3308. Casu quo omissæ fuerunt cæremoniæ, supplendæ sunt sub mortali, juxta S. Liguor. (lib. 6, n^{is} 143 et 144), qui multos alios refert; excipe nisi ageretur de hæreticis conversis. Non licet autem adhibere cæremonias aliquas, omissis aliis (S. Liguor., *ib.*), nisi juxta descripta in *Rituali* : vide supra (3291).

3309. Cæremoniæ adhibendæ pro catholico adulto va-

lidè quidem, sed omissis cæremoniis, post nativitatem baptizato, sunt illæ quæ assignantur pro Baptismo infantium, non autem illæ quæ pro adultis præscribuntur. Ita S. Rit. Congr.. apud Herdt (*Sacræ Liturgiæ*, pars 6, n° 9, III). Si supplendæ sint cæremoniæ super adultum ab hæreticis baptizatum, servandæ sunt illæ quæ sunt pro Baptismo adultorum. S. R. Congr., 27 aug. 1836, n° 4631, ad 4.

3310. Seclusâ necessitate, mortale esset baptizare in aquâ non consecratâ, vel sinè unctione chrismatis, aut in chrismate alterius anni : ex cap. Si *quis de alio*, dist. 4, ubi damnatur de mortali, « si quis de alio chrismate quàm » de illo (novo) baptizare, nisi præoccupante morte, ten- » taverit » ; quod confirmatur à *Rituali Romano* : « vete- » ribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur » (parochus); ac si deficere videantur, et chrisma et oleum » benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non » benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate. »

3311. Quid verò si, completo anno, pastor novum oleum non accepit?

Resp. Variè à variis sentiri : alii enim suadent ut præmissis aliis Baptismus conferatur, et postea suppleantur unctiones; alii volunt Baptismum posse differri, nisi mortis periculum immineat; alii tandem volunt posse Baptismum administrari in veteri chrismate, quia jugiter infantes sunt in periculo mortis. — Sic autem S. Liguor. (lib. 6, n° 141) distinguit : « Si oleum novum expectandum esset per no- » tabile tempus, puta per 10 vel 11 dies, tunc licitè poterit » conferri Baptismus sinè unctionibus, et postea unctiones » suppleri : quia talis dilatio sat justa est causa ut possit » Baptismus sinè illis ministrari; secus, si oleum intra » prædictos dies facilè haberi possit : tunc enim puto non » posse sinè necessitate, vel saltem sinè causâ gravi, Bap- » tismum separari ab unctionibus, quæ ex gravi præcepto » concomitanter cum Baptismo debent adhiberi, nisi fortè » priùs adhibitæ sint, ut plures opinantur. » Sed nunc solutum est dubium à S. R. Congr. (in *Oriolensi*, n° 4672); consulta enim : 1° An,.. « benedictio Fontis baptismalis in

» Sabbato S. fieri debeat cum chrismate et oleo præcedentis anni; an potiùs omittenda sit infusio chrismatis et olei præcedentis anni..., usquedum accipiantur recenter consecrata; 2°..; 3° an supposito quòd aqua baptismalis benedicta sit cum veteribus oleis..., infundi debeat in piscinam simul ac nova recipiantur olea, et iterum cum his alia benedicenda sit aqua juxta cæremonias Ritualis Romani : an verò illa conservari, et uti debeat usque ad benedictionem in vigiliâ Pentecostes prout in *Missali?* 4° An in Baptismo solemni ungendi sint infantes oleo et chrismate præcedentis anni, dum recenter consecrata non habeantur : an verò omittenda sit hæc cæremonia, et postea supplenda cùm novum oleum et novum chrisma recipiantur? » Respondit: *Ad 1m, affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam; ad 2m...; ad 3m, negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam..; ad 4m, affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam.* Ita rescripsit, die 23 sept. 1837.

3312. Cæterùm est obligatio curandi ut habeatur novum oleum ante solemnitatem Paschæ pro Sabbato Sancto, vel saltem quamprimùm fieri potest: die enim 16 dec. 1828, damnata fuit à S. Rit. Congreg. consuetudo olea sancta distribuendi duntaxat post Pascha. (Vide *Analecta*, 27e liv., col. 939.)

3313. Quæstio autem controvertitur an repetendæ sint cæremoniæ, casu quo deprehenditur Baptismum fuisse irritum: communius negatur eò quòd in cap. 1, *de sacr. iter.*, dicatur quòd, in Sacramentis caracterem imprimentibus, *nihil sit iterandum, sed cautè supplendum id quod incaute fuerit omissum.* S. Liguor. tamen vocat probabilem utramque opinionem, et consulit affirmantem utpote tutiorem (lib. 6, n° 144, in fine).

Diximus jam de necessitate Baptismum in ecclesiâ conferendi (3288-3292).

3314. Quoad nomen imponendum : non rigorosè præcipitur ut imponatur Sancti nomen (nec etiam nomen aliquod, si urgeat mortis periculum et dubitetur de sexu): hæc solummodo habet *Rituale Roman.* circa nomen imponen-

dum : « Curet (parochus) ne obscœna, fabulosa, aut ridi» cula, vel inanium deorum, vel impiorum Ethnicorum » hominum imponatur, sed *potiùs quatenus fieri potest* » *Sanctorum.* » Unde prohibetur solùm imponere nomina *obscœna*, etc., et consulitur imponere nomina Sanctorum. — In hâc tamen Provinciâ Avenionensi, ex Concilio 1849, « Nomina parvulis non dentur, nisi ex *Martyrologio* de» sumpta » (p. 51).

Nomina autem in Baptismate imposita licitè mutari possunt in Confirmatione, imò et aliis temporibus, privatâ etiam auctoritate. (S. Liguor., *ib.*, n° 145.)

3315. Sedulò parochus adnotare debet in libro diem et horam nativitatis, nomina parentum et patrinorum; item si Baptismus collatus fuerit sub conditione vel sinè cæremoniis; item ubi infans repertus fuerit expositus. Ita S. Liguor.: vide *Rituale.*

3316. Interrogationes faciendæ in collatione Baptismi, fieri nequeunt vernaculè, ex S. R. C. 12 sept. 1857, ad 17m. Vide *Analecta*, 23e livr., col. 342 et 355. nisi ex indulto.

3317. Benedictio autem mulierum post partum de præcepto non est; *pia tamen et laudabilis est consuetudo quòd benedictionem accipiant*, inquit *Rituale Roman.* Hujusmodi benedictio conferenda est à proprio parocho. Vide supra (619) et Herdt (*Sacræ Liturgiæ*, pars 6, n° 11). Dari potest sinè mutatione formulæ *Ritualis*, etsi proles fuerit mortua absque Baptismo, ut deduci potest ex decisione S. R. Congreg. 12 sept. 1857, ad 20m (*Analecta*, 25 fév., col. 344 et 355).

Notandum est quòd S. Congr. Conc. consulta an consuetudo benedictionem impertiendi post partum solis uxoribus legitimis, vel viduis post partum posthumum, sit *Rituali* conformis; et quatenus negativè, an possit tolerari ut præfata benedictio post partum illegitimum denegetur: respondit, 18 junii 1859 : « Ad benedictionem post partum jus » tantùm habere mulieres quæ ex legitimo matrimonio » pepererunt. » Vide *Rev. des sciences eccl.* (n° 6, p. 581). Unde benedicendæ non sunt mulieres matrimonio civili tantùm conjunctæ. Vide Lequeux, n° 715.

ART. VI.

DE PATRINIS.

3318. « Patrini sunt quasi patres spirituales qui bapti » zatum de fonte suscipiunt in suam curam : unde eorum » officium est baptizatum de rebus fidei instruere, Oratio» nem Dominicam et Symbolum docere : ad quod obli» gantur si ab aliis non fiat. » Ita Busembaum, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 146). Vide S. Thom., p. 3, q. 67, art. 8.

3319. A primordiis ipsis Ecclesiæ in usu fuerunt Patrini, et ideo videntur fuisse adhibiti quia necesse erat tunc ut quis fieret quasi cautio veritatis conversionis neophyti, et ut insuper baptizatum docerent mores et disciplinam christianam. Vide André, v° *Parrain*.

3320. De Patrino sic habet Conc. Trid. (sess. 24, c. 2, *de ref. Matr.*) : « Unus tantùm, sive sit vir sive sit mulier.., » vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo » suscipiant : inter quos ac baptizatum ipsum et illius pa» trem et matrem, necnon inter baptizantem et baptiza» tum baptizatique patrem tantùm et matrem, spiritualis » cognatio contrahatur. Parochus antequam ad Baptismum » conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos specta» bit, sciscitetur quem vel quos elegerint, ut baptizatum » de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantùm ad illum » suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina descri» bat, doceatque eos quam cognationem contraxerint. »

3321. Peccaret graviter parochus baptizans solemniter sinè patrino, cùm hæc sit de præcipuis cæremoniis (S. Liguor., lib. 6, n° 159). — In Baptismo autem privato, patrinus non est necessariò adhibendus, licet meliùs sit ut adhibeatur (*ibid.*, 147) : et tunc, quidquid dicat S. Lig. ib. 149, contrahitur cognatio spirit. juxta dec. S. C. C. 5 mart. 1678, ap. *Anal.* n° 72, col. 1731. Est necessarius etiam in Baptismo adultorum. Vide *Rituale Romanum*.

3322. Ut validè quis sit patrinus plures requiruntur conditiones : 1° usus rationis, qui juxta communem senten-

tiam, sufficit; nec requiritur ætas determinata; 2° ut ipse sit validè baptizatus: ut enim quis pater esse possit, debet jam esse natus (ex cap. *In Baptismate* 102, de Consecr., distinctio 4); 3° ut à parentibus vel à parocho sit designatus aut admissus : controvertitur an patrinus à parentibus designatus possit à parocho mutari; sed graviter peccaret parochus patrinum sinè sufficienti ratione mutans (S. Lig., lib. 6, n° 159); 4° ut in ipso Baptismo, non autem in cæremoniis tantùm, per se vel per procuratorem tangat baptizatum, aut de manu baptizantis suscipiat; et id quidem non materialiter tantùm, sed animo susceptoris, sive cum intentione id munus gerendi.

3323. Patrini et matrinæ non possunt esse duo mares aut duæ feminæ; etsi controvertatur utrum hoc esset mortale vel solùm veniale, veriùs tamen sancto Liguorio videtur quòd sit mortale, si patrini vel matrinæ essent sexûs diversi à baptizando, quia tunc multiplicarentur cognationes contra intentum Concilii Tridentini.

Si unicus sit patrinus aut unica matrina, probabilius est quòd possit esse mas aut femina, cujuscumque sexûs sit baptizandus. (S. Liguor., lib. 6, n° 155.)

3324. Illicitè, quamvis validè, sunt patrini : 1° Abbates et omnes regulares à sæculo segregati (*Rituale Roman.*), nisi regulares facti sint Episcopi; quoad Abbates tamen in multis locis contraria est consuetudo.

2° Conjuges respectu conjugum et parentes respectu filiorum, nisi sit necessitas.

3° Apostatæ et hæretici. — An autem ex gravi causâ adhiberi possit patrinus hæreticus? — Affirmat Layman, et consentit Pal., si aliter oriretur gravis offensio; sed communiter negatur, ait S. Liguor. (lib. 6, n° 156). Ait autem *Rituale Roman.*: « Sciant parochi ad hoc munus non » esse admittendos infideles, aut hæreticos, non publicè » excommunicatos, aut interdictos, non publicè criminosos, aut infames, nec præterea qui sanâ mente non » sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei : hæc enim » patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte sus» ceperint, ubi opus fuerit, opportunè docere tenentur. »

Vide insuper quæ diximus supra (3204-3222) et Statuta diœcesana.

3325. Quærit. 1° An tactus physicus sit necessarius, etiam quoad adultos, ut patrinus contrahat impedimentum cognationis spiritualis?

Resp. Quidam dicunt sufficere saltem quoad adultos tactum moralem seu simplicem assistentiam; sed communissima sententia requirit tactum physicum; et de hoc affertur à Sanchez Declaratio Cardinalium : ratio est quia hujusmodi tactus expressè à sacris canonibus requiritur, et cæremonia hæc non fuit inducta tantùm ad supplendam corporis debilitatem, sed ad significandam animæ imbecillitatem. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 148).

3326. Si plures quàm patrinus et matrina designarentur et omnes tangerent, vel successivè tangerent, vel simul : si priùs, duo primi tantùm cognationem contraherent; si posteriùs, omnes contraherent, juxta communiorem et probabiliorem sententiam; licet enim Trident. vetet adhibere plures quàm duos, tamen non irritat jus antiquum, nisi cùm tangunt plures ultra duos designatos; non verò si tangant plures designati ultra duos, præsertim si ignoretur quis priùs tetigerit. (Liguor. lib. 6, n° 154.)

3327. Casu quo nulli fuissent designati, et tamen plures tangerent, controvertitur utrum ii omnes cognationem contraherent; sententiæ affirmanti subscribit S. Liguor. (*ib.*), quia jus antiquum (cap. fin., *de Cognat. spirit.*, in 6°) in hoc non fuit revocatum à Concil. Trident., quod solummodo dicit : « Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, » Constitutionibus in contrarium non obstantibus. » Imò si designati non tangerent, tangentes spontanei cognationem contraherent, quia Concilium dicit non contrahere cognationem eos solùm qui *ultra* non verò qui *præter* designatos tangunt.

3328. Casu autem quo parochus injustè repelleret patrinos à parentibus electos, ii tamen cognationem contraherent, si baptizatum tangerent.

Si verò plures quàm duo à parentibus designarentur,

permittere posset parochus ut omnes tangerent, modò externè designaret unum et unam qui munere patrini et matrinæ verè fungerentur, et qui soli cognationem erunt contracturi. (S. Liguor., *ib.*, n° 154.)

3329. Quærit. 2° An duo conjuges licitè possint suscipere è sacro fonte alienam prolem?

Resp. Negare Suarezium, ex Const. Urbani II relatâ in cap. finali 30, q. 4, quod tamen censet non excedere veniale; sed nullum esse peccatum probabiliùs tenet S. Liguor. (*ib.*, n° 157) cum communissimâ sententiâ: quia consuetudine introductum est hoc non esse peccatum, ut expressè docet S. Thomas.

3330. Quærit. 3° An parentes baptizantes vel suscipientes de sacro fonte prolem suam, contrahant impedimentum petendi debitum?

Resp. Certum est eos dictum impedimentum non contrahere si baptizent in necessitate; nec si baptizent aut è fonte suscipiant ex ignorantiâ (ex cap. *Si vir, de Cognat. spirit*); certum est tamen eos peccare graviter si baptizent filios sinè necessitate. — An autem tunc incurrant impedimentum petendi debitum, controvertitur: communior sententia affirmat; negantem tamen S. Liguor. satis probabilem vocat, eâ ratione innixus quòd in cap. citato *Si vir* non vetetur reddere debitum: sic enim habet hoc capitulum: « Si vir » vel mulier, *scienter* vel ignoranter, filium suum de *sacro* » *fonte* susceperint.., quamvis generaliter sit institutum... » ut debeant separari, quidam tamen humaniùs sentientes » aliter statuerunt, ideoque nobis videtur quòd sive ex » ignorantiâ, sive *ex malitiâ* id fecerint, non sunt ab » invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere..; quia si ex ignorantiâ id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si *ex malitiâ*, eis sua fraus non » debet patrocinari, vel dolus. » Imò hoc capitulum supponit etiam partem ream posse debitum petere, siquidem dicit utramque partem debere reddere; porrò ab innocenti non esset reddendum debitum, nec etiam reddi posset, si sinè gravi incommodo valeret negare, quia sinè ratione non licet cooperari alterius peccato. S. Liguor.,

ib. 6, n° 150; et DD. Gousset, *Théologie morale*, *du Baptême*, n° 119.

3331. Quærit. 4° An cognationem contrahat suscipiens infantem in Baptismo sub conditione collato?

Respondet S. Liguorius omnino esse affirmandum si de primo Baptismo adsit tantùm dubium negativum, quia nulla tunc stat ratio pro valore Baptismi anterioris; secus, si dubium sit positivum, et tunc sententiam negantem satis probabilem putat. (Lib. 6, n° 151.)

3332. Quærit. 5° Quisnam cognationem contrahat quando quis suscipit infantem nomine alterius?

Resp. Tres esse sententias : *prima* dicit solùm principalem contrahere; *secunda* tenet solùm contrahere procuratorem; *tertia* dicit neutrum contrahere. Prima vocatur communior à S. Liguorio, cui etiam *verior* absolutè videtur : quia solus *principalis* designatus à parentibus, etsi *per se* non *tangat*, tangit tamen per alium. Sicque decisum à S. C. refertur à Pontio. (S. Liguor., *ib.*, 153.)

SCHOLIUM.

3333. Quædam admonitiones sunt faciendæ post Baptismum, juxta *Rituale* :

1° « Admonendi sunt susceptores de spirituali cognatione » quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre » et matre : quæ cognatio impedit matrimonium ac dirimit.

2° » Curet Parochus parentes infantis admoneri, ne in » lecto secum ipsi, vel nutrices parvulum habeant, propter » oppressionis periculum : sed eum diligenter custodiant, » et opportunè ad christianam disciplinam instituant. » Quidam apud S. Liguor. (*ib.*, n° 160) dicunt hujusmodi cubationem posse omni culpâ carere si, v. g., lectus est latus, puer implacabilis, nec possit aliter à frigore defendi, et mulier soleat in somno suum retinere situm et locum. Ita Tournely cum aliis.

3° « Commonendi sunt etiam parentes et alii, si opus » fuerit, ne filios hebræis, aliis infidelibus, vel hæreticis » mulieribus ullo modo lactandos aut nutriendos tradant. »

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONE.

3334. Confirmatio est sacramentum novæ legis quo, per unctionem Chrismatis ab Episcopo factam in fronte baptizati, sub præscriptâ verborum formâ, confertur augmentum gratiæ et robur singulare ad fidem firmiter tenendam et intrepidè profitendam. (Gury, tom. 2, n° 167.)

Habetur in epistolâ 2â Fabiani Papæ hoc Sacramentum in nocte Cœnæ fuisse institutum. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 162). Sed hæc epistola est apocrypha.

ART. I.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS.

3335. I. Multùm disceptatum fuit de materiâ proximâ Sacramenti Confirmationis : *Prima* sententia tenet eam esse manuum impositionem quæ habetur in *Pontificali* initio cæremoniæ, quando ab Episcopo dicitur oratio : *Omnipotens sempiterne Deus*, etc. ; unctionem verò quæ postea fit esse solùm materiam accidentalem ab Ecclesiâ institutam. Ita P. Sirmundus, etc. — *Secunda* sententia dicit materiam essentialem componi tam impositione manuum quæ initio fit, quàm unctione quæ postea ab Episcopo adhibetur : ita Juen., Tournely, etc.—*Tertia* tandem sententia sustinet materiam adæquatam et totalem Confirmationis esse Chrismatis Unctionem, quæ fit in fronte confirmandorum per impositionem manûs Episcopi. Hanc communiter tenent theologi cum Bellarmino, et eam S. Liguor. certissimam habet multisque ac validis argumentis demonstrat (lib. 6, n° 164) : sufficiat referre Decretum *ad Armenos :*

« Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus ma-
» teria est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem signi-
» ficat conscientiæ, et balsamo quod odorem significat
» bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem
» est : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis*

» *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti*. Ordinarius » minister est Episcopus; et cùm cæteras unctiones simplex » sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet » conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem » tenent Episcopi, quòd per manûs impositionem Spiri» tum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Aposto» lorum lectio manifestat. » Ex quo sat manifestè patet solam impositionem manuum quæ fit ab Episcopo dum frontes ungit, assignari ab Eugenio IV tanquam materiam Confirmationis; ergo, etc. Ita certa Benedicto XIV visa fuit hæc sententia quòd in Encyclicâ *Ex quo primùm* permiserit illam amplecti, licet minus tuta sit quàm secunda sententia.

3336. Attamen, inquit P. Gury (n° 168), cùm plures censeant requiri etiam generalem manuum impositionem quæ initio cæremoniæ locum habet, ea est sub gravi adhibenda: imò si quis ei non adfuerit pro ipso hæc cæremonia est repetenda.

3337. De essentiâ autem sacramenti est: 1° ut unctio fiat in fronte, prout habetur ex cap. unico, *de sacrâ unctione*, et ex Decreto Eugenii IV: ita communiter; 2° ut fiat in formâ crucis: ita etiam communiter, juxta S. Thomam (3 pars, q. 72, art. 4, ad 3); 3° *per manum ipsius Episcopi ministrantis*, non verò medio instrumenti, v. g. penicillo: quia deficeret manûs impositio quæ est de essentiâ Sacramenti, ut constat ex Actib. Apostol. (S. Liguor., lib. 6, n°ˢ 164 et 166.)

Valida est unctio quæ fieret alio digito quàm pollice dexteræ manûs: in hoc tamen esset peccatum grave juxta multos, vel solùm veniale juxta alios, quorum sententia non videtur omninò improbabilis, inquit S. Liguorius (*ib.*, n° 165).

3338. II. Materia autem remota est chrisma quod conficitur ex oleo olivarum et balsamo, et ab Episcopo fuit benedictum.

Certum est oleum esse de necessitate sacramenti, ex cap. ultimo, *de sacrâ unctione*, et Decreto Eugenii IV supra relato; et debet esse oleum olivarum, ut docet S. Thomas (pars 3, q. 72, art. 2). — Certum est pariter balsamum esse

de necessitate præcepti; sed sufficiens est balsamum cujuscumque regionis, et in eâ solâ quantitate quæ odorem sui valeat probare; nec est necessarium ut omnibus olei partibus misceatur. Controvertitur autem an balsamum sit de necessitate sacramenti: vide S. Liguor., lib. 6, nº 162; et ideo confirmatio data cum solo oleo, saltem sub conditione esset iteranda; quia verò sat probabilis videtur sententia tenens validum esse sacramentum cum solo oleo olivarum, in hoc solo quis posset sub conditione confirmari in articulo mortis, si aliud haberi non posset: quia magna utilitas hujus sacramenti esset justa causa illud sic ministrandi. (S. Liguor., *ib.*)

3339. An autem sit necessarium ut chrisma benedicatur? — Respondetur affirmativè quoad necessitatem præcepti: et quidem benedici debet regulariter ab Episcopo; unde Innocent. I, cap. 119, dist. 4, de *Consecr.*, ait: « Presby-» teris (seu extra Episcopum seu præsente Episcopo, bap-» tizant) chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab » Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex » eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cùm » tradunt Spiritum Sanctum. »

3340. Quoad verò necessitatem Sacramenti, controvertitur utrum ad hoc requiratur ut chrisma sit ab Episcopo benedictum: communior sententia affirmat; et in Decreto Eugenii IV dicitur materiam Confirmationis esse Chrisma ab Episcopo benedictum; contraria tamen sententia negans meritò reputatur probabilis à S. Liguorio, eò quòd, sicut Papa committere potest simplici sacerdoti ut confirmationis Sacramentum conferat, ita et ut chrisma benedicat; sed quidquid nonnulli dicant, certum videtur necessarium esse quòd chrisma fuerit saltem benedictum à sacerdote facultatem à Papâ habente: Clemens VIII enim declaravit *Extremam-Unctionem latinis collatam à sacerdotibus græcis oleo ab ipsismet benedicto* [1] *esse validam;* ex quo supponi videtur esse invalidam, si oleum ab ipsis saltem non fuis-

[1] Solent enim sacerdotes græci oleum infirmorum ipsimet benedicere, id tolerante, imò approbante Ecclesiâ.

set benedictum : quod à fortiori videtur pariter esse dicendum de Confirmatione. Vide Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 7, c. 8, nis 1 et 2 ; lib. 8, cap. 1, n° 4 ; et S. Liguor., lib. 6, n° 163. Ab antiquissimis tamen temporibus vetitum fuit presbyteris chrisma conficere. (*De Synodo*, lib. 7, c. 8.)

3341. Perinde est ad valorem Sacramenti, quod chrisma sit novum aut vetus, licet graviter peccet qui utitur alio quàm novo, id est illo anno consecrato : ita communiter (*ibid.*). Chrismatis autem consecratio fieri debet in die *Cœnæ Domini.*

3342. III. Circa formam Sacramenti Confirmationis variæ sunt pariter opiniones, et id consequenter ad opinionem quam quisque amplectitur circa materiam. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 167 ; sed juxta communiorem et veriorem sententiam quæ tenet materiam adæquatam Confirmationis esse unctionem chrismatis, totalis forma ejusdem Sacramenti contineri debet in iis verbis ab Episcopo prolatis, dum frontes confirmandorum ungit : *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis*, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti :* sic docet S. Thomas, et definivit Eugenius IV in Decreto *ad Armenos,* ubi dicit : « Forma autem » est : *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis,* » *etc.* » ; sic pariter Bened. XIV in suâ Constit. *Ex quo primùm,* anni 1746, ubi sic ait : « Quod itaque extra controver- » siam est, hoc dicatur : nimirum in Ecclesiâ latinâ Confirma- » tionis Sacramentum conferri, *adhibito sacro chrismate*, » etc., dum idem minister formæ verba pronuntiat. » Ibi enim non fit mentio alterius materiæ quàm unctionis, nec de aliis verbis quàm de iis prolatis ab Episcopo dum frontes ungit : ergo, etc.

3343. Communiter docent auctores invalidam fieri præfatam formam per sequentes mutationes : si omittatur, 1° verbum *signo* vel *confirmo ;* 2° expressio Trinit.; 3° vox *te*, verba *signo crucis*, vel *chrismate salutis :* dicere autem *corroboro* pro *confirmo*, aut *sanctificationis* pro *salutis*, esset mutatio accidentalis. Vide apud S. Liguor., lib. 6, n° 168.

3344. Forma verò à Græcis adhibita his verbis consistens : *signaculum doni Spiritûs Sancti*, communiter ut va-

lida habetur *ib.*, 169); etiamsi expressio personarum SS. Trinitatis sit omissa, quia exprimuntur in oratione quæ præcedit.

3345. Tres sunt effectus Confirmationis, videlicet: 1° *caracter*; 2° *gratia sanctificans* in se continens robur speciale ad præliandum prælia Domini, quæ dicitur etiam plenitudo Spiritûs Sancti, et comparatur gratiæ quam Apostoli in die Pentecostes receperunt; 3° *cognatio spiritualis* (S. Liguor., lib. 6, n° 169).

ART. II.

DE MINISTRO ET SUBJECTO CONFIRMATIONIS ET DE IPSIUS NECESSITATE.

3346. — I. Certum et de fide est solum Episcopum esse ordinarium Ministrum Confirmationis: « Si quis dixerit » sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse » solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, » anathema sit. » (Trid. sess. 7, can. 3.)

3347. Dubitatum fuit an, ex concessione S. Pontificis, simplex sacerdos possit confirmare tanquam Minister extraordinarius, et negativè censuit Viva cum aliis pluribus; sed omnino est affirmandum cum S. Thomâ (pars 3, q. 72, art. 11, ad 1). Nec hodie ampliùs de hoc est dubitandum, ex Bullâ Bened. XIV *Quamvis tempore*, 4 maii 1745, ubi Pontifex indulsit ut sacerdotes missionarii Confirmationem cophtis pro necessitate administrarent: imò Eugenius IV concessit cuidam Franciscano missionario facultatem etiam chrisma conficiendi. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 170.—Alia de Ministro Confirmationis vide supra (987-995).

3348. An autem ex delegatione solius Episcopi presbyter possit confirmare? — Si quæstio expendatur, inspectâ solâ institutione divinâ et seclusâ Ecclesiæ prohibitione, multùm controvertitur, ut videre est apud Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 7, c. 8, n° 3, etc.), et supra (1716, 1717); sed « quidquid sit de hâc difficili et valdè implexâ controver- » siâ, omnibus in confesso est irritam nunc fore Confir- » mationem à simplici presbytero latino ex solâ Episcopi

» delegatione, collatam : quia Sedes Apostolica id juris » sibi unicè reservavit. » Jam à tempore Nicolai I hanc reservationem fuisse factam constat ex Epistolâ hujus Pontificis ad Hincmarum. (Bened. XIV, *ib.*)

3349. — II. Capaces sunt Sacramenti Confirmationis omnes et soli baptizati nondum Confirmati, etsi usum rationis non habeant, imò etsi sint perpetuò amentes : qui etiam licitè confirmantur, quamvis per accidens nunquam sint spiritualiter pugnaturi. S. Liguor., lib. 6, n[is] 176 et 180.

Alia dicenda de subjecto Confirmationis inveniuntur supra (987-993).

3350.—III. An sit obligatio sub gravi suscipiendi Sacramentum Confirmationis ?

Resp. Certum est esse grave peccatum, si non recipiatur ex contemptu formali, vel cum scandalo, vel cum intimâ persuasione sibi imminere, absque eâ, grave periculum labendi in peccatum mortale aut fidem amittendi. His autem circumstantiis exceptis, certum est adhuc adesse obligationem, saltem sub levi, hoc Sacramentum recipiendi ; sed controvertitur an hæc obligatio sit sub gravi, cùm sacramentum commodè potest recipi : multi, contra multos negantes, affirmant; quæstionem autem in sensu affirmantium solvisse videtur Bened. XIV in Bullâ *Etsi pastoralis*, ubi, postquam declaravit omnes suscipientes Confirmationem à presbyteris græcis invalidè confirmari, de iis addit : « Monendi sunt ab Ordinariis locorum, eos » *gravis peccati* reatu teneri, si (cùm possint) ad Confir- » mationem accedere renuunt, ac negligunt. » Unde, ait S. Liguor., sententia negans « hodie non videtur satis pro- » babilis » (lib. 6, n° 182, *in fine*). — De obligatione recipiendi Confirmationem ante tonsuram, vide supra (1669).

Circa naturam obligationis cæremoniarum in Confirmatione adhibendarum, et circa necessitatem patrini, vide supra (994, 995).

Quoad dispositiones requisitas in admittendis ad Confir-

mationis Sacramentum, vide Theologos morales, et S. Lig., lib. 6, no 179.

3351. Parochi tenentur referre in librum nomina Confirmatorum et patrinorum suæ parochiæ; et ut hoc rectè peragatur, curare debet Episcopus, tum propter sciendam cognationem spiritualem, tum propter ordines suscipiendos. — Nomen autem in Baptismate acceptum, in confirmatione, ut supradiximus, mutari potest. (S. Liguor., lib. 6, no 188.)

FINIS TOMI SECUNDI.

APPENDICES

APPENDIX I.

CIRCA PROFESSIONEM FIDEI EMITTENDAM A PAROCHIS AMOVIBILIBUS.

(Ad p. 67.)

Quæsierat Episcopus S. Deodati :

I. An præter canonicos, dignitates et curatos inamovibili, ut aiunt, titulo provisos, parochi etiam amovibiles seu succursalistæ ad professionem fidei juxta præscriptionem S. Concilii Tridentini teneantur ?

Et quatenus affirmative circa succursalistas :

II. An possint professionem facere coram simplici deputato ab Episcopo ?

III An prædicta professio toties renovari debeat quoties illi omnes, de quibus supra, ad aliud beneficium transferuntur ?

S. C. C. die 16 decembris 1866 respondit : Ad I : *affirmative* ; ad II : *negative* ; ad III : *affirmative*.

Exemplum autem indulti quo fit facultas delegandi presbyterum ad hujusmodi professionem fidei accipiendam, vide, v. g. quoad Episcopum Argentinensem, ap. *Canoniste*, 1892, p. 435.

APPENDIX II.

CIRCA ONUS PERSONALE PAROCHI APPLICANDI MISSAM PRO POPULO.

(Ad p. 83.)

Parochus ita tenetur ad applicationem pro populo per seipsum, ut quando abest, per substitutum applicare

ne queat, nisi ipse non celebret : onus enim est personale. Unde S. C. C. in *Policastren.*, 14 decemb. 1872, respondit : « Parochum die festo a sua parœcia legitime absentem satisfacere suæ obligationi, missam celebrando pro populo in loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet. Parochum vero, utcumque legitime impeditum ne missam celebret, teneri eam die festo per alium celebrari et applicari facere pro populo in ecclesia parochiali ; quod si ita factum non fuerit, quamprimum poterit, missam pro populo applicare debere ».

Nec valet consuetudo qua semper applicaretur pro populo missa solemnior, etiamsi a vicario celebraretur, juxta plures responsiones S. C. C., præsertim 9 april. 1891, in *Celimonten.*; Cf. et *Melevitana*, 9 april. 1892.

APPENDIX III.

CIRCA DUPLICEM APPLICATIONEM MISSÆ PRO POPULO A PAROCHIS FACIENDAM.

(Ad p. 34.)

1495 *bis*. Præterea quandoque parochi tenentur duplicem missam applicare pro populo, quando nempe perpetuo vel ad tempus regunt pro suo nomine duplicem parochiam. Non vero duplex sed una foret parochia si duæ parochiæ olim distinctæ jam in perpetuum unione extinctiva in unam redactæ essent. Secus principium est inconcussum : quot parœciæ, tot missæ applicandæ ; imò necessitas duplicis applicationis non est, *de se*, ratio sufficiens ut parochus bis celebret. S. C. C. 4 febr. 1883. Deficiente vero alio presbytero, legitima est ratio binationis, juxta omnes. At duplex applicatio urget etiam iis diebus, ut in suppressis festis, quibus semel tantum celebrat. Ita S. C. C. die 11 julii 1873. Quæsierat enim Episcopus Catalaunensis :

1° Utrum parochus, duas habens parochias, qui ob

rationabilem causam non potuit, die dominica vel festo, secundam missam celebrare, teneatur per hebdomadam applicare missam pro populo secundæ parochiæ ; vel utrum sufficiat ut unicam missam, quam die dominica vel festo celebrat, applicet pro populo duarum suarum parochiarum ?

2° Utrum diebus festis suppressis, in quibus binam missam celebrandi non habet facultatem, sufficiat ut solam missam, quam dicere potest, applicet pro populo duarum suarum parochiarum ; vel utrum, altera die, teneatur secundam missam pro populo secundæ parochiæ applicare ? »

S. Congregatio respondit : « ad 1m affirmative ad primam partem, negative ad secundam. — ad 2m negative ad primam partem, affirmative ad secundam. »

Attamen variis indultis hanc regulam mitigavit S. C. C. Concessit quippe ut diebus suppressis, unica missa parochus duplici obligationi satisfaceret, v. g. in *Nivernen*, 5 mart. 1887 ; item quoad dominicas et dies festos non suppressos, quoties parochus semel celebrat, v. g. in *Catalaunen.*, 9 maii 1874 ; imo quando bis celebrat, retenta eleemosyna alterius missæ favore seminarii diœcesani, v. g. S. C. super negot. extraord. 16 dec. 1873, et sæpius deinceps. Singularis autem est concessio vivæ vocis oraculo Episcopo N... facta, qua liceat pauperrimis parochis hanc secundæ missæ eleemosynam sibi retinendi ; 8 decemb. 1886. *Canoniste*, 1892, p. 76.

APPENDIX IV.

CIRCA MANIFESTATIONEM CONSCIENTIÆ A MONIALIBUS NON EXIGENDAM ; CIRCA CONFESSARIOS MONIALIUM ORDINARIOS ET EXTRAORDINARIOS, ET COMMUNIONIS LICENTIAM A SOLO CONFESSARIO CONCEDENDAM.

(Ad p. 100, 584.)

Quoniam auctor, hic verba faciens de capellanis

monialium, de earumdem confessariis ordinariis et extraordinariis loquitur, opportunum ducimus integrum referre celebre Decretum diei 17 decembris 1890, quo plura circa eosdem constituitur a S. C. Episc. et Regul., una cum variis declarationibus quæ circa decreti ejusdem sensum et extensionem ab eadem S. C. ulterius prodierunt. Ad hos textus per tractatus decursum, occasione data, remittetur lector.

(a). — S. C. EE. et RR. decretum d. 17 Dec. 1890.

Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestæ sanctæque in se sint : ita et legum, sapienter conditarum, ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur ; imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum quæ vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum ; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiæ manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent ; e contra a nonnullis ex his intima conscientiæ scrutatio, quæ unice Sacramento Pœnitentiæ reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem ss. Canonum præscriptum fuit, ut sacramentalis Confessio in hujusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis ; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriæ conscientiæ consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiæ norma, ut suos subditos rite recteque quoad peculiares pœnitentias ac alias pietatis opera dirigerent ;

sed et hæc per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut hujusmodi dispositiones, quæ ad spiritualem alumnorum profectum et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutæ jam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externæ pacis turbationem versæ fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniæ passim ad S. Sedem interjectæ evidentissime comprobant.

Quare SS. D. N. Leo divina providentia Papa XIII pro ea, qua præstat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Præfecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus præpositæ die decimaquarta decembris 1890, omnibus sedulo diligenterque perpensis, hæc quæ sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, necnon virorum omnimodo laicorum, etsi dictæ Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque, etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiæ intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio injungit Moderatoribus ac Moderatricibus hujusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus præfatæ dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis, cujuscumque gradus et præeminentiæ sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent

directe aut indirecte, præcepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad hujusmodi manifestationem conscientiæ sibi peragendam; subditisque e converso præcipit, ut Superioribus majoribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denuntiatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

III. Hoc autem minime impedit quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

IV. Præterea, firmo remanente quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino præscribitur in *Sess.* 25, *Cap.* 10, *de Regul.*, et a S. M. Benedicti XIV statuitur in Constitutione quæ incipit *Pastoralis curæ*, Sanctitas Sua Præsules Superioresque admonet ne extraordinarium denegent subditis Confessarium quoties, ut propriæ conscientiæ consulant, ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut ægre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriæ Diœceseos, in quibus Mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento Pœnitentiæ recurrere eæ facile queant.

V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas Sua decernit, hujusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Pœnitentiæ sacramentum denuo accesserit.

VI. Monentur hinc omnes, ut ad sacram Synaxim curent diligenter se præparare et accedere diebus in propriis regulis statutis ; et quoties ob fervorem et spiritualem alicujus profectum Confessarius expedire judicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianæ Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur ; quod si hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cujus judicio acquiescendum omnino erit.

VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus en Localibus Institutorum de quibus supra, sive virorum, sive mulierum, ut studiose accurateque hujus Decreti dispositiones observent, sub pœnis contra Superiores Apostolicæ Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

VIII. Denique mandat, ut præsentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus prædictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria memoratæ S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 17 Decembris 1890.

I. Cardinalis VERGA, *Præfectus*.

✝ FR. ALOISIUS Episcopus Callinicen., *Secretarius*.

(b). — *Declarationes variæ.*

Jamvero ex responsione S. C. EE. et RR d. 17 augusti 1891 ad Episcopum Malacitanum (cf. *Canoniste,*

1892, p. 378), sequitur : Superiorem cujus est denegare vel concedere Confessarium extraordinarium, esse eum qui domui præest, sive vir sit, sive femina ; hunc vero teneri precibus subditi semper indulgere, « sed subditi moneantur non posse extraordinarios confessarios petere, nisi ad id adigantur ut propriæ conscientiæ consulant » ; demum inter plures extraordinarios Confessarios ab Ordinario deputatos, non superioris esse, sed subditi, quem maluerit eligere.

Rursus, ex alia responsione d. 1ª Februarii 1892 (*ibid.*, p. 677), eruitur : non ita patere facultatem monialibus concessam recurrendi ad Confessarium extraordinarium ut nunquam aut fere nunquam ordinarium adeant ; extraordinarios vero Confessarios, si quando cognoscunt causam ad ipsos recurrendi non esse probabilem, in conscientia teneri ad declinandum earum auditionem ; abusibus autem occurrendum esse ab Ordinariis, qui « moneant moniales et sorores de quibus agitur dispositionem articuli IV Decreti *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituere pro casibus duntaxat veræ et absolutæ necessitatis, quoties ad id adigantur, firmo remanente quod a S. Concilio Tridentino et a Constitutione S. M. Benedicti XIV incipienti *Pastoralis curæ* præscriptum habetur ».

APPENDIX V.

CIRCA COGENTES JUDICES LAICOS AD TRAHENDUM AD SUUM TRIBUNAL PERSONAS ECCLESIASTICAS.

(Ad p. 136.)

Declaratio S. R. et U. Inquisitionis.

In constitutione Pii IX s. m. quæ incipit *Apostolicæ Sedis moderationis* IV id. oct. 1869 cautum est, « excom-« municationem Romano Pontifici reservatam speciali « modo incurrere... Cogentes sive directe sive indi-

« recte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal « personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones ; « item edentes leges vel decreta contra libertatem et « jura Ecclesiæ. »

Cum de vero sensu et intelligentia hujus capitis sæpe dubitatum fuerit, hæc suprema Congregatio S. Romanæ et universalis Inquisitionis non semel declaravit caput «*cogentes*» non afficere nisi legislatores et alias auctoritates cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones. — Hanc vero declarationem Sanctissimus D. N. Leo PP. XIII probavit et confirmavit : ideoque S. hæc Congregatio illam cum omnibus locorum Ordinariis pro norma communicandam esse censuit.

Cæterum in iis locis in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur jura sua persequi nisi apud judices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forum laicorum convenire possint : eamque Ordinarii nunquam denegabunt ; tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicæ non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad judicem seu judices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, præsertim si fuerit clericus, animadvertere pœnis et censuris ferendæ sententiæ uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverint....

Datum Romæ, die 23 januarii an. 1886.

Humil. et addict. servus verus.

R. Card. Monaco.

APPENDIX VI.

CIRCA IRREGULARITATEM FILIORUM HÆRETICORUM.

(Ad p. 197, 225.)

Quamvis, teste theologia Tolosana (1809) sat communiter, etiam in praxi, apud nos recepta fuerit opinio juxta quam irregulares non essent hæretici, nec a fortiori eorumdem filii seu etiam nepotes, non amplius tamen tuto teneri potest hæc opinio et praxis, obstantibus recentioribus S. R. et U. Inquisitionis responsis; nempe ad Episcopum Harlemensem, d. 11 julii 1884; ad Archiepiscopum Coloniensem, d. 14 decembris 1890 (Cf. *Canoniste*. 1891, p. 319, 321). Habetur enim : « Hæreticos ad fidem catholicam conversos ac filios hæreticorum qui in hæresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum duntaxat, esse irregulares etiam in Germania et in aliis locis de quibus petitur; ideoque dispensatione indigere ut ad tonsuram et ordines promoveantur ».

Notandum vero est vix occurrere posse casum quo hujusmodi irregularitas occulta esset.

APPENDIX VII.

CIRCA RELIGIOSORUM ETIAM SIMPLICIUM ET NON PERPETUORUM VOTORUM ORDINATIONEM, EXPULSIONEM ET DIMISSIONEM.

(Ad p. 248, 598.)

Die 4 novembris 1892 sequens prodiit decretum gravissimi momenti, ad quod accurate attendendum est non modo quoad votorum solemnium, verum et simplicium professos ordinandos vel dimittendos. Textum per integrum damus, ad illum occasione data remissuri.

Decretum.

Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium Institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum hujusmodi societatum egressus, et consequens, ex jure constituto, regressus in diœcesim originis. Hæc autem graviora efficit temporalium bonorum inopia qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi sæpe providere nequeunt ut illi vitam honeste traducant. Hæc, aliaque id genus, etiam de alumnis Ordinum votorum solemnium, perpendentes nonnulli Sacri locorum Antistites, pro Ecclesiastici ordinis decore et fidelium ædificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium SSmus D. N. Leo PP. XIII detulisset Sacræ huic Congregationi Episcoporum et Regularium Negotiis et Consultationibus præpositæ, Emi Patres in Conventu plenario habito in Vaticanis ædibus die 29 mens. Augusti anni 1892, prævio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris temporibus servandas. Quas cum SS. D. N. in Audientia d. 23 Sept. hujus anni 1892 infrascripto Secretario benigne impertita probare et confirmare dignatus fuerit, ea quæ sequuntur per præsens decretum Apostolica Auctoritate statuuntur et decernuntur.

I. Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V diei 14 Oct. anni 1568, incipient. *Romanus Pontifex*, et declaratione sa. me. Pii PP. IX edita die 12 mens. Junii anni 1858, quibus Superioribus Ordinum Regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant Novitiis aut Professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo Paupertatis ad SS. Ordines promoveri valeant, eædem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere

pro SS. Ordinibus, vel quomodocumque ad sacros Ordines alumnos promovere titulo Mensæ communis, vel Missionis, nisi illis tantum alumnis qui vota quidem simplicia, sed perpetua jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint ; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta quæ ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis jam obtentis a S. Sede, nec non dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbatæ.

II. Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad Majores Ordines alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus. — Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam Sacros Ordines suscipiat triennio expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut Clericus vota solemnia nuncupare possit, quamvis non expleverit triennium, quoad Instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti Constitutionibus præscripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

III. Dispositiones contentæ in decreto S. C. Concilii jussu sa. me. Urbani VIII edito die 21 Septembris 1624 incipien. *Sacra Congregatio*, ac in decreto ejusdem S. C. jussu sa. me. Innocentii XII edito die 24 mens. Julii anni 1694, incipien. *Instantibus*, ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandæ imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota sim-

plicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper Ordinibus constituto dimittendo ; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem, externam, et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorregibilis. Ut autem quis incorregibilis revera habeatur, Superiores præmittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem ; qua nihil proficiente Superiores d bent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium ejusdem Instituti religiosum exhibere valeat ; quod si accusatus ipse proprias defensiones non præsentaverit, Superior, seu Tribunal, defensorem, ut supra, alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post hæc Superior cum suo Consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quæ tamen nullum effectum habebit si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR appellaverit, donec per eamdem S. C. definitivum judicium prolatum non fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus præscriptis, et facultatem procedendi summario modo juxta praxim vigentem apud hanc S. C.

IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in Sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur ; ac præterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

V. Qui in Sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel

temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium qui quovis professionis vinculo jam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

VI. Professi tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad Sacros Ordines non admittantur, nisi, præter alia a jure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacræ theologiæ operam dederint si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum, saltem per triennium, præmisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

Hæc de expresso Sanctitatis Suæ mandato præfata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romæ, ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 4 novembris 1892.

I. Card. VERGA, *Præf.*

† Jos. M. Arch. Cæsarien., *Secretarius.*

APPENDIX VIII.

CIRCA CANONICOS ABSQUE PRÆBENDIS IN GALLIIS.

(Ad. p. 329.)

Practica rediit apud nos hæc quæstio ex quo suppressa fuerunt per viam extinctionis, stipendia quæ apud nos canonicis ecclesiarum cathedralium a Gubernio solvebantur. Novi tamen canonici, post hanc legem institutionem adepti, non minus canonici sunt ac priores. At in quibusdam locis aliquæ ex voluntariis donis erectæ

sunt præbendæ ; multi vero sola canonia contenti sunt. Atquoad hos, mitius actum est quoad onera canonicalia; restricta obligatio chori ad solemniores dies, etc... Sit in exemplum recens causa *Elnen.* (Perpignan) d. 29 Martii 1890 (*Canoniste*, 1890, p. 368). Propositis enim dubiis : « I. An canonici sine præbenda et sine stipendio nominati, uti veri canonici habendi sint in casu. — II. An omnibus juribus et privilegiis ad canonicatum pertinentibus, sede Episcopali tum plena, tum vacante, fruantur in casu. — III. An stricte et in conscientia ad residentiam, ad chorale servitium, ad applicationem missarum pro fundatoribus et benefactoribus, et ad alia onera canonicis præbenda donatis propria, teneantur in casu. — Et quatenus affirmative : IV. An et quomodo in eorumdem favorem locus sit remissioni et reductioni onerum in casu. » S. C. C. respondit : « Ad I : *Affirmative ;* Ad II : *Affirmative ;* Ad III : *Providebitur in IV*; Ad IV : *Episcopo cum facultatibus necessariis ut perdurantibus circumstantiis, pro sua conscientia dispensare valeat ab onere applicandi Missam conventualem et reducendi onera residentiæ et servitii choralis ad dies solemniores et alios sibi benevisos, facto verbo cum SSmo.* »

APPENDIX IX.

CIRCA USUM CANONICORUM IN GALLIIS DEFERENDI INSIGNIA EXTRA PROPRIAM ECCLESIAM.

(Ad p. 394)

Non obstante generali regula, usus invaluit apud nos ut canonici, etiam honorarii, insignia deferant non modo intra, sed extra ecclesiam cujus sunt canonici. Tolerandam vero esse hanc consuetudinem declaravit S. Sedes, per rescriptum S. R. C. d. 2 Augusti 1875 (*Canoniste*, 1880, p. 314). Ad dubium enim : « Utrum

illam (consuetudinem de qua nunc) tolerare valeat (Episcopus), saltem quoadusque jussu Sanctæ Sedis in cæteris Galliæ diœcesibus destruatur, an vero teneatur hanc consuetudinem in sua diœcesi evellere? » — respondit S. C. : « Nihil esse innovandum ».

APPENDIX X

CIRCA ACTUS DOMINII RITE POSITOS A PROFESSIS VOTORUM SOLEMNIUM.

(Ad p. 415.)

Aliquando Ecclesia debuit eos Regulares cum voto solemni paupertatis ad actus dominii edendos omnimodo habilitare, ne proprietas Monasteriorum (quæ in aliquibus regionibus incapacia habentur ad possidendum) caderet in manus Gubernii, prout ex sequenti responso S. Congregationis pro Negotiis extraordinariis constat :

« Die 31 Julii 1878. Ex audientia SSmi.

« Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Victor Augustus Isidorus, Archiepiscopus Mechliniensis, una cum suis suffraganeis a SSmo Domino Nostro expostularunt, ut ad removenda quæcumque dubia explicare et declarare dignaretur, utrum rescriptum de die 1 Decembris 1820, quo S. Pœnitentiaria Auctoritate Apostolica concessit Regularibus Belgii utriusque sexus etiam solemniter professis, ut bona acquirere, retinere et administrare, deque iis disponere possent non obstante solemni paupertatis voto, etiam nunc in integro suo robore permaneat. Sanctissimus Dominus Noster Leo Divina Providentia Papa XIII, referente me infrascripto Secretario S. Congregationis Negotiis ecclesiasticis extraordinariis præpositæ, audita prius nonnullorum Eminentissimorum Patrum sententia, respondendum esse

mandavit : *affirmative*. ac præsentium tenore declarare dignatus est, quatenus opus sit, omnes singulosque Belgii Regulares utriusque sexus, etiam qui vota solemnia nuncuparunt, prædictos omnes actus valide ac licite exercuisse et exercere, ac proinde potuisse ac posse tuta conscientia etiam cum jurejurando asserere se voluisse ad normam legum civilium verum dominium bonorum a se possessorum acquirere una cum jure de iis disponendi. Super quibus Sanctitas Sua mandavit hoc edi decretum, et in acta superius memoratæ Congregationis referri. Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

« Datum Romæ, e Secretaria ejusdem Congregationis, die, mense et anno prædictis.

« Wladimirius Kzacki, *Secretarius*. »

APPENDIX XI

CIRCA ABSOLUTIONEM A RESERVATIS R. P.

(Ad p. 130.)

Imo, ex responso S. C. S. Officii, diei 16 junii 1897, « in casu quo nec infamia nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est pro pœnitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, simplici confessario licet a censuris S. Pontifici reservatis directe absolvere, injunctis de jure injungendis, sub pœna tamen reincidentiæ, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem ».

Tandem, ex decreto ejusdem S. Officii, diei 9 novembris 1898, « quando neque confessarius neque pœnitens epistolam ad S. Pœnitentiariam mittere possunt, et durum sit pœnitenti adire alium confessarium, in hoc casu liceat confessario pœnitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam, facto verbo cum Sanctissimo ».

APPENDIX XII

CIRCA CANONICOS AD HONOREM EX ALIENA DIŒCESI.

(Ad p. 325.)

Postquam per litteras d. d. 16 septembris 1882, S. C. C. singulos Episcopos monuisset his verbis : « ut raro admodum et caute honoris titulos vel insignia clericis tuis impertias, sed probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis ; clericis vero alienis nullum unquàm conferas honoris signum vel titulum, inscio et invito Ordinario cujus potestati subduntur » ; quum tamen abusus non cessassent, Leo PP. XIII, per Breve *Illud est proprium,* d. d. 21 januarii 1894, sequentia statuit :

I. Episcopus seu Ordinarius ecclesiasticum quempiam virum alienæ diœceseos Canonicum ad honorem nominaturus, præter Capituli sui consensum, Ordinarii cui nominandus subjicitur, notitiam et votum obtineat, eumdemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia quorum usus nominando tribueretur.

II. Canonici ad honorem extra diœcesim in qua nominati sunt, degentes, numero sint tertia parte minores cunctis canonicis a Pontificiis Constitutionibus respectivæ Basilicæ sive ecclesiæ Metropolitanæ aut Cathedrali vel Collegiatæ assignatis.

III. Canonici ad honorem alicujus minoris Basilicæ vel ecclesiæ Collegiatæ almæ Urbis nominati, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra respectivæ Basilicæ vel Collegiatæ ejusque filialium ecclesiarum ambitum, ubi Canonici de numero iisdem fruuntur. Qui vero alicujus Metropolitanæ vel Cathedralis aut Collegiatæ ecclesiæ seu Basilicæ minoris extra Urbem Canonici sunt ad honorem, privilegiis et insignibus tantum utantur in diœcesi ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium.

IV. Hæc omnia serventur quoque a Canonicis ad honorem usque ad hanc diem nominatis.

INDEX

MATERIARUM IN SECUNDO VOLUMINE MANUALIS TOTIUS JURIS CANONICI CONTENTARUM.

APPENDICES.

FINIS INDICIS TOMI SECUNDI.

Poitiers. — Sté Franç. d'Impr. et de Libr.
Ancienne impr. Oudin et Cie.





